

P. MATTHAEUS CONTE A CORONATA O. F. M. Cap.
DOCTOR ET LECTOR IURIS CANONICI - IN ARCHID. GENUEN. EXAMINATOR ET IUDEX SYNODALIS

INTERPRETATIO AUTHENTICA
CODICIS IURIS CANONICI
et circa ipsum Sanctae Sedis iurisprudentia
1916-1947

EDITIO ALTERA



FRANCISCAN FATHERS
PONUS RIDGE, RFD #3, BOX #169
NEW CANAAN, CONN.

DOMUS EDITORIALIS MARIETTI
Sanctae Sedis Apostolicae et Sacrae Rituum Congregationis Typographi

Cum licentia Superiorum Ordinis.

Nihil obstat.

Taurini, die 11 Ianuarii 1948.

Dr. A. QUAGLIA, *Cens. Eccles.*

Imprimatur

C. A. COCCOLO, *Vic. Gen.*

Printed in Italy

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (6-I-18)

PRAEFATIO AD PRIMAM EDITIONEM

Iam plures editi sunt libri interpretationes authenticas a Commissione Pontificia Codicis iuris canonici interpretando (C. I. = Commissio Interpres) datas et etiam aliorum dicasteriorum Sanctae Sedis resolutiones et responsa collecta continentes; at qui ex his utiliores et melius ordinati sunt, quia in aliqua lingua vulgari conscripti, non omnibus prodesse possunt (cfr. e. gr. Bouscaren, Canon law digest); alii vero solummodo documenta offerunt quae in Acta Apostolicae Sedis promulgata sunt, pluribus aliis omissis, quae non parvam pro praxi utilitatem asferre possunt (cfr. Collectionem ab excellentissimo I. Bruno confectam, Codicis iuris canonici interpretationes authenticas, 1935).

Quam ob rem ab amicis rogatus hanc collectionem aggressus sum, quam completiorem aliis antehac latine editis esse confido, cum in ea, praeter documenta in Acta Ap. Sed. promulgata, plura alia documenta asferantur. Nec tamen ipsam omnia documenta quae asferri possent continere affirmare ausim.

Quaedam nunc de methodo a me adhibita in collectione conficienda. Documenta quaedam integre seu ad litteram exscribuntur et referuntur. Huc spectant omnia responsa Commissionis Pontificiae interpretis, sive quae ex Acta Ap. Sed., sive quae ex privatis fontibus, iis semper indicatis, exscribuntur. Alia documenta vel integre in parte dispositiva seu resolutiva referuntur, vel compendiose enuntiantur, ne volumen in nimiam molem succresceret. Documenta ad canonem ad quem referuntur aut quem explicant apponuntur; et quia saepe idem documentum ad plures canones relationem habet,

quantum fieri potest, ad singulos canones ad quos refertur documentum ipsum vel eiusdem compendium refertur.

Fontes e quibus documenta hausta sunt in calce paginae sigillatim indicantur; quandoque adduntur etiam indicationes ephemeridum seu periodicorum quae documentum aliquod commentarium habeant.

Ad facilem libri usum praeter assignationem documentorum ad singulos canones, quae de se sufficiens esse posset, copiosum indicem rerum confeci, ordine alphabetico, quo facile quodlibet documentum de qualibet materia inveniri poterit.

In documentis afferendis ad singulos canones, ordinem chronologicum secutus sum, ex quo fit ut saepe detur praecedentia resolutionibus Sacrarum Congregationum prae responsis Commissionis interpretis; at id saepe etiam evolutionem canonicam doctrinae et etiam iurisprudentiae demonstrat; nec desunt omnino documenta anteriora per posteriora correctata.

Possit volumen studiosis et praesertim Praelatis ecclesiasticis pro praxi auxilium praestare in legibus ecclesiasticis interpretandis et applicandis.

Datum Genuae, S. Bernardini, in Conventu cursus Theologici Ordinis Frat. Min. Cap., 8 Martii 1940.

P. MATTHAEUS A CORONATA
O. F. M. Cap.

PRAEFATIO AD EDITIONEM ALTERAM

Exhausta iam prima editione ad alteram manus apposui. In hac, praeter nova Sanctae Sedis documenta publici iuris facta in Acta Apostolicae Sedis et privata quae reperire potui ex variis fontibus, quaeque post primam editionem prodire usque ad finem anni 1947, inserta sunt quamplurima documenta privata, quae me in prima editione effugerant. Horum etiam privatorum documentorum utilitas duplex esse potest. Ipsa quidem normam absolute servandam constituunt solum pro personis quibus data sunt; at etiam aliis normam utilem plerumque praebere possunt, quam scilicet alii quoque licite sequi possunt. Deinde documenta privata momentum habent in demonstranda iuris evolutione; quandoque enim aliquod iuris praescriptum obscuritate laborans et difficultatibus scatens, data aliqua non definitiva interpretatione ab aliqua Sacra Congregatione quasi ad experimentum, et bona ipsa inventa, ipsum ius clarius et firmiter per ipsam definitur.

Datum Genuae (Ospedale Galliera), 21 Novembris 1947.

P. MATTHAEUS A CORONATA
O. F. M. Cap.

PERIODICA ET OPERA
DE RE CANONICA QUAE PASSIM CITANTUR

A.A.S. = Acta Apostolicae Sedis - Romae.

Apollinaris. Commentarium juridico-canonicum cura professorum
athenaei pontificii Seminarii ad s. Apollinaris - Romae,
1928 ss.

Archiv für katholischen Kirchenrecht - Mainz.

Bouscaren Lincoln. - *The canon law digest. Officially published document Affecting the Code of Canon Law, 1917-1933.*

Idem. - *Volume II including two hundred Rota Cases, 1938.*

Idem. - *Supplement 1938.* Milwaukee, Bruce Company.

Bruno Jos. - *Codicis iuris canonici interpretationes authenticae seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos anni MCMXVII-MCMXXXV data.* Romae, 1935.

Cimetier F. - *Pour étudier le Code de droit Canonique. Introduction générale. Bibliographie, réponses et décisions. Document complémentaire (1917-1927).* - Paris, 1927.

Commentarium pro religiosis - Romae, 1920 ss.

Hilling Nicolaus - *Codicis iuris canonici interpretatio. Responsiones, resolutiones et decisiones Sanctae Sedis Codicem iuris canonici illustrantes.* Friburgi Brisigavorum, 1925.

Il Monitore ecclesiastico - Roma, 1876, ss.

Jus Pontificium - Romae, 1921 ss.

Nederlandsche Katholieke Stemmen - Zwolle.

Nouvelle Revue théologique - Louvain.

Perfice Munus - Taurini.

Periodica de re morali, canonica, liturgica - Brugis, Romae.

Rassegna di morale e diritto - Romae, 1925 ss.

Revue des Communautés Religieuses - Louvain, 1925 ss.

Sal terrae - Santander.

Sartori Cosmas - *Enchiridion canonicum seu Sanctae Sedis responsiones post editum Codicem iuris canonici datae*. Ed. IV, (1917-1933). Vicetiae.

Sylloge - *praecipuorum documentorum recentium Summorum Pontificum et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide necnon aliarum Sacrarum Congregationum Romanarum. Ad usum missionariorum*. Cum auctoritate Praefecti S. C. de Propaganda Fide, 30 Junii 1938. Romae, 1939.

The Australasian Catholic Record - Marcy.

The Ecclesiastical Review 1937-38-39, 5 voll. Philadelphia.

The Irish Ecclesiastical Record - Dublin.

Theologisch - praktische Quartalschrift - Linz.

Toso Albert. - *Repertorium iuridicum ecclesiasticum seu Pontificiae Commissionis Codicis iuris can. Interpretando praepositae responsiones authenticae itemque Curiae Romanae iurisprudentia universa, post editum Codicem publici iuris factam...* I, Romae, 1925, fascic. II, 1931.

1. - Favor trium Missarum in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum non est applicabilis Ecclesiae Orientali. S. C. pro Ecclesia Orientali, 22 Martii 1916¹.

2. - Canones, qui aliquem favorem omnibus fidelibus cuiuscumque ritus concedunt, applicabiles sunt etiam fidelibus orientalibus, licet lex proprii ritus contraria esse videatur. Ita permittitur orientalibus, vi canonis 866, communio paschalis ritu latino. S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Ianuarii 1925².

3. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 2 Aprilis 1928, dedit monitum ad praecavendos abusos quorundam mendicantium se Orientales profitentium qui per Italiae dioceses et alias regiones pervagabantur ad colligendas eleemosynas Missarum, exhibitis etiam ad hoc falsis documentis aut litteris Commendatiis³.

4. - « Cum quaesitum fuerit a nonnullis, utrum orientales teneantur, sicut ceteri, decretis damnationis librorum et diariorum a S. Congregatione Sancti Officii editis, et specialis mentio facta sit de prohibitione ac poenis irrogatis in illam quam dicunt ACTION FRANÇAISE », S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Maii 1928, declaravit: « Praefata decreta omnes cuiuscumque ritus fideles attingere seu eodem modo obligare, quippe quae, potiusque disciplinam, directe spectent doctrinam Ecclesiae. Vult enim Sancta mater Ecclesia huiusmodi decretis fidem ac mores servare atque tueri et ad hoc Codex iuris, canone 1936, aperte statuit ac sanxit libros ab Apostolica Sede damnatos *ubique locorum et in quocumque vertantur idioma prohibitos censi* »⁴.

Can. 1. — 1) *A. A. S.*, VIII, 104. — 2) Apud Cleognani, *Commentarium in librum I Codicis*, 1925, p. 338-339; Van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, n. 4, p. 7, 8; M. a Coronata, *Compendium iuris canonici* I, n. 133, p. 121, nota 9. — 3) *A. A. S.*, XX, 107; *Periodica*, XVII, 72. — 4) *A. A. S.*, XX, 195; *Periodica*, XVII, 130. Cfr. etiam Decretum S. C. S. Officii 10 Iulii 1939, quo prohibitio diarii *Action Française* auferitur; *A. A. S.*, XXXI, 303; *Apolinaris*, XII, 311; *Periodica*, XXVIII, 312.

5. - S. C. pro Ecclesia Orientali 19 Decembris 1928 resolvit varia dubia de Maronitis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis. En summatim dubia et responsa: 1° D. Utrum Maronitae qui domicilium aut quasi-domicilium habent in Statibus Foederatis Americae legibus Codicis iuris canonici ligentur. — Resp. Negative ad normam can. 1, salvis specialibus decretis S. Sedis pro ipsis latis et salva dispositione Litter. Apostolicae *Orientalium dignitas*, 30 Novembris 1894, IX, ubi statuitur Orientales extra territorium sui patriarchatus manere sub administratione cleri latini, retento tamen ritu cui adscribuntur. — 2° D. Utrum duo Maronitae, ut supra, contrahere valide possint matrimonium si impedimento abrogato quidem a Codice sed adhuc apud Maronitas vigente ligentur. — R. Negative. — 3° D. Utrum duo Maronitae, ut supra, possint valide matrimonium contrahere ante decimum sextum et respective decimum quartum annum, si malitia suppleat aetatem. — R. Affirmative. — 4° D. Utrum Maronitae in Statibus Foederatis Americae quod spectat ieiunium et abstinentiam ligentur legibus Codicis et decretis Ordinariorum locorum ad normam can. 1244, § 2. — R. Provisum in responsione ad 1°. Attamen Romanus Pontifex dignatus est extendere ad Maronitas et omnes alios Orientales in Statibus Foederatis indultum concessum Ruthenis viventibus in Statibus Foederatis et in Canada⁵, idest se conformandi legibus localibus in iis quae ieiunium et abstinentiam respiciunt. — 5° D. Utrum Maronitae, ut supra, privilegio gaudeant tres Missas celebrandi in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. — R. Negative, iuxta responsum S. C. de Prop. Fide 13 Martii 1916. — 6° D. Utrum Petrus Maronita et Rosa graeco-schismatica, domicilium habentes in dioecesi Buffalo, valide contrahant matrimonium coram presbytero schismatico orientali et duobus testibus. — R. Affirmative. — 7° D. Utrum Iacobus Maronita et Helena schismatica graeca domiciliati in dioecesi Buffalo valide matrimonium contrahant coram presbytero schismatico (qui non est parochus) in praesentia duarum testium. — R. Affirmative⁶.

6. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Maii 1930, declaravit fideles ad ecclesias rituum orientalium pertinentes relate ad ea quae forum internum etiam non sacramentale respiciunt, de quibus in can. 258, recurrere debere ad S. Poenitentiarium⁷.

7. - Sanctiones contentae in can. 2320, 2343, § 1, 2367, 2369, quibus quaedam delicta excommunicatione latae sententiae specialissimo modo Sanctae Sedi reservata plectuntur, attenta omnino extraordinaria ipsorum delictorum gravitate, extenduntur ad universam Ecclesiam latinam et orientalem cuiuscumque ritus atque eorundem delictorum cognitio, quoad forum internum Sacrae Poenitentiariae,

⁵) Cfr. *A. A. S.*, XXI, 132; XXII, 346. — ⁶) Responsa non sunt promulgata in *A. A. S.*, ea refero ex Lincoln Bouscaren, *The Canon law digest*, I, p. 4-5. Bouscaren responsa refert ex *Ecclesiastical Review* vol. 80, 384. — ⁷) *A. A. S.*, XXII, 394.

quoad forum externum Sancto Officio reservatur. Ita, de expresso mandato Pii Papae XI, 21 Iulii 1934, decrevit S. C. S. Officii⁸.

8. - S. C. pro Ecclesia Orientali edidit Instructionem ad faciendos processus super matrimonio rato et non consummato pro ritibus orientalibus, 10 Ianuarii 1935⁹.

9. - S. C. pro Ecclesia Orientali, auctoritate Pii Papae XI, 21 Iulii 1935, declaravit fideles orientales cuiuscumque ritus in iis quae indulgentias respiciunt, S. Poenitentiarium adire debere¹⁰.

10. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 11 Iunii 1940, super dubio: « Utrum dignitates a Praelatis ritus orientalis sacerdotibus alieni ritus concessae, facultates secum ferant quae iisdem dignitatibus in ritu concedentis adnexae sunt; an tantum insignia honoris eis tribuant ».

Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam¹¹.

11. - Videri praeterea possunt:

a) Motu proprio Benedicti XV, *Orientalis catholici*, diei 15 Octobris 1917¹², de Instituto orientali condendo.

b) Litter encyclic. *Rerum Orientalium* diei 8 Septem. 1928, circa studia rerum orientalium¹³.

c) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali 1 Martii 1929, de spirituali administratione ordinariatum graeco-ruthenorum in foederatis civitatibus Americae Septentrionalis¹⁴.

d) Notificatio anni 1929 constitutionis Commissionis pro studio praeparatorio codificationis iuris orientalis¹⁵.

e) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali, *Qua sollerti*, 23 Dec. 1929, de clericis orientalibus sive saecularibus sive religiosis, qui e territoriis aut dioecesibus orientalibus in septentrionalem vel mediam vel meridionalem Americam, vel in Australiae regiones demigrant, ut spirituales inibi curam praestent fidelibus proprii ritus¹⁶.

f) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali, *Non rara accidit*, diei 7 Ianuarii 1930, de clericis orientalibus, sive saecularibus sive religiosis, qui e territoriis aut dioecesibus orientalibus in Americam Septentrionalem vel Mediam vel Meridionalem, vel Australiae regiones se conferunt, non ad curam spirituales fidelibus proprii ritus praestandam sed ob aliam causam, oeconomicam vel moralem, vel demum ut inibi per breve tempus versentur¹⁷.

g) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali, *Saepe numero Apostolica Sedes*, 7 Ianuarii 1930, de clericis orientalibus eleemosynas, pecuniam vel Missarum stipendia colligentibus seu corrogantibus extra Orientales regiones et dioeceses¹⁸.

⁸) *A. A. S.*, XXV, 550. — ⁹) *A. A. S.*, XXVII, 333. — ¹⁰) *A. A. S.*, XXVII, 379. — ¹¹) *A. A. S.*, XXXII, 303. — ¹²) *A. A. S.*, IX, 531. — ¹³) *A. A. S.*, XX, 277. — ¹⁴) *A. A. S.*, XXI, 152; *Apollinaris*, III, 48 sq. — ¹⁵) *A. A. S.*, XXI, 669. — ¹⁶) *A. A. S.*, XXII, 99; *Apollinaris*, III, 225. — ¹⁷) *A. A. S.*, XXII, 106; *Apollinaris*, III, 228 sq. — ¹⁸) *A. A. S.*, XXII, 108.

h) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali de administratione ordinariatus graeco-rutheni in regione Canadensi, 24 Maii 1930¹⁹.

i) Declaratio S. C. pro Ecclesia Orientali, 11 Iunii 1930, extendens ad Status Foederatos Americae normam datam pro Ruthenis Canada relate ad dies festos in ritu latino et rutheno simul vigentes²⁰.

l) Instructio S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Septembris 1932, de clericis orientalibus extra propriam regionem versantibus²¹.

m) Notificatio S. C. pro Ecclesia Orientali qua conceditur substitutio scapularis cum numismate metallico, 25 Martii 1935²².

n) Notificatio S. C. pro Ecclesia Orientali de pontificia Commissione constituenda ad redigendum Codicem iuris canonici orientalis, 17 Iulii 1935²³.

o) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali, 16 Novembris 1938, de annua relatione ad Sanctam Congregationem mittenda a sacerdotibus ritus orientalis curam animarum habentibus extra fines territorii sui patriarchatus, sub iurisdictione Ordinarii alieni ritus²⁴.

p) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali, 27 Ianuarii 1940, de recta cleri orientalis institutione in territoriis Patriarchalibus²⁵.

q) Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali, 23 Novembris 1940, quo decretum 1 Martii 1929 ad decennium confirmatur et partialiter modificatur²⁶.

2 1. - Vicariis et Praefectis apostolicis non competit privilegium liturgicum ut eorum nomen intra fines sui territorii nominetur in canone Missae. S. Rituum Congregatio, 8 Martii 1919¹. Id tamen eis plerumque permittitur ex speciali indulto².

2. - Vi canonis 416 canonicus theologus et poenitentiarius non eximuntur ab officio diaconi et subdiaconi praestando Episcopo solemniter celebranti, quia id esset contra Caeremoniale Episcoporum, cuius leges, nisi expresse dicatur, non abrogantur a Codice. S. C. Concilii, 14 Februarii 1920 (Vide can. 416)³.

3 1. - Huc referuntur omnes conventiones seu concordata post Codicem iuris canonici a Sede Apostolica cum civilibus guberniis inita (Vide can. 404)⁴.

2. - Benedictus XV, Allocutione consistoriali 21 Novembris 1921,

¹⁹) A. A. S., XXII, 346. — ²⁰) A. A. S., XXII, 354. — ²¹) A. A. S., XXIV, 334. — ²²) A. A. S., XXVII, 145. — ²³) A. A. S., XXVII, 306. — ²⁴) A. A. S., XXXI, 169.

— ²⁵) A. A. S., XXXII, 152-157. — ²⁶) A. A. S., XXXIII, 27-28. Cfr. etiam can. 1099, 11.

Can. 2. — 1) A. A. S., XI, 145. — 2) Cfr. Formulas facultatum S. C. de Propaganda Fide, Formula maior, n. 53, apud M. a Coronata, *Institutiones iuris canonici*, V², p. 265.

— 3) A. A. S., XII, 117.
Can. 3. — 1) I. M. Restrepo, *Concordata regnante Sanctissimo Domino Pio PP. XI in lingua latina et gallice reddita et nobis illustrata*, Romae, 1934; A. Perugini, *Concordata viginti notis historica et iuridica declarata*, Romae, 1935; A. Giannini, *I concordati post-bellici*, Milano, 1929. Vide Responsum C. L., 26 Nov. 1922, de vi iuris Concordatarum in collatione beneficiorum.

declaravit privilegia ab Apostolica Sede concordatis concessa ante bellum certis rebuspublicis, non posse amplius a novis rebuspublicis post bellum ortis sibi vindicari, cum res inter alios acta nec emolumentum nec praeiudicium ceteris afferre debeat. Idem valet de illis civitatibus quae ex bello funditus renovatae sunt ita ut quae nunc est non illa ipsa possit haberi moralis persona cum qua Sedes Apostolica olim convenerat. Ex quo sequitur ut etiam pacta et conventa quae inter Apostolicam Sedem et illas civitates intercesserant, vim iam suam omnem amiserint².

3. - Onera canonicis imposita in Hispania vi concordati sustentur et vim suam retinent non obstantibus can. 1440, 421, 1328. S. C. Concilii 10 Mart. 1923³.

4. - Pius XI, sermonibus habitis 11 et 13 Februarii 1929, ad parochos et concionatores quadragesimales Urbis, et ad antecessores alumnosque Catholicae Universitatis mediolanensis, plurima eaque scitu utilissima de Concordato a Sancta Sede cum Italia concluso et de Tractatu Lateranensi dixit⁴.

5. - Die 13 Iunii 1939, subscripta est conventio inter Sanctam Sedem et Gubernium Italicum pro applicatione articuli 29, lit. G. Concordati 11 Februarii 1929, circa renuntiationem ex parte Status italici privilegii exemptionis ab iurisdictione ecclesiastica cleri Palatini, exceptis quibusdam tantum ecclesiis nempe Sacrae Sindonis, Taurini, et Sacri Sudarii, Romae, neenon cappellis residentiae regis et principum regalium⁵. Secretaria Status.

4 Huc spectant:

1. - Responsum Praesidis C. L., 30 Martii 1918, de abrogatione decreti *Provida* (Vide can. 1099).

2. - Responsum C. L., 2-3 Iunii 1918, de negata actione ad matrimonium ex sponsalibus ante Codicem initis (Vide can. 1017).

3. - Responsum S. C. Consistorialis, 1 Iulii 1918, de non revocato indulto applicandi Missas pro Seminario¹.

4. - Responsum C. L., 14 Iulii 1922, quod abrogat iura parochorum cumulativorum (Vide can. 460).

5. - Responsum C. L., 26 Nov. 1922, quod abrogata declarat privilegia conferendi beneficia solis clericis indigenis (Vide can. 404).

6. - Decretum S. C. de Propag. Fide revocans privilegium praecedentiae titulo Missionarii apostolici adnexum, 16 Ianuarii 1924².

²) A. A. S., XIII, 521. Cfr. etiam Pasquazi in *Apollinaris*, I, 149 et sqs.; M. a Coronata, *Compendium*, I, 44 bis. — 3) A. A. S., XV, 588. — 4) A. A. S., XXI, 103. — 5) *Il Monitore Ecclesiastico*, vol. 51, 196.

Can. 4. — 1) A. A. S., X, 325. — 2) A. A. S., XVI, 213.

7. - Constitutio *Deus scientiarum Dominus*, 24 Maii 1931, qua abrogantur quaelibet iura Constitutioni ipsi contraria, art. 58³⁾.

5 Videri possunt:

1. - Decisio S. C. Concilii, 9 Februarii 1918, de consuetudine non admittenda applicandi Missam pro populo per turnum (Vide can. 466).

2. - Responsum S. C. Concilii, 14 Dec. 1918, de non toleranda consuetudine admittendi in tribunalibus ecclesiasticis iurisperitos laicos (Vide can. 1574).

3. - Resolutio S. C. Concilii, 8 Februarii 1919, de immemorabili consuetudine tenendi librum confirmatorum et ex eo exscribendi attestationes cum iure ad taxas (Vide can. 470).

4. - Responsum S. C. Concilii, 10 Ianuarii 1920, de consuetudine gestandi barbam (Vide can. 136).

5. - Resolutio S. C. Concilii, 10 Ianuarii 1920, de consuetudine qua parochus sustentationem vicariis cooperantibus praestat ope stipendiorum missarum (Vide can. 480).

6. - Responsum S. C. Concilii, 10 Iulii 1920, de non toleranda consuetudine lucrandi fructus praebendae non obstante absentia a choro (Vide can. 2381).

7. - Responsum S. C. Concilii, 13 Nov. 1920, de necessitate audiendi parochum in promotione vicarii cooperantis, non obstante contraria centenaria consuetudine (Vide can. 476).

8. - Responsum S. C. Concilii, 11 Dec. 1920, de removenda consuetudine remittendi partes ad tribunal laicale circa causas de iure sedilium in ecclesiis (Vide can. 1553).

9. - Resolutio S. C. Concilii, 11 Decembris 1920, qua non agnoscitur ex consuetudine praecedentia et ius praesidendi canonico coadiutori (Vide can. 397).

10. - Decisio Rotae, 3 Februarii 1922, de iure ex consuetudine faciendi processiones confraternitatibus competente (Vide can. 1294).

1. - Responsum S. C. de Religiosis, 20 Martii 1922, de non sustinenda consuetudine exigendi taxam pro exploratione voluntatis religiosarum (Vide can. 552).

12. - Responsum S. C. Concilii, 10 Iunii 1922, de non toleranda consuetudine benedicendi fontem baptismalem semel dumtaxat in anno (Vide can. 462).

13. - Responsum S. C. Rituum, 4 Augusti 1922, de non probando usu quo fideles clara voce legant *secreta*, *canonem* etc. (Vide can. 813).

3) *A. A. S.*, XXIII, 241.

14. - Resolutio S. C. Concilii, 13 Iunii 1925, de habitu Episcoporum in choro ex consuetudine (Vide can. 409).

15. - Responsum S. C. de Sacramentis, 24 Iulii 1925, de reprobanda consuetudine alicubi vigente designandi procuratorem patrini per mandatum generale seu implicitum (Vide can. 765).

16. - Responsum S. C. Concilii, 10 Dec. 1927, de non toleranda pravi statuendi per testamentum voluntatem transferendi proprias exuvias, posto aliquod tempus, a sepultura in aliquam ecclesiam (Vide can. 1205).

17. - Responsum S. C. Concilii, 15 Nov. 1930, de vi consuetudinis adscribendi, per heredes, defunctos confraternitatibus (Vide can. 1226).

18. - Constitutio Pii XI, 24 Maii 1931, *Deus Scientiarum Dominus*, art. 58 de abrogandis consuetudinibus universalibus et particularibus eidem contrariis (Vide can. 1376).

19. - Responsum S. C. de Sacramentis, 30 Iunii 1932, de admittenda et corrigenda consuetudine ministrandi Confirmationem ante usum rationis (Vide can. 788).

6 Huc spectant:

1. - Responsum C. I. quo declaratur festa iure particulari ante Codicem vigentia, si inter ea quae a Codice enumerantur non inveniuntur, abrogata esse censenda. C. I. 17 Februarii 1918 (Vide can. 1247).

2. - Decretum S. C. S. Officii, 22 Martii 1918, de obligatione emittendi iusiurandum antimodernisticum etiam post promulgationem Codicis (Vide can. 1406).

3. - Responsum C. I., 30 Martii 1918, de abrogatione decreti *Provida* 18 Ianuarii 1906, circa matrimonia civilia mixta clandestine contracta¹⁾.

4. - Responsum C. I., 24 Nov. 1918, de dispositionibus Concilii Baltimorensis circa ius nominandi Administratorem dioecesis vacantis (Vide can. 427).

5. - Responsum S. C. de Religiosis, 10 Iulii 1919, de vi non retenta a resolutionibus S. C. EE. et RR. 19 Iulii 1902 et 15 Ianuarii 1903, circa modum emittendi professionem religiosam monialium (Vide can. 572).

6. - Responsum S. C. de Religiosis, 15 Iulii 1919, de vi retenta a Decreto *Inter reliquas*, 1 Ianuarii 1911 (Vide can. 574).

7. - Responsum S. C. de Religiosis, 6 Octobris 1919, de vi decreti 1 Ianuarii 1911, circa vota simplicia religiosorum laicorum (Vide can. 573).

Can. 6. — 1) Cfr. Wernz-Vidal, *Ius matrimoniale*, n. 553, nota 83. Can. 1099.

2 — A CORONATA, *Interpretatio authentica*.

8. - Responsum C. I., 16 Oct. 1919, de disciplina choralis in Urbe servanda (Vide can. 396).

9. - Resolutio S. C. Concilii qua indicatur, modus servandus in legis interpretatione, quando lex Codicis partialiter tantum cum lege veteri concordat. Fontes quae in calce canonum citantur non indicant legem Codicis cum fonte citata convenire. Cfr. S. C. Concilii, 15 Februarii 1920².

10. - Responsum S. Poenitentiariae, 18 Februarii 1921, quo abrogata declarantur decreta anteriora circa obiecta indulgentiarum ditata (can. 924).

11. - Responsum S. C. Concilii, 19 Februarii 1921, de vi decreti concilii provincialis non transmittendi stipendia extra dioecesim (Vide can. 838).

12. - Responsum S. C. de Religiosis, 30 Dec. 1920, de vi decreti 10 Septembris 1912 circa professionem in articulo mortis (Vide canonem 572).

13. - Responsum Praesidis C. I., 13 Decembris 1923, de abrogatione decreti S. C. Concilii 15 Octobris 1915, circa retributionem pro altera et tertia missa in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum (Vide can. 824).

14. - Responsum C. I., 10 Martii 1928, de abrogatione facultatis assistendi passive matrimonio (Vide can. 1102).

15. - Responsum S. C. S. Officii, 13 Iulii 1930, quo declaratur vim suam retinere prohibitionem factam ab eodem S. Officio 25 Septembris 1710, imprimendi folia tractantia de ritibus Sinensibus adhibitis ad honorem philosophi Confucii³.

9 Ad petitionem complurium Episcoporum et Ordinariorum locorum, Benedictus XV decrevit ut praescripta can. 859, § 2; 1108, § 3; 1247, § 1; 1250; 1251; 1252; 1253; 1254, non expectata legis vacatione, a die 20 Augusti 1917 vim haberent; item concessit ut Cardinales privilegiis can. 239, 240, 600, n. 3; 1189, 1401 ab eodem tempore vim haberent. Secretaria Status, 20 Augusti 1917¹.

10 1. - Can. 114, quo decernitur incardinationem fieri si clericus beneficium residentiale ab Ordinario alienae dioecesis obtinuerit cum licentia seu consensu sui Ordinarii, non habet vim retroactivam pro his qui tale beneficium obtinuerunt ante Codicis promulgationem, etsi in eo statu clericus per aliquod tempus remanserit etiam post diem 19 Maii 1918. Ita resolvit S. C. Concilii, 11 Iulii 1925 (Vide can. 114)¹.

² A. A. S., XII, 117. — ³ A. A. S., XXII, 311.

Can. 9. — 1) A. A. S., IX, 475; *Periodica*, IX, 81.

Can. 10. — 1) A. A. S., XVIII, 48 sq.

2. - Ad hunc canonem referuntur praeterea: a) Responsum C. I., 2-3 Iunii 1918, de effectibus cognationis spiritualis ante Codicem contractae post Codicem iudicandis (Vide can. 768).

b) Responsum C. I., 2-3 Iunii 1918, de negata actione ad matrimonium contrahendum ex sponsalibus ante Codicem initis (Vide can. 1017).

c) Responsum C. I., 2-3 Iunii 1918, de negata vi retroactiva abrogationi impedimentorum a Codice abrogatorum (Vide can. 1036 ubi etiam de alio responso sine datatione dato a Praeside Commissionis).

d) Responsum S. C. de Religiosis, 6 Octobris 1919, de professione perpetua ad normam Codicis emittenda a religiosis laicis qui professionem simplicem emisissent ante Codicem (Vide can. 573).

e) Responsum C. I., 16 Octobris 1919 de moderanda dimissione a votis simplicibus in religionibus votorum sollemnum, si ante Codicem emissa sint vota, iuxta ius vetus (Vide can. 648).

f) Sententia Signaturae Apostolicae de applicatione can. 1536 ad donationes iam ante Codicem factas. - 6 Aprilis, 1920².

g) Responsum C. I., 24 Nov. 1920, de vi retroactiva can. 642, circa prohibitionem conferendi aliqua officia religiosis ad saeculum reversis (Vide can. 642).

h) Responsum quo C. I., 14 Iulii 1922, declaravit can. 460 de parochis cumulativis prohibitis applicandum esse non solum paroeciis erigendis post Codicem, sed etiam paroeciis ante Codicem erectis (Vide can. 460).

i) Decisio Rotae, 21 Iunii 1924, de applicatione can. 1511, circa praescriptionis tempus quando praescriptio coepta est ante Codicem et complenda est post Codicem³.

12 « D. Utrum pueri, qui etsi septimum aetatis annum nondum expleverunt, tamen ob aetatem discretionis seu usum rationis, ad primam Communionem admissi iam fuerint, teneantur duplici praeecepto Confessionis saltem semel in anno, et Communionis semel in anno, saltem in Paschate. R. Affirmative ». C. I., 3 Ianuarii 1918¹.

14 1. - Vicariatus Urbis, 25 Maii 1918, renovavit prohibitionem Clericis a. 1909 factam frequentandi aulas publicas cinematographicas¹.

2. - C. I., 24 Nov. 1920, declaravit peregrinos teneri reservationibus loci ubi degunt (Vide can. 393).

² A. A. S., XIII, 252. — ³ A. A. S., XVI, 473 et sq. *Nouv. Rev. Théol.*, 52 (1925), 242 sq.; *Ius pontificium* (1924), 21; Michiels, *Normae generales*, 67; Vermeersch-Creusen, *Epitome*, I, 71.

Can. 12. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, XXX (1918), 112. Responsum non fuit promulgatum in A. A. S.

Can. 14. — 1) A. A. S., X, 300.

3. - S. C. Concilii, 9 Februarii 1924, declaravit peregrinos, in locis ubi ex speciali dispositione S. Sedis tempore Quadragesimae abstinentia sabbati servatur feria quarta, teneri ad eandem abstinentiam servandam alterutra die ad libitum, nempe vel sabbato vel feria IV, remoto tamen scandalo ².

4. - Litterae circulares S. C. Concilii, 1 Iulii 1926, dant normas servandas a clericis vacationibus utentibus extra propriam dioecesim (Cfr. can. 143).

17 1. - Benedictus XV, motu proprio 15 Septembris 1917, instituit *Commissionem Pontificiam Codicis iuris canonici* interpretando. Eidem ius exclusivum confertur Codicis interpretandi. Sacrarum Congregationum erit Codicis observantiam curare per *Instructiones*. Dantur etiam normae pro introducendis in Codicem novis Canonibus si casus occurrat (Cfr. can. 242).

2. - « Commissio a Summo Pontifice instituta ad Codicis canones authentice interpretandos, in plenario coetu die 9 Decembris 1917 habito, statuit respondendum esse tantum dubiis propositis ab Ordinariis, a Superioribus maioribus Ordinum et Congregationum religionum etc., non vero iis quae proponantur a privatis personis, nisi mediante proprio Ordinario. Romae, 9 Decembris 1917 » ¹.

3. - D. « Utrum dubia quae minoris sint momenti aut non multum difficultatis habeant solvi possint ab Eminentissimo Praeside Commissionis. — R. Affirmative ». C. I., 9 Decembris 1917 ².

20 Leges particulares de quibus in Codice sermo non est vim suam etiam promulgato Codice non amittunt. Ita resolvit S. C. Concilii, 10 Ianuarii 1920, in quaestione de nutritione barbae (Vide can. 136).

22 Codex materiam de praecedentia totam de integro ordinare censetur, unde abrogare censetur quamlibet aliam legem praecedentem. S. C. Concilii, 18 Martii 1919 ¹.

25 Consuetudo per annos 170 usitata admittendi cum voto deliberativo in tribunali ecclesiastico laicos admitti nequit, sed ut abusus consideranda est. Non resistentia auctoritati civili ex parte Superiorum ecclesiasticorum non potest considerari in hoc casu ut tacitus consensus necessarius ad valorem consuetudinis iuris. Talis

²) *A. A. S.*, XVI, 94, 95. Sunt tamen qui docent responsionem hanc particularem non posse ad alios casus extendi, et peregrinos in casu non teneri nec ad abstinentiam sabbati nec ad abstinentiam feriae quartae. Cfr. Choetler, *Pour étudier le Code de droit canonique*, ed. 2, n. 14, p. 32, 33; *Periodica*, XIII, 48-52; *Ius pontificium*, 1924, 8; *Irish ecclesiastical Record*, 1924, 634.

Can. 17. — 1) *A. A. S.*, X, 77; *Periodica*, I, c., IX, 82. — 2) *A. A. S.*, XI, 480; *Periodica*, I, c., X, 102, in nota.

Can. 22. 1) *A. A. S.*, XI, 349.

consuetudo facti orta ex Status civilis usurpatione nequit a Superiore ecclesiastico approbari, quia vergit in detrimentum libertatis et disciplinae ecclesiasticae. S. C. Concilii, 4 Dec. 1918 ¹.

27 1. - Consuetudo concedens laicis exercitium iurisdictionis ecclesiasticae est irrationalis. S. C. Concilii, 4 Decembris 1918 (Vide can. 25).

2. - S. C. Concilii, 11 Dec. 1920, declaravit non manutenendum ius canonici coadiutoris cum iure successione ad praesidendum coetibus capitularibus (Vide can. 397).

33 1. - « D. - An ubique terrarum, in casibus canone 33, § 1 expressis, tempus vulgo *zonarius* sequi quis possit.

R. - Affirmative, dummodo hoc tempus sit legale ». C. I., 10 Novembris 1925 ¹.

2. - D. I. An, electo uno temporis supputandi modo, hic, vi can. 33, § 1, in actionibus formaliter diversis, mutari possit.

D. II. An tres Missae celebratae nocte Nativitatis Domini sint actiones formaliter diversae.

Resp. Ad I affirmative, ad II negative. C. I., 29 Maii 1947 ².

34 1. - « D. - I. Utrum annus integer novitiatus, praescriptus in canone 555, § 1, n. 2, computandus sit iuxta normam statutam in canone 34, § 3, n. 3. — Et quatenus affirmative:

II. Utrum eiusmodi norma computandi annum in ordine ad novitiatum servanda sit ad validitatem, an tantum ad licitatem.

R. - Ad I. Affirmative, seu servandum esse praescriptum canonis 34, § 3, n. 3.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, seu canonem servandum esse ad validitatem novitiatus ». C. I., 12 Novembris 1922 ¹.

2. - Huc spectat etiam responsum S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1924, de decennio concessio ad recursum interponendum a decreto definitivo remotionis ad effectum can. 2146, § 3 (Vide can. 2146 et decretum S. C. de Religiosis 20 Iulii 1923, can. 647).

41 Dispensatio super matrimonio rato et non consummato datur per rescriptum in forma gratiosa; ideo preces veritate nitantur oportet eo momento quo R. Pontifex vel Cardinalis gratiam concedit, et rescriptum subscribit; eodemque momento vim obtinet gratiae concessio. Rescriptum tamen, etsi forte parti remissum et traditum,

Can. 25. — 1) *A. A. S.*, XI, 128 et sqs.

Can. 33. — 1) *A. A. S.*, XVII, 582; cfr. *Sal terrae*, 1935, p. 357 (Regatillo); *Ius pontificium*, 1926, 5; *Periodica*, XIV, 178; *Theologische praktische Quartl.*, 1926, 165. — 2) *A. A. S.*, XXXIX, 373.

Can. 34. — 1) *A. A. S.*, XIV, 661.

Ordinario loci exhibendum est ad normam can. 51. S. C. de disciplina Sacramentorum, 7 Maii 1923, ex *Regulis processus super matr. rato...* n. 103, 105¹.

49 Responsio Sanctae Sedis data pro aliquo casu speciali non est extendenda ad alios casus similes in quibus non verificantur eandem circumstantiae. Ita responsio olim data de toleranda consuetudine benedicendi fontem baptismalem semel tantum in anno non est extendenda ad casus in responsione non expressos. S. C. Concilii 10 Iunii 1922¹.

51 Rescriptum dispensationis super matrimonio rato et non consummato praesentandum est Ordinario loci etsi remissum directe sit partibus petentibus. S. C. de disciplina Sacramentorum, 7 Maii 1923 (Vide can. 41).

56 Religiosus qui indultum saecularizationis obtinuit, obtenta notitia impetrationis, potest illud recusare etsi iam datum sit decretum executorialia ad normam can. 56. S. C. de Religiosis, 1 Augusti 1922 (Vide can. 639, 640)¹.

63 Canon 63 non dicit privilegium acquiri consuetudine sed solum praesumptionem inducit concessi privilegii; quod valet solum in casibus in quibus consuetudo habetur legitima nec reprobata. S. C. Concilii, 15 Novembris 1930 (Vide can. 418).

66 1. - S. C. Consistorialis, decreto 25 Aprilis 1918, declaravit introductione novi Codicis iuris canonici cessare facultates quinquennales ante Codicem Episcopis concedi solitas¹.

2. - S. C. Consistorialis, 1 Iulii 1918, declaravit decreto 25 Aprilis 1918 non comprehendi seu non abrogari indulta circa Missas in favorem Seminarii applicandas nonnullis dioecesibus concessa².

3. - S. C. Consistorialis, 2 Augusti 1918, extendit pro Americae Ordinariis certas facultates iam eisdem concessas dispensandi in certis impedimentis matrimonialibus³.

4. - Pius XI, motu proprio 20 Aprilis 1923, determinat quinquennales facultates, a Sancta Sede dari solitas Ordinariis, locorum, in posterum requirendas esse a S. C. Consistoriali⁴.

Can. 41. — 1) *A. A. S.*, XV, 394 sq.

Can. 49. — 1) *A. A. S.*, XV, 225; Sartori, *Enchiridion canonicum*, ad can. 465. Vide etiam can. 462.

Can. 56. — 1) *A. A. S.*, XIV, 501.

Can. 66. — 1) *A. A. S.*, X, 199. — 2) *A. A. S.*, X, 325. — 3) *A. A. S.*, X, 363. Decreto 4 Martii eadem facultates extenduntur ad sex menses post bellum. *A. A. S.*, XI, 120; et declaratione 7 Martii 1921 eadem facultates dicuntur adhuc vigere et aliae promittuntur. *A. A. S.*, XIII, 134; *Periodica*, X, 289. — 4) *A. A. S.*, XV, 193; *Periodica*, XII, 66. Formulas autem nunc adhibitas in his facultatibus concedendis videre poteris in *meis Inst.*, vol. V.

5. - S. C. Consistorialis 8 Decembris 1939 promulgavit *Indicem facultatum* quae a Pio XII « Vicariis castrensibus seu Cappellanis maioribus, quocumque vocantur nomine, in omnibus nationibus aut regionibus in quibus status belli aut militum ad arma convocatio adest vel forte aderit, conceduntur, habitualiter subdelegandae suis cappellanis militaribus aliisque, si velint, sacerdotibus utriusque cleri ratione militiae sibi subditis, dummodo idoneis et dignis, in favorem tum ipsorum sacerdotum et clericorum tum militum aliorumque fidelium exercitum terrae, maris et aëris comitantium, atque perdurante praesenti bello dumtaxat valiturae »⁵.

6. - S. C. Consistorialis, 13 Aprilis 1940, edidit decretum circa iurisdictionem Ordinarii militaris in Italia quod octo numeris constat⁶.

67 Privilegium quo admittuntur advocati ad causas agendas seu defendendas in Curia Romana non dat ius ut admittantur in curiis dioecesanis. Signatura Apost., 15 Decembris 1923¹.

68 Privilegia contra legem et libertatem Ecclesiae stricte interpretanda sunt. S. C. Concilii, 16 Maii 1925 (Vide can. 395).

72 Parochus habitualis nequit renuntiare iuri praesentandi vicarium actualem pro suis successoribus. S. C. Concilii, 13 Iulii 1940 (Cfr. can. 471, 6).

81 1. - S. R. Rota, 10 Augusti 1926, canonem 81 de facultate Ordinariorum dispensandi applicavit etiam ad dispensationem ab impedimentis matrimonialibus¹.

2. - Auctores non conveniunt utrum Ordinarius valeat, praeter casus can. 1043-1045, dispensare ab impedimentis matrimonialibus vi can. 81. S. R. Rota affirmativam sententiam admittit. — Publicus concubinatus, proles illegitime nata, vicens scandalum et necessitas his malis medendi non possunt tamen haberi ut legitimae causae pro dispensatione vi can. 81 et 1045. Gravis causa haberetur e contra, si concubinarius in contrahendi proposito incostans, ab eo iam coepto resilire posset in mora dispensationis obtinendae a S. Sede. At hoc periculum probandum non fingendum est (S. R. Rota, 14 Martii 1927)².

3. - « D. An vi can. 81, conlati cum can. 1045, Ordinarius dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus intra fines eiusdem canonis 81, etsi nondum omnia parata sint ad nuptias.

R. Affirmative ». C. I., 27 Iulii 1942³.

5) *A. A. S.*, XXXI, 710. Has facultates videre poteris in *meis Inst.*, vol. I³, p. 995. — 6) *A. A. S.*, XXXII, 280-281.

Can. 67. — 1) *A. A. S.*, XVI, 105.

Can. 81. — 1) *Decisiones seu Sententiae*, XVIII, 318 et sqs. — 2) *Decisiones seu Sententiae*, XIX, 70-82. — 3) *A. A. S.*, XXXIV, 241.

4. - D. - An clausula can. 81 « nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem » obtineat quoties Ordinarii facile recurrere possunt ad Legatum Romani Pontificis in regione, qui cum eadem Sancta Sede communicat.

R. Negative. C. I., 2 Iunii 1937¹

87 1. - A catholicus, sive baptizatus sive non baptizatus actoris partes in causis matrimonialibus agere nequit ad normam can. 87. Si vero speciales rationes occurrant ad tales ut actores admittendos in his causis ad S. C. S. Officii in singulis casibus recurrendum est. Responsum S. Officii, 27 Ianuarii 1928¹.

2. - S. C. S. Officii, 27 Februarii 1937, proposito sibi dubio ab Ordinario Salisburgensi: « Utrum etiam *apostatae*, ii scilicet qui, nati et baptizati in Ecclesia catholica, postea a vera fide deficientes vel nomen dederint sectae acatholicae vel sine religione esse sese declaraverint, sint recensendi in ordine ad ius accusationis in causis matrimonialibus inter acatholicos? ». Respondit: « Affirmative, seu apostatas a fide ad effectus declarationis S. Officii, diei 18 Ianuarii 1928, recensendos esse inter acatholicos »².

3. - « D. An inter acatholicos qui, iuxta Decretum S. Officii diei 18 Ianuarii 1928, in causis matrimonialibus agere prohibentur, connumerandi sint etiam apostatae a fide. R. Huic dubio proposito sibi S. Congregatio S. Officii, 11 Ianuarii 1940, respondit: Affirmative ». S. Congregatio S. Officii, 15 Ianuarii 1940³.

92 1. - Domicilium et quasi-domicilium ex duplici elemento constituuntur scilicet ex facto actualis commorationis in paroecia et ex animo ibidem manendi perpetuo vel ad maiorem anni partem. At haec duo elementa in personis quae domicilium legale habent a lege ipsa supplentur. Intentio permanendi in paroecia praesumitur ad quasi-domicilium obtinendum postea menstruum commorationem. S. R. Rota, 16 Martii 1920¹.

2. - Ut transferatur et deperdatur domicilium aut quasi-domicilium opus est animo et facto. Domicilium amitti non censetur cum quis ex loco domicilii ratione ineundi coniugii discedit. S. R. Rota, 8 Martii 1924².

3. - Regula, qua ea quae desponsata est, ante matrimonium non mutat domicilium, velat quidem sponsalium titulo acquiri domicilium sponsi, minime vero impedit, quo minus sponsa alia ratione domicilium aut quasi-domicilium acquirat ad contrahendum certo in loco. S. R. Rota, 5 Augusti 1929³.

1) *A. A. S.*, XXXIX, 374.

Can. 87. — 1) *A. A. S.*, XX, 75; *The Ecclesiastical Review*, 1931, p. 308. — 2) *Il Monitore ecclesiastico*, L, 67. — 3) *A. A. S.*, XXXII, 52.

Can. 92. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XII, 54 sqs. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XVI, 90 sqs. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XXI, 370-379.

93 1. - « D. - Utrum uxor, a viro malitiose deserta, possit, ad normam canonis 93, § 2, obtinere proprium ac distinctum domicilium.

R. - Negative, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum ». C. I., die 14 Iulii 1922¹.

2. - C. I., 14 Iulii 1922, non agnovit forum domicilii et quasi-domicilii pro muliere malitiose deserta a viro et pro muliere actrice catholica non legitime separata, admisit e contra forum quasi-domicilii pro muliere a viro acatholico non legitime separata (Vide can. 1964).

98 1. - Benedictus XV, Constitutione Apostolica *Sedis huius*, 14 Maii 1919, declarat se lactum esse in approbando vetere ritu Lusitano Bracarense et approbat revisionem Breviarii factam a Sacra Rituum Congr.¹.

2. - « D. - Utrum qui ad preces parentum, contra praescriptum canonis 756, a ritus alieni ministro baptizati sunt, pertineant ad ritum in quo sunt baptizati, vel ad ritum in quo, iuxta praescriptum canonis 756, baptizari debuissent.

R. - Prout casus exponitur, negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., die 16 Octobris 1919².

3. - Legati apostolici veniam concedere possunt transeundi ad alium ritum. S. C. pro Ecclesia Orient., 6 Dec. 1928³.

4. - « Nati in regione Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis ex parentibus diversi ritus, ritu patris sunt baptizandi; proles enim utriusque sexus sequi omnino debet patris ritum... Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritus est eorum pater, exceptis natis ex illegitimo thoro, qui sequuntur ritum matris ». - Decret. S. C. pro Ecclesia Orient., 1 Martii 1929, nn. 41 et 43⁴.

5. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 23 Novembris 1940, revocavit facultatem, de qua supra, concessam 6 Decembris 1928. Eadem facultas concedendi transitum ad alium ritum nunc uni S. Sedi reservatur⁵.

100 1. - S. C. de Religiosis, 30 Novembris 1922, insistit in necessitate decreti formalis erectionis in fundatione novae cuiusvis religionis (Vide can. 492).

2. - In disceptatione causae *Alberten. et Saskatoon.*, apud S. C. Concilii, 20 Martii 1932, inter alia dicitur decretum erectionis non

Can. 93. — 1) *A. A. S.*, XIV, 526.

Can. 98. — 1) *A. A. S.*, XII, 317. — 2) *A. A. S.*, XI, 478. — 3) *A. A. S.*, XX, 416. At si agatur de sacerdote ad S. C. pro Ecclesia Orientali in singulis casibus recurrendum est. Idem valet pro casibus in quibus Legatus aut Delegatus Sanctae Sedis in regione non existat. Cfr. *Apollinaris*, II, 119 sqs. — 4) *A. A. S.*, XXI, 152; *Periodica*, XVIII, 198 et sqs. Vide etiam decret. eiusdem S. Congregationis, 24 Maii 1930, art. 47, 48; *A. A. S.*, XXII, 346. — 5) *A. A. S.*, XXXIII, 28.

esse necessarium ad valorem erectionis parociae, licet utique ad licentiam requiratur ex can. 1418¹.

101 Si ex novem capitularibus praesentibus in Capitulo tempore electionis quatuor suffragium dant candidato N. N., unus aliam schedulam ferat, quatuor a suffragio ferendo abstineant, electio valida habenda est ad normam can. 101. S. C. Concilii, 12 Novembris 1921 et 10 Iunii 1922¹.

106 1. - Responsum S. C. Concilii, 15 Novembris 1915, 1 Aprilis 1916 et 13 Aprilis 1918, definit praecedentiam in Capitulis in quibus fit transitus ab uno ordine ad alium et corrigitur decretum Cardinalis Mediolanensis quia non conforme iuri communi (Vide can. 408).

2. - Responsis S. C. Concilii, 17 Maii 1919, 15 Decembris 1923, definitur praecedentia Vicarii Generalis, item responso 10 Maii 1931 (Vide can. 370, 397).

3. - S. C. Concilii, 8 Iulii 1922, definit praecedentiam in Capitulis (Vide can. 408).

4. - Responso S. C. Concilii, 9 Iunii 1923, parochus cathedralis ius praecedentiae in collegio parochorum agnoscitur (Vide can. 478).

5. - Decretum S. C. de Prop. Fide 16 Ianuarii 1924, revocat privilegium praecedentiae adnexum titulo missionarii apostolici (Vide can. 4).

6. - Responso C. I. 10 Nov. 1925, definitur praecedentia vicarii foranei canonici Capituli collegialis (Vide can. 450).

7. - « D. - Utrum vi canonis 106, n. 3 praecedentia inter Episcopos suffraganeos in Concilio provinciali aliisque coetibus provincialibus definienda sit a die praecanizationis seu electionis ad episcopatum, an a die promotionis ad ecclesiam suffraganeam.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 10 Novembris 1925¹.

8. - S. R. Rota, 4 Maii 1926, praecedentiam adiudicavit tertio Ordini dominicano super tertium Ordinem franciscanum ob quasi-possessionem demonstratam qua fructus erat tertius Ordo dominicanus².

Can. 100. — 1) *A. A. S.*, XXV, 436.

Can. 101. — 1) *A. A. S.*, XIV, 459.

Can. 106. — 1) *A. A. S.*, XVII, 582. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XVIII, 159 et sqs. In hac causa notatur fontem primum ad dignoscendum ius praecedentiae esse pacificam possessionem, seu quasi-possessionem quae exercita sit ante quamlibet controversiam. Si quasi-possessio sit immemorialis, legitima esse censetur. Quasi-possessio legitima etiam solo animo retinetur et non amittitur si de facto ab alio usurpatur. Ex facto quod qui iure praecedentiae gaudet ab interventu processionis deduci nequit renuntiatio. Si non contulerit de quasi-possessione iuris ad fontem subsidiarium antiquioritatis in loco recurri poterit. Notatur praeterea quae a Gregorio XIII statuta sunt de praecedentia inter Mendicantes applicanda esse ex Urbano VIII, etiam ad Dominicanos qui proinde ad anteriora privilegia provocare nequeunt. Per absentiam seu non interventum processionis impeditur efficaciter

9. - Decreto S. C. Caeremonialis, 5 Aug. 1931, dirimitur controversia de praecedentia inter ordinem Melitensem et Ordinem S. Sepulchri³.

10. - Responsum S. C. Concilii, 10 Decembris 1932, decernit de praecedentia decani Capituli Cathedralis (Vide can. 397).

11. - Decreto S. C. Caeremon. 24 Iulii 1934 definitur praecedentia inter milites pontificios⁴.

12. - S. Rituum C., 25 Augusti 1938, proposito dubio quo loco incedere debeant in processibus pueri habitu talari et clericali induti, qui dicuntur pertinere ad parvulum clerum (piccolo clero) respondit eos incedere debere sub cruce parocchiali aut cathedrali, ante clericos seminaristas⁵.

13. - « D. An ex Codice (can. 106, n. 3; 272; 280; 285; 347) Archiepiscopus Metropolita, qua talis, extra suam provinciam praecedat Archiepiscopo non Metropolita, seu Episcopis suffraganeis carenti. R. Negative ». C. I., 5 Augusti 1941⁶.

111 1. - « D. - I. Utrum ille qui ordinatur a proprio Episcopo servitio alius dioecesis, incardinatur huic alii dioecesi iuxta can. 111, § 2, an potius dioecesi proprii Episcopi iuxta can. 969, § 2. Et quatenus negative ad primam partem: — II. Quonam tempore incardinari debeat dioecesi, cuius servitio ordinatur.

R. Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. — Ad II. Provisum in responsione ad I ». C. I., 17 Augusti 1919¹.

2. - Excardinatio laicorum non habetur de iure Codicis, et laicus per tonsuram incardinatur dioecesi in cuius servitium ordinatur. S. C. Concilii, 10 Martii 1923².

3. - « D. - An vi canonis 111, § 2, conlati cum canone 955, § 1, Episcopus alienum subditum sine legitimis proprii Episcopi litteris dimissoriis ad primam tonsuram promovere licite possit.

R. - Negative ». C. I., 17 Februarii 1930³.

4. - « D. - An ille qui promotus fuit ad primam tonsuram a proprio Episcopo, sed pro servitio alius Dioecesis, cui eo ipso est incardinatus ad normam can. 111, § 2 et Responsi Pontificiae Commissionis diei 17 Augusti 1919 ad II, superiores Ordines recipere debeat a priore Episcopo, an potius ab Episcopo Dioecesis cui rite

exercitium praecedentiae illius qui intervenit super non intervenientes, quia « praecedentiam exercere in absentes, manifesto absurdum sapit ». — 3) *A. A. S.*, XXIII, 385. — 4) *A. A. S.*, XXVI, 523. — 5) Vide *II Monitore ecclesiastico*, I, 284, 285. — 6) *A. A. S.*, XXXIII, 378; *Periodica*, XXXI, 190.

Can. 111. — 1) Responsum hoc non invenitur in *A. A. S.*; *II Monitore Ecclesiastico*, XXXII, (1910) p. 57, illud refert ex *Periodico Irish Theological Quarterly*. Alii illud referunt ut responsum S. C. de Sacramentis. Vide *Cimetier, Pour étudier le Code de droit canonique*, p. 169; *Hilling, Codicis iuris canonici interpretatio*, p. 70; *Archiv für k. K. R.*, vol. 103, p. 169; *Nouvelle Revue théologique*, 47 (1920) 371 sqs.; *Periodica*, XII, 74; XV, (115). — 2) *A. A. S.*, XVI, 51. — 3) *A. A. S.*, XXII, 195; *Apollinaris*, III, 243.

iam incardinatus est, etsi studia theologica absolvere teneatur in alia Dioecesi.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». 7 Decembris 1931 ⁴.

5. - « D. - I. An laicus, qui a proprio Episcopo ad primam tonsuram promotus sit in servitium alius determinatae dioecesis de consensu huius Episcopi, huic dioecesi incardinatus sit ad normam canonis 111, § 2.

R. - Affirmative ». C. I., 24 Iulii 1939 ⁵.

6. - « D. - II. An Episcopus dioecesis, in cuius servitium laicus ad primam tonsuram a proprio Episcopo promotus fuerit, illi iure proprio et exclusivo ordines conferre aut litteras dimissorias dare valeat ad normam canonis 955, § 1, licet ipse in eadem dioecesi domicilium nondum acquisiverit.

R. - Affirmative ». C. I., 24 Iulii 1939 ⁶.

112 Can. 641, § 2, ubi de incardinatione post certum tempus ipso iure facienda, non est applicabilis sociis illarum societatum quae vota non habent, sed solum iusiurandum emittunt perseverantiae in societate. S. C. Concilii, 15 Iulii 1933 ¹.

114 S. C. Concilii, 11 Iulii 1925, post longam discussionem resolvit normam can. 114 non viguisse ante Codicem, nec applicandam esse clerico qui ante Codicem, sine expressa excardinatione obtinuit beneficium residentiale in aliena dioecesi quod, adhuc vigente Codice, retinuit ad certum tempus ¹.

116 Decreto S. C. Consistorialis 30 Decembris 1918, dantur normae de excardinatione et incardinatione clericorum in certas quasdam regiones demigrantium (Vide can. 143) ¹.

118 Soli clerici sunt capaces iurisdictionis ecclesiasticae recipiendae et exercendae. S. C. Concilii, 14 Decembris 1918 (Vide can. 1574).

121 S. C. de Religiosis, responso 22 Decembris 1918, consuluit religiosi qui, bello perdurante, militiae nomen dare coacti, impares facti sunt ad regularem vitam instaurandam, bello expleto ¹.

⁴) *Periodica*, XXIII, 189. Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* — ⁵) *A. A. S.*, XXXI, 321. — ⁶) *A. A. S.*, XXXI, 321.

Can. 112. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 234.

Can. 114. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 48 sqq. Vide *II Monitorio ecclesiastico*, vol. 38, p. 260 et sqs.

Can. 116. — 1) *Periodica*, X, 42.

Can. 121. — 1) *A. A. S.*, XI, 18; *Periodica*, X, 66.

125 1. - Recitatio rosarii marialis ditatur amplissimis indulgentiis a Pio XI. Litteris Apostolicis 4 Septembris 1927 (Vide can. 934).

2. - Pius XI, Brevi *Litteris nostris*, 3 Iunii 1932, indulgentias concessas pro visitatione Sanctissimi Sacramenti auxit ¹.

126 Videri possunt:

1. - Constit. Apostolica Pii XI, *Summorum Pontificum*, 25 Iulii 1922, qua S. Ignatius Loyolen. exercitiorum spiritualium patronus declaratur ¹.

2. - Epistola Apostolica 3 Decembris 1922 qua Pius XI, occasione anniversarii canonizationis Sancti Ignatii, iterum commendat exercitia methodo ignatiana facta ².

3. - Litterae Pii XI, 20 Dec. 1929, quibus exercitiorum spiritualium usus inculcatur ³.

4. - Litterae Encyclicae Pii XII, *Mediator Dei*, 20 Novembris 1947 ⁴.

127 1. - S. C. Concilii, 15 Martii 1927, propositis dubiis: « I. Utrum Ordinario ius sit et officium interdicendi per praeceptum actionem politicam viris ecclesiasticis, qui in ea explicanda non se conformant instructionibus Sanctae Sedis. — Et quatenus affirmative: — II. An qui praeceptum violaverint et moniti non se emendaverint, congrua poena puniri possint et debeant ad normam sacrorum canonum ». Respondit: « Affirmative ad utrumque » (Vide can. 139) ¹.

2. - S. C. Consistorialis, 4 Februarii 1929, declaravit non expedire ut Ordinarii permittant clericis nomen dare societati *Rotary Clubs* ².

129 Suis litteris encyclicis 15 Septembris 1920, Benedictus XV hortatur clericos ad studia Sacrae Scripturae ¹.

130 1. - Clerici universitates laicas frequentantes si novensiles sint, ab examinibus quae in can. 130 et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius iubeantur,

Can. 125. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 241. Huiusmodi indulgentiae sunt: « Fidelibus, qui SS. Sacramentum devote visitaverint et quinquies *Pater, Ave et Gloria* recitaverint, ac praeterea semel has eadem preces ad mentem Summi Pontificis iteraverint, conceditur: Indulgentia decem annorum; indulgentia plenaria semel in hebdomada, si quotidie per integram hebdomadam idem obsequium devote praestiterint, additis confessione et sacra communione ». Cfr. *Preces et pia opera in favorem omnium Christianorum... indulgentiis ditata*, 1938, n. 120, p. 66, 67.

Can. 126. — 1) *A. A. S.*, XIV, 420. — 2) *A. A. S.*, XIV, 627. — 3) *A. A. S.*, XXI, 689. — 4) *L'Osservatore Romano*, 30 Nov. 1947.

Can. 127. — 1) *A. A. S.*, XIX, 138. — 2) *A. A. S.*, XXI, 42. *Nouvelle Revue théologique*, 56 (1929), 334.

Can. 129. — 1) *A. A. S.*, XII, 385.

ne profanarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum canonis 129, Decretum S. C. Consistorialis, 30 Aprilis 1918 (Vide can. 1380) ¹.

2. - In examine ad paroccias ratio habenda est examinum can. 130; quae tamen examen candidatorum ad paroccias supplere non possunt. C. I., 24 Novembris 1920, ad VI (Vide can. 459).

3. - Vicarii et parochi religiosi examen de quo in c. 130 subire non tenentur coram Ordinario loci si illud coram Superioribus subeant de quo in c. 590. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 590).

131 « D. - An inter *curam animarum habentes*, de quibus in canone 131, § 3, recensendi sint religiosi sacerdotes, qui munere funguntur catechistae, vel vicarii cooperatores, vel cappellani a parcho dependentis in nosocomiis aliisque piis domibus.

R. - Negative quoad religiosos catechistas; affirmative quoad religiosos vicarios cooperatores, vel cappellanos, si, ad normam canonis 476, § 6 Codicis I. C., vicem parochi suppleant eumque adiuvant in universo parochiali ministerio ». C. I., 12 Februarii 1935 ¹.

132 Videri possunt:

1. - Litterae Benedicti XV, *Multiplices*, 12 Martii 1919, ad Card. Czernoch, ubi haec leguntur: « Alte vehementerque denuntient Episcopi nullam prorsus ab Apostolica Sede de sacerdotalis continentiae lege permitti posse quaestionem, quae quidem lex ab ipsa tanquam peculiare ornamentum habetur Ecclesiae latinae, eiusdemque fons quidam praecipuus actuosae virtutis » ¹.

2. - Epistolae Benedicti XV, ad archiepiscopum Kordak, 3 et 29 Ianuarii 1930, de eadem re, idest de lege coelibatus clericalis non-relaxanda ².

135 Huc referri possunt:

1. - Responsum S. C. Concilii, 9 Iulii 1921, de obligatione Episcopi recitandi horas canonicas adimpleta certis in casibus per recitationem precum a Caeremoniali Episcoporum praeceptarum (Vide can. 1475).

2. - Decretum S. Poenit., 23 Octobris 1930, quo recitatio divini Officii coram SS. Sacramento indulgentia plenaria ditatur ¹.

3. - Decretum S. Poenitentiariae, 5 Decembris 1930, quo indulgentia plenaria pro recitatione Officii divini ad mulieres in communitate viventes et ad moniales extenditur ².

Can. 130. — 1) *A. A. S.*, X, 237; *Periodica*, IX, 120.

Can. 131 — 1) *A. A. S.*, XXVII, 92; *Revue des Communautés Religieuses*, XI (1935), 81.

Can. 132. — 1) *A. A. S.*, XI, 122. — 2) *A. A. S.*, XII, 33 et 37. Cfr. etiam *Allocutionem* Benedicti XV, 16 Decembris 1920. *A. A. S.*, XII, 585.

Can. 135. — 1) *A. A. S.*, XXII, 493. — 2) *A. A. S.*, XXIII, 23.

4. - Decretum S. Poenit., 7 Nov. 1932, quo eadem indulgentia de qua n. 2^o, extenditur ad recitationem precum in quas commutatum fuit divinum Officium ³.

5. - Decretum S. Poenit., 18 Maii 1933, quo indulgentia 500 dierum pro unaquaque hora canonica conceditur iis qui divinum Officium coram SS. Sacramento ex parte tantum recitaverint ⁴.

6. - Decretum S. Poenit., 31 Martii 1937, quo eadem indulgentiae de quibus supra 2 et 5, extenduntur clericis omnibus, inde a prima tonsura, necnon novitiis et studentibus quorumcumque institutorum religiosorum, sive qui forte ex proprii instituti constitutionibus, sive etiam qui nullo adhuc titulo ad divini Officii recitationem adstringantur, si integrum Officium, etsi in partes distributum, coram SS. Sacramento, seu publicae adorationi sollemniter exposito seu etiam in sacro tabernaculo adservato, pie recitaverint ⁵.

7. - Responsum S. Poenitentiariae, 14 Decembris 1937, quo declaratur responsum supra relatum 31 Martii 1937, non esse applicabile novitiis et studentibus mulieribus communitatum muliebrium ⁶.

8. - Pius XII, Motu Proprio *In cotidianis precibus*, 24 Martii 1945, permittit omnibus qui officio tenentur quotidie horas canonicas recitare, ut sive in privata sive in publica recitatione, si libuerit, utantur, postquam ad psalterium Breviarii Romani accommodata fuerit, nova psalmodum traductione a Libreria Vaticana edita ⁷.

9. - S. C. Rituum, 26 Iulii 1946, declaravit novum psalterium inseri posse in novis editionibus Breviarii Romani ⁸.

136 1. - S. C. Concilii, 10 Ianuarii 1920, ad dubium: « An Codice iuris canonici data sit quibuscumque clericis saecularibus libertas gestandi barbam et, respective, an Episcopis competat prohibitionem hucusque vigentem in suo robore sustinere pro dioecesibus suis ». Respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad alteram » ¹.

2. - S. C. Concilii, decreto diei 28 Iulii 1931, ad omnes abusos removendos et ad disciplinam ecclesiasticam firmandam atque urgentiam mandat, ut omnes clerici, praeter clericalem tonsuram, decentem habitum ecclesiasticam publice semper, non excepto tempore aestivarum vacationum, deferant, habitum scilicet, quem legitima consuetudo et Ordinarii loci praescriptum in propria regione ordini clericali congruentem agnoverint. Peculiarem Ordinarios locorum diligentiam atque vigilantiam excitat, qui, si casus ferat, in

3) *A. A. S.*, XXIV, 411. — 4) *A. A. S.*, XXV, 322. — 5) Cfr. *Praes et pia opera in favorem omnium christifidelium vel quorundam coetuum personarum indulgentiis dilata et opportune recognita*, Romae, 1938, n. 674, p. 540; *Periodica*, XXVI, 513. — 6) *Periodica*, XXVII, 621. — 7) *A. A. S.*, XXXVII, 65-67. — 8) Cfr. apud *Il Monitore ecclesiastico*, 1946, 157.

Can. 136. — 1) *A. A. S.*, XII, 43. Cfr. de hac quaestione et resolutione Vermeersch, in *Periodica*, X, 190, 191; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 32, p. 106 et sq.; H. Bremer, in *Theologische praktische Quartalschrift*, 1919, 224-234 et 571-578.

renitentes animadvertant ad normam canonum 136, § 3, 188, n. 7, 2379².

138 I. - S. Congregatio Christiano Nomini Propagando difficultatibus obvenire cupiens, quae ex inconsulto Missionariorum erga terrestrem patriam studio oriri facile possunt in discrimen evangelicae praedicationis, sequentia practica monita opportunum censuit dare:

« I. Vitent itaque Missionarii patrii sermonis inter alienigenas propagandi studium; ne ita videantur nationis suae commodo atque utilitati magis quam animarum saluti prospicere (Per hoc tamen nullatenus prohibetur quominus in Scholis missionum eae etiam linguae europeae opportune edoceantur, quae alumnorum utilitati cedere queant). Curent populorum ad quos missi sunt linguae genus addiscere; eademque lingua vernacula sermones de rebus divinis, christianae doctrinae institutiones, publicae in scholis atque in aliis id generis coetibus sacrae allocutiones, semper fiant, ut omnibus prodesse et ab omnibus audiri atque intelligi possint.

Pariter lingua vernacula preces, extra sacram liturgiam, recitentur, eodemque sermone popularia cantica hynique cantantur. Vetatur autem omnino Missionariis quominus alienigenas ad confessionem sacramentalem alia lingua quam eorumdem christifidelium propria peragendam quomodolibet inducant.

II. Caveant insuper Missionarii ne peculiare patriae suae leges aut consuetudines, praecipue quod ad ieiunii et abstinentiae, nec non festorum de praecepto observantiam attinet, inter populos quibus evangelium annuntiant inducere conentur, quasi regulam de iisdem legibus particularibus et consuetudinibus efformando; sed omnino curent ut ecclesiastica disciplina in omnibus prouti in universali Ecclesia viget ubique inducatur sancteque servetur.

III. Vitare pariter curent Missionarii quodlibet studium promovendi inter populos sibi concreditos suae nationis vel imperii aut reipublicae potestatis praeposteram pervasionem; ne videantur quae patriae suae terrestres sunt quaerere, non quae Iesu Christi regni coelestis.

Politicarum itaque atque temporalium rerum cuiusvis generis curis in favorem nationis suae vel etiam alterius sese nunquam admisceant; sed hoc unum prae oculis iugiter habeant supremum sanctumque negotium: animarum nempe luerum assequendum. Deique gloriam totis viribus propagandam.

IV. Quodcumque denique fuerit gubernii civilis regimen in regionibus, ad quas evangelici operarii mittentur, populos cohortari ne negligant, ut civilibus constitutis potestatibus fideliter pareant,

²) A. A. S., XXIII, 336. Cfr. *The Irish Ecclesiastical Record*, 1937, p. 499; *Nouvelle Revue théologique*, 58 (1931), 818; *Periodica*, XXI, 26 sqs.

eisque se subiiciant, uti Apostolus docet, non tanquam hominibus, sed tanquam Domino servientes; atque in hoc exemplo sint omnibus: debitum obsequium erga cuiusque loci civiles potestates ostendentes, earumque leges, dummodo honestas et Religioni non adversas, probe colentes.

Circa vero populorum studia de una potius quam alia civilis regiminis forma, aliaque huiusmodi de rebus mere politicis vota, Missionarii catholici curent omnino neutri parti se addicere; atque iis in adiunctis semper constanterque politicorum motuum negotiis se extraneos servant; neque audeant de quaestionibus profanis, quae politicam redolent sive in ecclesia, cathedram christianam profanantes (can. 1347 Iur. Can.), sive extra ecclesiam, absque Ordinarii venia, publice concionari.

V. Abstineant omnino a promovendo adiuvandoque commercio sive cum patria propria sive cum aliis regionibus memores verbi Apostoli ad Timotheum: « *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* ».

VI. Studiose servent canonem Iur. Can. 1386 quo « vetantur clerici, sive saeculares sive religiosi, sine licentia Superiorum libros de rebus profanis edere, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari »; quae de rebus praesertim politicis dicta intelligantur.

VII. In commentariis quae de rebus missionum vulgantur studium appareat Dei regnum tantum dilatandi, non autem propriae civitatis amplitudinem augendi, cum hoc quam maxime abalienet a religione sancta animas ethnicorum (Litt. Enc. *Maximum illud*).

Atque haec quidem Moderatores missionum et Superiores sive Ordinum sive Institutorum, quibus missionum cura concredita est, suis subditis inculcare atque declarare studeant ut ab omnibus plena circa ea oboedientia plenumque obsequium praestetur.

Hac ratione singuli populi, ad quos Catholica Religio evangelicos suos mittet operarios, eorumque gubernatores facile intelligent eos non quae huius saeculi sunt, sed quae animarum salutem, veritatis propagationem ac gentium felicitatem respiciunt unice quaerere. Hac item ratione auspiciatissimus dies citius illucescet, quo omnes terrae populos in unum ovile sub uno Pastore congregatos Ecclesia laetanter adspiciet ».

S. C. de Propaganda Fide, 6 Ianuarii 1920¹.

2. - S. C. Concilii, 11 Iunii 1921, ad dubium: « An Episcopus prohibere possit suis clericis venationem etiam non clamorosa poena suspensionis ipso facto incurrenda ». Respondit: « Negative, nisi graves et speciales adsint rationes »².

3. - « Suprema S. C. S. Officii, incommodis mature perpensis, quae

Can. 138. — 1) *Sylloge praecipuorum documentorum recentium Summarum Pontificum et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, necnon aliarum SS. Congregationum Romanarum*, 1939, Typis Vaticanis, n. 77, p. 133. — 2) A. A. S., XIII, 498.

in religionis veraeque pietatis detrimentum cedunt ex *Radiaesthesiae* consultationibus a clericis peractis circa personarum circumstantias et eventus divinandos, ac prae oculis habitis quae in cc. 138 et 139, § 1 Codicis Iuris Canonici statuuntur ad clericos religiososque ab iis rebus arcendos quae ipsorum officium dignitatemque dedeant aut eorum auctoritati nocere possint, haec quae sequuntur decernit, quin tamen quaestiones scientificas de *Radiaesthesia* hoc decreto attingere velit:

Excellentissimis nempe locorum Ordinariis et Religiosorum Superioribus mandat ut suis clericis et religiosis districta ratione prohibeant quominus ad illas *Radiaesthesiae* scrutationes unquam procedant, quae supradictas scrutationes respiciant.

Eorundem Ordinariorum vel Superiorum religiosorum erit, si id necessarium vel opportunum duxerint, huiusmodi vetito poenali sanctionum minas addere.

Quod si quis ex clericis et religiosis hoc vetitum transgrediens recidivus fiat, vel gravibus, incommodis aut scandalo locum dederit, Ordinarii vel Superiores id deferant ad hoc S. Supremum tribunal.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 26 Martii 1942 »³.

139 1. - « Explorati iuris est non posse clericos *sine apostolico indulto officia publica quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secum ferunt, assumere* (cfr. Novum Cod. iur. can., can. 139, § 2), ideoque nec munere fungi *Officialis civilis ad matrimonia*. Apostolico autem indulto ad postremi huius muneris exercitium intercedente, cum eorum adsistentia validitatem matrimonio conferat in foro civili, dubitandum non est adsistentiam ipsam matrimoniis haereticorum et infidelium, generatim loquendo, adhuc manere illicitam si forte determinati alicuius matrimonii validitati obstet impedimentum dirimens iuris naturae vel positivi divini, vel etiam ratione scandali. Siquidem igitur huiusmodi Apostolicum indultum ratio boni publici missionariis impertiendum suadeat, nihil prohibet quominus per Sacram Congregationem de Propaganda Fide Vicariis Apostolicis illud implorantibus concedatur, dummodo tamen: — 1) Nullum matrimonio obstet impedimentum dirimens iuris naturalis vel divini. — 2) Nulla in pactum deducatur conditio matrimonii substantiae repugnans. — 3) Nulla actui civili haeretica aut superstitiosa caeremonia adiungatur. — 4) Nullum demum, adsit scandalum vel periculum fovendi indifferentissimum religiosum ». S. C. S. Officii, 25 Iulii 1917¹.

2. - « D. - Utrum quoad licentias habendas, de quibus in de-

³⁾ *A. A. S.*, XXXIV, 148; *Il Monitore ecclesiastico*, 1942, 57-59.
Can. 139. — 1) Cfr. *Sylloge praecipuorum documentorum Summorum Pontificum et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide necnon aliarum Sacrarum Congregationum Romanarum. Ad usum missionariorum*. Typis polyglottis Vaticanis, 1939, n. 60, p. 98.

creto *Docente Apostolo*, 18 Novembris 1910, recurrendum sit ad S. Sedem, an vero ad proprium Ordinarium.

R. - Ad Ordinarium proprium ». C. I., 2-3 Iunii 1918².

3. - D. « An in Colonia Africae Centralis munus adessoris, non obligatorium et mere consultivum in tribunali pro causis indigenarum, acceptari possit a sacerdotibus cum intentione explicita non sistendi in causis criminalibus, in quibus gravis poena personalis plecti possit ». Praeses C. I., 14 Maii 1919, respondit: « Affirmative, de licentia Ordinarii »³.

4. - « D. I. An S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, sive residentiales sive titulares, ad normam can. 139, § 4, munus senatorum aut deputatorum sollicitare vel acceptare possint.

I. An Ordinarii locorum in concedenda licentia sacerdotibus, qui se candidatos ad deputatorum comitia sistere cupiunt, potius difficiles quam faciles se praebere debeant.

R. Ad I. Negative, et ad mentem. Mens est: Si vi constitutionis civitatis, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi sint de iure senatores, et Sancta Sedes aliquo modo id probaverit, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi possunt sine speciali licentia Sanctae Sedes huiusmodi munus explere, dummodo per Vicarium generalem aliove modo suis obligationibus satisfaciant. In quolibet autem alio casu Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, sive residentiales sive titulares indigent venia Sanctae Sedes.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 25 Aprilis 1922⁴.

5. - S. C. Consistorialis, 18 Novembris 1910, ad avertendos clericos ab iis suscipiendis muneribus quae administrationis curas, obligationes, et pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris a secretis, arcarii, horumque similium etiam in operibus quae *socialia* vocantur, statuerat ut clerici qui talia munera gererent eadem infra quatuor menses dimitterent, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere aut exercere posset nisi de Apostolica Sedes peculiari licentia. Codex licentiam S. Sedes non amplius requirit. Commissio Codicem interpretata, decretum abrogatum declarat (Cfr. supra n. 2 hoc canone).

Verum, ad obviandum variis incommodis quae in Italia verificata sunt, Summus Pontifex, litteris circularibus ad Ordinarios Italiae missis, statuit ut deinceps, seu a datatione ipsarum litterarum, 6 Iunii 1923, nullus vir ecclesiasticus in Italia et in Insulis adiacentibus, sine explicita S. C. Concilii licentia, officia de quibus supra suscipere posset, utque ii, qui iisdem forte iam fungerentur intra

²⁾ *A. A. S.*, X, 344. Agitur de officiis quae curam administrationis in operibus socialibus implicent. Cfr. *Periodica*, IX, 151. Cfr. etiam n. 5 hoc in canone. — ³⁾ *Sylloge*, n. 69, p. 107. — ⁴⁾ *A. A. S.*, XIV, 313.

annum dimitterent vel ad S. Sedem obtinendae licentiae causa recurrerent⁵.

6. - S. C. Concilii, 26 Februarii 1927, ad dubia: « I. Utrum Ordinario ius sit et officium interdicens per praeceptum actionem politicam viris ecclesiasticis, qui in ea explicanda non se conformant instructionibus S. Sedis; — et quatenus affirmative: II. An qui praeceptum violaverint, et moniti non se emendaverint, congrua poena puniri possint et debeant ad normam sacrorum canonum », respondit: « Affirmative ad utrumque »⁶.

7. - S. C. Consistorialis, 4 Februarii 1929, ad dubium: « An Ordinarii permittere possint clericis ut nomen dent societatibus, hodiernis temporibus constitutis, quibus titulis *Rotary Clubs*, vel ut earumdem coetibus saltem intersint », respondit: Non expedire⁷.

8. - S. C. de Propaganda Fide, Instructione 11 Februarii 1936, permittit religiosis institutis Sororum missionariorum universitates sub certis cautionibus adire ad medicinam addiscendam et ad eandem exercendam etiam in munere obstetricis pro locis missionum (Vide can. 492)⁸.

140 1. - S. C. Consistorialis, 31 Martii 1916, vetuit sacerdotibus quibuslibet promovere aut fovere choreas ad pia opera sustentanda, itemque prohibuit choreis ad id promotis clericis interesse¹.

2. - S. C. Consistorialis, 10 Dec. 1917, declaravit in decreto 31 Martii 1916 de quo in n. 1, comprehendi etiam choreas quae fiant diurnis horis, nec nimium protractis, necnon eas quae in America Septentrionali fieri solent methodo vulgo appellata *Pic-nic*².

3. - Vicariatus Urbis decreto, 25 Maii 1918, utrique clero prohibuit publicis spectaculis et cinematographis interesse³.

4. - S. C. Concilii, litteris circularibus 1 Iulii 1926, dat normas servandas a clericis vacationis causa extra proprias dioeceses (Vide can. 143).

141 1. - Decretum S. C. Consistorialis, 25 Octobris 1918, Ordinariis facultatem tribuit dispensandi ab irregularitatibus ex defectu corporis pro redeuntibus a militia; item ex defectu lenitatis; statuit redeuntibus a militia clericis exercitiis spiritualibus vacare debere; Episcopis commendat prudentiam in promovendis ad ordines clericis etc.⁴. Redeuntibus autem a militia sunt etiam ii qui licentiam indefinitam (licenza illimitata) obtinuerunt. S. C. Consist. 21 Dec. 1918⁵.

⁵ *Il Monitore ecclesiastico*, XXXV (1923), p. 304; *Periodica*, IX, 151; *Ius pontificium*, 1921, 21. — ⁶ *A. A. S.*, XIX, 138. — ⁷ *A. A. S.*, XXI, 42. — ⁸ *Nouvelle Revue théologique* (1936), 580.

Can. 140. — 1) *A. A. S.*, XIII, 117. — 2) *A. A. S.*, X, 17. — 3) *A. A. S.*, X, 309. Cfr. *Nouvelle Revue théologique*, 47 (1920), 450.

Can. 141. — 1) *A. A. S.*, X, 181. Cfr. *Periodica*, IX, 128 et sqs. — 2) *A. A. S.*, XI, 6.

Ordinarios autem nomine in decreto 25 Oct. 1918, veniunt etiam Superiores generales Congregationum SS. Cordis Betharram et Missionariorum de la Salette. S. C. Consist., 20 Ianuarii 1919³.

2. - S. C. de Propaganda Fide, 15 Ianuarii 1919, extendit ad instituta missionaria decretum S. C. Consist. 25 Oct. 1918⁴.

3. - Cessare declarantur facultates speciales sacerdotibus, durante bello concessae. S. C. Consistorialis, 22 Februarii 1919⁵.

4. - Clerici milites qui in bello sponte pugnarunt, etsi neminem occiderint, indigent dispensatione ab irregularitate. S. C. Consist. 28 Mart. 1919⁶.

5. - Hunc spectant etiam responsa S. C. de Religiosis, 15 Iulii 1919 et 30 Novembris 1919 circa religiosos servitio militari adstrictos (Vide can. 574).

6. - S. C. de Propaganda Fide, responso 18 Iulii 1932 ad Superiorem Generalem Societatis Missionum Africanarum Lugdunensium dato, declaravit decretum *Inter reliquas*, 1 Ianuarii 1911, obligare etiam sodales talis Societatis⁷.

142 De vitando commercio a Missionariis conferenda est Instructio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, 6 Ianuarii 1920 (Vide can. 138).

143 1. - Decreto *Magni semper*, S. C. Consistorialis, 30 Dec. 1918, dantur normae pro clericis in certas quasdam regiones trans Oceanum demigrantibus, et poena suspensionis a divinis statuatur Sanctae Sedi simpliciter reservata in demigrantes sine licentia et litteris dimissorialibus sui Ordinarii¹.

2. - Litteris Circularibus S. C. Concilii, 1 Iulii 1926, speciali vigilantiae Ordinarios locorum submittuntur sacerdotes qui valetudinis aut rusticationis causa extra suam dioecesim se conferunt².

3. - S. C. de Religiosis sua Epistola, 15 Iulii 1926, ad Superiores Religiosos data, normas edidit servandas a religiosis *stationes balneares* adeuntibus. In ipsa commendatur Superioribus ne facile permittant stationes balneares adire; adeuntes autem in religiosa aliqua domo degant; profana omnia spectacula vitent; habitum religiosum nunquam deponant³.

4. - Decretum S. C. Concilii, 22 Februarii 1927, dat normas servandas a sacerdotibus qui in scholis statalibus magistri munere funguntur⁴.

³ *A. A. S.*, XI, 43. — ⁴ *A. A. S.*, XI, 51. — ⁵ *A. A. S.*, XI, 74. — ⁶ *A. A. S.*, XI, 177. — ⁷ *Sylloge*, n. 170, pag. 438.

Can. 143. — 1) *A. A. S.*, XI, 39. *Periodica*, X, 38 et sqs. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 312; *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1931, p. 78. — 3) Haec Epistola, sicut et praecedentes Litterae circulares S. C. Concilii, legi possunt in meis *Institutionibus Iuris Canonici*, I, ed. III, in Appendice. — 4) *A. A. S.*, XIX, 99.

5. - Conferri etiam possunt decreta S. C. pro Ecclesia Orientali 23 Dec. 1929 et 7 Ianuarii 1930 de clericis orientalibus in exteris regiones migrantibus (Vide can. 1).

152 Decreto S. C. Concilii 26 Februarii 1919 cessare declarantur speciales facultates decreto 14 Novembris 1916 concessae circa provisionem officiorum et beneficiorum tempore belli ¹.

160 1. - Motu proprio 1 Martii 1922, Pius XI modificat Constit. *Vacante Sede* de electione Romani Pontificis (Vide can. 241) ².

2. - Pius XI, motu proprio 12 Martii 1922, conclavistis clericis aliqua privilegia concedit ².

3. - Pius XII, sua Constitutione *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 Decembris 1945, abrogata Constitutione *Vacante Sede Apostolica* Pii X quae hucusque referebatur ad calcem Codicis, legem promulgavit de electione Romani Pontificis et de regimine Ecclesiae durante vacatione Sedis Apostolicae. In ipsa maxima ex parte leges hucusque hac de re vigentes referuntur, quaedam tamen de novo statuuntur et quaedam immutantur. Haec prae aliis adnotamus: decernitur ut Cardinales praesentes absentes expectare debeant quindecim aut summum duodeviginti dies (n. 37); ad secretum servandum prohibetur introductio in conclave cuiuslibet instrumenti telegraphici, telephonici, microphonici, radiophonici, photographici, cinematographici, etc. (n. 64). Innovatio maximi momenti in hoc habetur quod in posterum electus censendus erit is qui duas tertias partes suffragiorum retulerit, uno insuper addito suffragio (nn. 68, 86, 90). Scheda electionis valde simplificada est nec elector amplius suum nomen in ea scribere debet, quia nunquam aderit necessitas verificandi utrum aliquis Cardinalis sibi suffragium dederit (n. 72 et § ss.) ³.

162 Contemptus in electione potest a Superiore vel iudice petere ut irrita declaretur electio. Si petere negligat, censetur iuri suo renuntiasse. Superior, ob contemptum electoris, nequit electionem irritare nisi ipse elector id petat praecise ratione contemptus. S. R. Rota, 13 Iulii 1918 ¹.

175 Benedictus XV, 11 Februarii 1920, non obstantibus iuris novi praescriptis concessit: « I. In Ordine Praedicatorum servari posse primordiale suam praxim, iuxta quam, usque in hunc diem, electionis intimatio electo fit a confirmatore: — II. In Ordine Praedicatorum, iuxta eandem praxim primordiale, ius esse confirmatori electionem cassandi, etiamsi electio ad normam iuris facta fuerit,

Can. 152. — 1) *A. A. S.*, XI, 77; *Periodicu*, X, 60.

Can. 160. — 1) *A. A. S.*, XIV, 145. — 2) *A. A. S.*, XVI, 177. — 3) *A. A. S.*, XXXVIII, 65-99.

Can. 162. — 1) *Decisiones seu sententiae*, X, 99 et seqs.

quotiescumque, secundum iudicium rationis, cassationem electionis ad bonum commune Ordinis expedire iudicaverit » ¹.

177 « D. Utrum confirmator teneatur, ad normam can. 177, § 2, confirmationem dare, si electum repererit idoneum et electio ad normam iuris fuerit peracta, vel possit confirmationem denegare, non quidem secundum libitum suae voluntatis, sed pro bono communi, secundum iudicium rationis. — R. Affirmative, ad primam partem: si tamen iudicium rationis (nempe grave) militet contra electionem, id indicat subiectum minus idoneum esse, ac proinde Superiorem posse confirmationem denegare ». Praeses C. I. 4 Novembris 1919, ad Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum (Vide etiam can. 175) ¹.

180 « D. — I. Utrum ad normam canonis 180, § 1, concurrente postulatione cum electione, si in primo, altero et tertio scrutinio suffragia dividantur inter postulatum et eligibilem, atque nec postulatus duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, nec eligibilis maiorem absolutam sed relativam tantum, hic valide electus sit.

II. Si plures sint eligibiles, utrum valide electus sit qui inter eos maiorem obtinuerit relativam.

R. - Ad I. Affirmative, seu in tertio scrutinio valide eligi maiorem relativam, excluso postulato.

Ad II. Affirmative, seu inter eligendos valide eligi eum qui obtinuit maiorem relativam, excluso, hoc quoque in casu, postulato ». C. I., 1 Iulii 1922 ¹.

181 « D. - Utrum instrumentum postulationis ad Provinciale mitti debeat, an directe ad alium habentem facultatem dispensandi, id est vel ad Superiorem generalem, vel ad Romanum Pontificem.

R. - Instrumentum postulationis, ad normam can. 181, § 1, mitti potest ad Superiorem, ad quem pertinet electionem confirmare etc. per tramitem Provincialis ». Praeses C. I., 4 Novembris 1919 ¹.

189 1. - « D. - Utrum, ad normam canonis 189, § 2, Ordinarius renuntiationem valide acceptare possit, elapso iam integro mense a renuntiatione facta, quin nova intercesserit resignatio.

R. - Affirmative, nisi resignatarius ante acceptationem renuntia-

Can. 175. — 1) *Analecta Ordinis Praedicatorum*, XIV, 3.

Can. 177. — 1) Responsum non est promulgatum in *A. A. S.*, refertur autem a Fanfani, *De iure religiosorum*, ed. 2, n. 109, p. 126-127.

Can. 180. — 1) *A. A. S.*, XIV, 406; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 305.

Can. 181. — 1) Responsum non est promulgatum in *A. A. S.*; reperies autem apud Fanfani, *De iure religiosorum*, ed. 2, n. 115, p. 132. Datum vero dicitur Magistro Generali Ord. Praedicatorum, et ad iuris specialis interpretationem refertur.

tionis, renuntiationem Ordinario exhibitam revocaverit et revocationem Ordinario significaverint ». C. I., 14 Iulii 1922 ¹

2. - Pensio paroco renuntianti super paroeciam renuntiatam non est contraria canonibus Codicis. S. C. Concilii, 11 Nov. 1922 ².

3. - Ordinarius potest admittere renuntiationem cum reservatione pensionis in favorem renuntiantis. C. I., 20 Maii 1923 (Vide can. 1429).

191 « D. - Utrum, ad normam canonis 191, § 1, resignans renuntiationem revocare valeat ante acceptationem.

R. - Affirmative ». C. I., 14 Iulii 1922 ¹.

198 Huc referri possunt:

1. - Decretum S. C. Consistorialis, 30 Aprilis 1918, de ordinariatu in classi gallica ¹.

2. - Decretum S. C. Consistorialis, 3 Septembris 1918, de Ordinario profugorum in Italia tempore belli ².

3. - Decretum S. C. de Prop. Fide, 8 Decembris 1919, quo datur Superioribus Missionum facultas nominandi vicarium delegatum qui practice omnia possit quae Vicarius generalis (Vide can. 294).

4. - Decretum S. C. Consistorialis, 23 Octobris 1920, de Ordinario pro Italis emigrantibus ³.

5. - Decretum S. C. Consistorialis, 6 Martii 1925, de Ordinariatu militari in Italia ⁴.

6. - Litterae Apost. Pii XI, 19 Septembris 1935, de statutis circa curam spiritualem in exercitu germanico ⁵.

199 1. - Ex responso C. I., 16 Octobris 1919, parochi aliive sacerdotes delegati ad universalitatem causarum nequeunt iurisdictionem ad confessiones delegare (Vide can. 874).

2. - Ordinarius delegare potest facultatem celebrandi extra locum sacrum de qua in can. 822, § 4; licet enim illa facultas eidem Ordinario per modum actus concedatur, est tamen potestas ordinaria et intra limites a iure concessos delegari potest. S. C. de Sacramentis, 5 Ianuarii 1928, adnotationibus Secretarii ¹.

3. - S. C. Concilii, 9 Februarii 1928, proposito dubio: « Utrum Moderator pie unionis alium sacerdotem subdelegare possit ad benedicendum et imponendum numisma in actu adscriptionis, quamvis

Can. 189. — 1) *A. A. S.*, XIV, 526. — 2) *A. A. S.*, XV, 454.

Can. 191. — 1) *A. A. S.*, XIV, 527.

Can. 198. — 1) *A. A. S.*, X, 238. — 2) *A. A. S.*, X, 415. — 3) *A. A. S.*, XII, 534. — 4) *A. A. S.*, XVIII, 42. — 5) *A. A. S.*, XXVII, 367; *Apollinaris*, IX, 12.

Can. 199. — 1) *A. A. S.*, XX, 79; *Periodica*, XVII, 25.

in eiusdem pie unionis statutis id expresse non declaretur ». — Respondit: « Affirmative » ².

4. « D. An Delegato episcopali cui conceditur facultas delegata ad universitatem negotiorum iuxta can. 199, § 1, hoc ipso concessa intelligatur vel saltem concedi possit delegatio generalis ad assistendum matrimoniis attento can. 1096, § 1.

R. Negative ». C. I., 25 Ianuarii 1943 ³.

209 S. R. Rota, 22 Novembris 1927, canonem 209 de Ecclesia supplente iurisdictionem sacerdoti assistenti sine iurisdictione matrimoniis ob errorem communem applicavit ¹.

214 1. - Ad validitatem ordinationis requiritur intentio saltem habitualis recipiendi ordines. Intentio vero actualis et virtualis non requiritur. Habitualis intentio habetur in eo qui velit se submittere sacris ritibus et praesumitur in eo qui ad ordinationem accedit. Quae praesumptio non eliditur nisi constet de physica violentia et coactione quatenus distinguitur a coactione mere morali. Metus autem gravis ab extrinseco incursus seu vis conditionalis seu causativa ut aliquis adigatur ad ordines suscipiendos ordinationem non irritat, at nulla reddit onera ordini adnexa servandae castitatis et horarum canonicarum recitandarum (S. R. Rota, 9 Augusti 1922) ¹.

2. - Theologi et canonistae docent haud sufficientem esse actum materialem ordinis exercitii, ut praesumi possit eiusdem rati habitio; cum enim haec sit novus consensus et *nil volitum nisi praecognitum*, hinc ad praesumendam tacitam rati habitioem, duo necessario requiruntur, nempe: a) quod clericus *sciat* nullitatem onerum metu gravi susceptorum, et b) quod *sciat* per ordinis exercitium, aliudve externum signum, Ordinem ipsum per se rati haberi. Codex veterem disciplinam hac in re confirmavit. S. R. Rota, 1 Augusti 1928 ².

215 Sacra Congregatio de Propaganda Fide, 21 Iunii 1942, edidit Instructionem de novis Dioecibus, Vicariatus et Praefecturis Apostolicis condendis. In ipsa numeris 21 proponuntur praecipua capita ad quae clare et distincte respondere tenentur ii ad quos pertinet aut ii qui de nova erectione suam sententiam exprimere rogantur ¹.

216 1. - Si plures sint paroeciae, licet unica utantur ecclesia, parochi singularum ad applicationem missae pro populo tenentur. S. C. Concilii, 9 Februarii 1918 (Vide can. 466).

2) *Periodica*, XVII, 196, 197. Responsum non est promulgatum in *A. A. S.*; *Periodica* referunt illud ex *Anal. Ord. Carmel. Discatecat.*, II, 211. — 3) *A. A. S.*, XXXV, 58.

Can. 209. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIX, 453-465.

Can. 214. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIV, 263 et sqs. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XX, 347 et sqs.

Can. 215. — 1) *A. A. S.*, XXXIV, 347, 349.

2. - Territoria quae erecta sunt pro cura animarum intra certos limites circumscriptos et separata a territorio paroeciae, licet beneficium proprie dictum non sint, sunt tamen verae paroeciae et eorum rectores tenentur ad applicationem Missae pro populo. S. C. Concilii, 13 Iulii 1918 (Vide can. 466).

3. - Si quaestio oriatur circa fines duarum paroeciarum et desit documentum ecclesiasticum ad quaestionem definiendam, attendendum est ad observantiam sive interpretativam sive praescriptivam. Videntur deinde est quaenam fuerit actio ab actore intentata. Hic enim agere potest actione *finium regundorum* duplici vel simplici. Inter utramque actionem hoc est discrimen; quod in prima seu duplici iudici datur facultas iudicandi ex bono et aequo, in altera vero valet principium: in pari causa melior est conditio possidentis, quia qui possidet titulum habet possessionis et nihil praeter ipsam possessionem probare tenetur. S. R. Rota, 31 Ianuarii 1919¹.

4. - S. C. Consistorialis, 1 Augusti 1919, declaravit:

a) Partes dioecesium quae antea S. C. de Propaganda Fide subiectae erant, sunt appellandae *paroeciae* et non *quasi-paroeciae*.

b) Ad constituendas tales paroecias requiritur territorium, sedes paroecialis et dos, non autem inamovibilitas rectoris.

c) Si paroecia erigi non possit, habeantur ecclesiae subsidiariae seu cappellaniae intra fines alicuius paroeciae.

d) Circa dotem paroeciarum servantur canones 1409, 1410, 1415, § 3.

e) Rector paroeciae erectae tenetur Missam pro populo applicare, non item rector ecclesiae subsidiariae².

5. - Instructio S. C. de Prop. Fide, 25 Iulii 1920, statuit:

a) Mens Codicis est ut territorium Vicariatuum et Praefectarum Apostolicarum in quasi-paroecias dividatur.

b) Divisio fiat, auditis consiliariis de quibus in can. 302, 303.

c) Divisio fieri potest per partes et pedetentim.

d) Erectio fiat per decretum in quo fines territorii aut christiannitates quasi-paroeciae assignatae determinantur, ecclesia et residentia parochi designetur.

e) Decreti duo exemplaria fiant in archivo quasi-paroeciae et Vicariatus seu Praefecturae asservanda.

f) Facta erectione, rector est quasi-parochus et iuribus necnon obligationibus quasi-parochi fruitur et ligatur.

g) In locis ubi quasi-paroeciae non sunt erectae missionarii pro celebratione matrimonii considerandi sunt ut cooperatores Vicariorum aut Praefectorum Apostolicorum.

h) Ubi sunt erectae quasi-paroeciae ecclesiae intra fines earum sunt ecclesiae subsidiariae a quasi-paroeciis dependentes.

Can. 216. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XI, 1 et sqs. — 2) *A. A. S.*, XI, 315.

i) Variarum quasi-paroeciarum uniri possunt ad constituendos quasi-vicariatus foraneos³.

6. - S. C. de Prop. Fide, decreto 9 Decembris 1920, statuit:

a) Permitti ut in dioecesibus sibi subiectis aliqua pars territorii indivisa remaneat.

b) Partes autem divisas omnino paroecias in dioecesibus appellandas esse, at eisdem applicari ea quoque quae de quasi-paroeciis statuta sunt.

c) Ad tales paroecias, si clerus saecularis deficiat, regulares posse nominari.

d) Conventum Episcoporum in Indiis Orientalibus definire debere quaenam territorii partes haberi debeant ut sufficienter divisae⁴.

7. - Commissioni Interpr. 20 Martii 1921, proposita fuerunt haec dubia: Pro erectione paroeciae quae non habet characterem beneficii: 1° Estne necessarium formale decretum Ordinarii declarans explicitam erectionem determinati territorii in paroeciam? — 2° Sufficitne ad erectionem, ut, separato territorio in diversos districtus, quorum limites sunt definitive statuti, assignetur unicuique districtui rector cum cura animarum et ecclesia propria ad normam can. 216, 1° et 3°? — Et die 26 Septembris 1921, Praeses Commissionis respondit: *Negative ad primam partem*; idest speciale decretum non esse necessarium ad erectionem paroeciae; *affirmative ad secundam partem*, idest sufficere pro erectione paroeciae quod Ordinarius limites territorii definiat, rectorem et ecclesiam statuat. Praeses autem addidit paroeciam esse semper beneficium iuxta can. 1411, 5, sive propriam dotem habeat ut in can. 1410, sive erecta sit ad normam can. 1415, § 3. Declaravit pariter Praeses decretum erectionis non requiri ullo modo pro illis paroeciis quae ante Codicem fuerunt sine decreto formali erectae; tales paroeciae promulgatione Codicis factae sunt ipso facto paroeciae canonicae⁵.

8. - Can. 460, § 2, pluralitatem parochorum excludens, applicandus est non solum paroeciis post Codicem erigendis, sed etiam iam erectis. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 460).

9. - «D. - Utrum in regionibus mixtae linguae, quae politice unicum Statum efformant, sed diversis utuntur linguis, ut aiunt, officialibus, requiratur, vi canonis 216, § 4, indultum apostolicum ad erigendam paroeciam exclusive destinata fidelibus determinati sermonis seu linguae, etiamsi haec determinata lingua sit una ex linguis officialibus eiusdem Nationis, et paroecia erigenda suam distinctam habeat partem territorialem in dioecesi.

R. - Affirmative ». C. I., 20 Maii 1923⁶.

3) *A. A. S.*, XII, 331 et sqs. — 4) *A. A. S.*, XIII, 17. De hoc decreto cfr. *The Ecclesiastical Review*, vol. 97 (1937), p. 68 sqs.; *The Australasian Catholic Record* (1934), p. 336. — 5) Cfr. *Litteras Delegati Apostolici apud Status Foederales Amer. Sept.*, 10 Nov. 1922 apud Bouscaren, *The Canon law digest*, I, can. 216, p. 149-151. — 6) *A. A. S.*, XVI, 113.

10. - Omnia territoria dependentia a S. C. de Propaganda Fide considerantur ut terrae missionum, saltem in favorabilibus. Ita Nova Zelanda et Australia sunt Terrae Missionis circa numerum Missarum pro populo applicandarum et ritum celebrandi festum S. Teresiae ab Infante Iesu. S. C. de Propaganda Fide, 11 Ianuarii 1930 ⁷.

11. - Decretum erectionis requiritur quidem in erectione paroeciae, at non probatur requiri ad valorem ipsius erectionis. Ita in resolutione *Principis Alberten. et Saskatoon.* S. C. Concilii, 20 Martii 1932 ⁸.

217 Omnino desiderabile est etiam in territoriis missionum, facta divisione in quasi-paroecias, territorium dividi in vicariatus foraneos. Instructio S. C. de Prop. Fide, 25 Iulii 1920 (Vide can 216).

218 Quandoque Romanus Pontifex sua suprema auctoritate modo extraordinario utitur per Visitatorem Apostolicum. Decreto S. C. de Propaganda Fide, 22 Iulii 1919, nominatus est Visitator Missionum Sinensium ¹.

236 « D. - An, ad normam canonis 236, § 1 et 2, S. R. E. Cardinalis, ex ordine diaconali transiens per optionem ad ordinem presbyteralem decennio nondum expleto, locum obtineat ante Cardinales presbyteros, qui post ipsum creati sunt.
R. - Affirmative ». C. I., 29 Maii 1934 ¹.

239 1. - Hue spectat decretum S. C. Caeremonialis, 2 Decembris 1930, de mandato Sanctissimi, quo confirmantur duo decreta eiusdem S. Congregationis, alterum ad Eminentissimos Patres Cardinales, incipiens *Dignitatis eminentia*, 23 Maii 1902 deliberatum a S. Congregatione et 30 Maii 1902 a Romano Pontifice confirmatum; alterum ad rectores ecclesiarum Urbis, incipiens *Solemne semper*, 23 Maii datum et 30 Maii 1902 confirmatum. Duobus autem decretis statuitur Cardinales ad ecclesias Urbis non esse invitandos ad sollemnia et pontificalia peragenda, nisi audito caeremoniarum magistro apostolicarum, ex aequa et probanda causa. Determinatur ibi quinam Cardinales comitari debeant, quaenam functiones exclusae sint, e. g. absolutio ad tumulum post Missam de *requie praesente cadavere* etc. Cardinales diaconi extra propriam diaconiam invitari nequeunt ad pontificalia peragenda ¹.

2. - « D. - An, vi canonis 239, § 1, n. 12, 13 et 24, S. R. E. Cardinales in basilicis patriarchalibus Urbis uti possint baculo pa-

⁷) *Sylloge*, n. 151, p. 360. — ⁸) *A. A. S.*, XXV, 436; *Apollinaris*, (1933), 423.
Can. 218. — 1) *A. A. S.*, XI, 463.

Can. 236. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 493; *Ius pontificium*, XIV (1934), 221; *Nouvelle Revue théologique*, 61 (1934), 972; *Apollinaris*, 1935, 46; *Periodica*, XXIII, 144; *Irish ecclesiastical Record*, 1934, 645.

Can. 239. — 1) *A. A. S.*, XXXIII, 56. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, XX, 131 et sqs.

storali, benedicere populo more Episcoporum, et concedere indulgentias ducentorum dierum.

R. - Negative ». C. I., 29 Maii 1934 ².

3. - Cardinales ex decreto S. Poenitentiariae 20 Iulii 1942, non possunt indulgentias trecentorum dierum concedere ³.

241 1. - Pius XI, Motu proprio *Cum proxime*, 1 Martii 1922, quaedam mutavit ex iis quae statuta fuerant in Const. *Vacante Sede*, scilicet: Ad quindecim, immo ad decem et octo dies prorogavit tempus inchoandi conclave post mortem R. Pontificis, ut ad illud etiam Cardinales qui longe a Roma absunt convenire possint; Cardinales possunt secum in conclave adducere unum vel duos conclavistas; datur Cardinalibus in conclavi optio vel celebrandi Missam vel Communionem faciendi ¹.

2. - Nunc potestas sacri Cardinalium Collegii definitur in Constit. Pii XII, *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 Decembris 1945 ².

242 1. - Benedictus XV, Motu proprio *Cum iuris canonici*, 15 Sept. 1917, instituit Commissionem ad Codicem iuris canonici authentice interpretandum. Eodem Motu proprio statuit ut Sacrae Congregationes decreta generalia nova ne ferant, nisi gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat, curare autem debeant ut Codicis praescripta serventur editis ad hoc instructionibus. Dantur item ibidem normae ad nova, si necessarium erit, condenda decreta quae sint vel contra vel praeter ius Codicis; eaque in Codicem ipsum inserenda ¹.

2. - Tribunalia non sunt competentia ad recipiendam actionem iudicalem contra decreta administrativa Ordinariorum, licet actio proponatur apud ipsa ad damnorum refectionem obtinendam. C. I., 22 Maii 1923 (Vide can. 1601).

243 1. - Habita praesertim ratione can. 247, § 3, et salvo praescripto can. 1557, § 1, n. 1, tenendum est Sanctum Officium habere competentiam exclusivam in quibuslibet causis matrimonialibus partem catholicam inter et acatholicam, quocumque modo hae causae ad Sanctam Sedem deferantur. S. Offic., 27 Ianuarii 1928 ¹.

2. - Facultas absolvendi a censura incursa ob violationem secreti S. Officii non continetur in facultatibus concessis confessariis occasione iubilari. Constitutio Pii XI, 6 Ianuarii 1929 ².

2) *A. A. S.*, XXVI, 493; *Ius pontificium*, XIV (1934), 221; *Periodica*, XXIII, 144; *Apollinaris*, 1935, 51; *Ecclesiastical Review*, 91, 497. — 3) *A. A. S.*, XXXIV, 240.

Can. 241. — 1) *A. A. S.*, XIV, 145. — 2) *A. A. S.*, XXXVIII, 65-99.

Can. 242. — 1) *A. A. S.*, IX, 183; Vermeersch, in *Periodica*, IX, 17-19.

Can. 243. — 1) *A. A. S.*, XX, 75. — 2) *A. A. S.*, XXI, 5.

245 Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos ex speciali commissione Romani Pontificis, 4 Iulii 1940, quaedam dubia resolvit de competentia S. C. de Disciplina Sacramentorum relate ad tribunalia matrimonialia ordinaria. Cfr. can. 249, § 2.

246 Benedictus XV, Motu proprio *Cum iuris*, 15 Septembris 1919, instituta Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos, definit quae sit competentia Congregationum Romanarum, curandi nempe executionem Codicis praesertim editis instructionibus¹.

247 1. - Cardinalis Praefectus Congregationis de Seminariis est ex officio membrum Congregationis S. Officii. Motu proprio Pii XI, 24 Septembris 1927¹.

2. - S. C. S. Officii, 27 Ianuarii 1928, declaravit causas quaslibet matrimoniales inter partem catholicam et acatholicam ad S. Sedem delatas, esse de competentia eiusdem S. Officii (Vide can. 243)².

248 1. - Peculiaris Coetus S. R. E. Cardinalium a Benedicto XV electus et a Pio XI confirmatus, 13 et 27 Novembris 1922, declaravit inter alia Sacram Congregationem Consistorialem competentem esse ad decernendum circa ea quae respiciunt unius vel alterius dignitatis in Capitulis erectionem et suppressionem; itemque «reditus et bona ad mensas episcopales spectantia». Pius XI responsa approbavit 5 Decembris 1922¹.

2. - Pius XI, Motu proprio, *Post datam*, 20 April. 1923, decrevit in posterum facultates quinquennales Episcopis dari solitas petendas et dandas esse a S. C. Consistoriali, modo agatur de Ordinariis non obnoxii iurisdictioni S. C. de Prop. Fide aut Ecclesiae Orientalis. Ministri autem S. C. Consistorialis, saltem ante initium cuiusque quinquennii, a singulis S. Sedis officii requirent an in facultatibus aliqua mutatio facienda sit².

249 1. - Peculiaris Coetus S. R. E. Cardinalium a Benedicto XV electus et a Pio XI confirmatus, 13 et 27 Nov. 1922, inter alia, declaravit ad S. C. de Sacramentis pertinere decernere circa ea quae respiciunt obligationes ordinibus maioribus adnexas vel validitatem Sacrae Ordinationis, etiam quoad Sodales religiosos, ad normam can. 1993. Pius XI responsum adprobavit, 5 Dec. 1922¹.

2. - «D. - I. Aan S. Congregationi de disciplina Sacramentorum competat generalis et praeceminens iurisdictione in causis nullitatis ma-

Can. 246. — 1) *A. A. S.*, IX, 483.

Can. 247. — 1) *A. A. S.*, XIX, 329. — 2) *A. A. S.*, XX, 75.

Can. 248. — 1) *A. A. S.*, XV, 39. Vide Vermeersch, *Periodica*, XII, 44-46. — 2) *A. A. S.*, XV, 193. Vide Vermeersch, *Periodica*, XII, 66.

Can. 249. — 1) *A. A. S.*, XV, 39. Vermeersch, *Periodica*, XII, 44-46; *Ius Pontificium*, 1923, 39.

trimonii, ita ut eas ad se avocare, vel earum cursum aut sententiarum in iisdem latorum executionem suspendere valeat. Et quatenus negative:

II. Quenam iura eidem Sacrae Congregationi competant in causis nullitatis matrimonii:

III. An in causis nullitatis matrimonii promotor iustitiae et defensor vinculi habendi sint ut delegati vulgo *rappresentanti* Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, ita ut haec eorum partes moderari valeat. Et quatenus negative:

IV. - An et quomodo eadem Sacra Congregatio in casu denuntiationis nullitatis matrimonii, de qua in can. 1917, § 2, sese ingerere possit in iis quae praecedunt accusationem nullitatis matrimonii.

R. - Ad I. Negative.

Ad II. S. Congregationi de disciplina Sacramentorum in causis nullitatis matrimonii competere:

a) ius dirimendi quaestiones de validitate matrimonii, quae ad eam deferantur, dummodo eadem accuratorem disquisitionem aut investigationem non evigant, ad normam can. 249, § 3;

b) ius definiendi quaestiones de competentia iudicis ratione quasi-domicilii iuxta Instructionem eiusdem S. Congregationis diei 23 Dec. 1929;

c) iura de quibus in Litteris circularibus ipsius S. Congregationis diei 1 Iulii 1932, *de relatione causarum matrimonialium quotannis eidem S. Congregationi mittenda*; necnon iura, de quibus in numeris IV et V Motu proprio *Qua cura* Pii Pp. XI diei 8 Dec. 1938, *de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis*.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative, salvo, re adhuc integra, recursu adversus Ordinarii iudicium». C. I., 8 Iulii 1940².

250 1. - Decreto S. C. Concilii, 11 Novembris 1919, instauratur apud eandem S. Congregationem *Studium* ad iuvenes sacerdotes qui cursum iuris canonici compleverunt efformandos ad negotia via administrativa tractanda et leges applicandas. Ad *Studium* admittuntur iuvenes in iure canonico laureati et a propriis Ordinariis commendati. *Studium* triennio durat¹.

2. - Die 15 Novembris 1919 a S. C. Concilii datae sunt normae pro *Studio* apud eandem S. Congregationem repristinato, cum circa modum quo iuvenes admittuntur, tum circa ea quae in ipso *Studio* peragenda sunt².

3. - Peculiaris Coetus S. R. E. Cardinalium a Benedicto XV electus

2) *A. A. S.*, XXXII, 317-318.

Can. 250. — 1) *A. A. S.*, XI, 463; Vermeersch, *Periodica*, X, 63; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 32, p. 48. — 2) *A. A. S.*, XII, 50; *Il Monitore ecclesiastico*, n. 32, 48.

et a Pio XI confirmatus, 13 et 27 Nov. 1922, inter alia, declaravit S. C. Concilii competentem esse ad decernendum circa ea quae respiciunt sacerdotes sive alumnos sive magistros in scholis laicalibus, itemque circa ea quae respiciunt associationes inter clerum earumque foederationem. Sacra tamen Congregatio, in iis quae respiciunt associationes vel earum foederationem inter clerum alicuius nationis universae, informationem petere a S. C. Consistoriali ne omittat. Pius XI responsum hoc adprobavit, 5 Dec. 1922³.

4. - Pius XI, Motu proprio *Orbem catholicum*, 29 Iunii 1923, pene S. C. Concilii instituit peculiare Officium cuius sit universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere. Cupit in eodem documento Summus Pontifex ut in praecipuis sedibus sodalitatium religiosarum instituendae iuventuti deditarum scholae aperiantur ad iuvenes in magisterio catechistico efformandos. Episcopi tertio quoque anno de hac materia ad S. C. Concilii referre debent⁴.

5. - Videri etiam possunt Litterae circulares a S. C. Concilii, 20 Iunii 1929, datae ad Ordinarios Italiae de administratione bonorum beneficialium ad normam iuris canonici et Concordati⁵.

251 1. - Coetus peculiaris S. R. E. Cardinalium, 24 Martii 1919, ad proposita dubia: « I. Utrum omnes quaestiones seu instantiae, quae attingunt aliquod ius aut commodum (seu interesse) alicuius familiae religiosae aut sodalium religiosorum, spectent private ad S. C. de Religiosis; II. Utrum concedere, servatis consuetis normis, sanationes et condonationes quoad praeteritum, et reductiones quoad futurum relate ad cappellanas et alia legata, quae, licet concedita non sint Ordini aut familiae religiosae, qua tali, erecta tamen aut translata reperiuntur in ecclesiis religiosorum, spectet ad S. C. Concilii an potius ad S. C. de Religiosis; III. Cuiam Congregationi competenti tribuenda sit quoad dispensationem ad Ordines Sacros recipiendos a religiosis sive ex defectu aetatis sive ab irregularitate, sive quoad alias condiciones quae ad conferendos ordines requiruntur, sive quoad studia pertinet quae sacris ordinationibus sunt praemitenda; IV. Cuiam Congregationi competenti tribuenda sit quoad religiosos dispensandos, qui propter morbum vel alia de causa a Missae celebratione physice vel moraliter impediuntur, veluti si pedibus consistere non valeant ». Respondit: « Ad I. Affirmative, in sensu tamen canonis 251 Codicis iuris canonici; Ad II. Private ad S. C. de Religiosis, quoadusque legatorum administratio et adimplementum concedita sint religiosis; Ad III. Ad S. C. de Religiosis; Ad IV. Ad S. C. de Religiosis »¹.

3) *A. A. S.*, XV, 39; Vermeersch, *Periodica*, XII, 44, 46. — 4) *A. A. S.*, XV, 327.
— 5) *A. A. S.*, XXI, 384.
Can. 251. — 1) *A. A. S.*, XI, 251; *Revue des Communautés Religieuses*, Docum. du Saint-Siège, p. 195; *Periodica*, XII, 44; *Ius Pontificium*, 1923, 12.

2. - Peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium a Benedicto XV electus et a Pio XI confirmatus, 13 et 27 Nov. 1922, declaravit ad S. C. de Religiosis pertinere facultatem concedendi religiosis utriusque sexus dispensationem super lege ieiunii eucharistici ad Sacram Communionem recipiendam².

3. - In S. C. de Religiosis constituitur specialis coetus ad pertractanda negotia de clericali et religiosa educatione et debita litteraria institutione. S. C. de Religiosis, 24 Ianuarii 1944³.

252 1. - S. C. de Propaganda Fide, Litteris 3 Decembris 1921, occasione tertii centenarii foundationis eiusdem S. Congregationis brevem narrat sui ipsius historiam¹.

2. - Decreto S. C. de Seminariis et Studiorum Universit., 1 Septembris 1933, erectum est Romae Institutum Missionale cum iure gradus academicos conferendi².

253 Pius XI, Motu proprio, *Già da qualche tempo*, 6 Februarii 1930, apud S. C. Rituum instituit peculiarem sectionem historicam, cum peculiaribus consultoribus et Relatore generali; cuius Sectionis competenti refertur praesertim ad causas historicas seu antiquas agendas Servorum Dei. Vota Sectionis ad S. C. Rituum transmittenda erunt cui pro basi agendorum inservient. Sectio erit pariter consulenda pro novis editionibus librorum liturgicorum¹.

255 1. - « Canon 255 de promovendis per Sacram Congregationem pro Negotiis Extraordinariis ad vacantes dioeceses idoneis viris, quoties cum civilibus Guberniis agendum sit, ita intelligendus est ut ad eandem Sacram Congregationem spectet Episcopos promovere etiam in casibus, in quibus Gubernia interrogantur circa difficultates, si quae sint, ordinis politici contra personas ad id officium praelectas ». Litterae Pii XI, 5 Iulii 1925¹.

2. - Litteris Pii XI, 5 Iulii 1925, de quibus supra n. 1^o, S. C. pro Negotiis Extraordinariis assignatur Praefectus quo hucusque carebat. Decernitur autem Cardinalem a Secretis Status esse Praefectum².

256 1. - Peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium a Benedicto XV electus et a Pio XI confirmatus, 13 et 27 Nov. 1922, declaravit S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus competentem esse ad concedendam facultatem alienandi bona quae spectant ad Seminaria dioecesana, exclusa pro casu competenti S. C. Concilii. Pius XI, 5 Dec. 1922, responsum approbavit¹.

2) *A. A. S.*, XV, 39; Vermeersch, *Periodica*, XII, 44-46. — 3) *A. A. S.*, XXXVI, 213 sq.
Can. 252. — 1) *A. A. S.*, XIII, 561. — 2) *A. A. S.*, XXV, 445.
Can. 253. — 1) *A. A. S.*, XXII, 87; *Apollinaris*, III, 179 sqs.; *Periodica*, XIX, 176.
Can. 255. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 89; Vermeersch, XV, 31; *Ius Pontificium*, 1926, 14. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 89.
Can. 256. — 1) *A. A. S.*, XV, 39; Vermeersch, *Periodica*, XII, 44-46.

1 — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

2. - Pius XI, Motu proprio *Praecipua sane*, 24 April. 1931, apud S. C. de Seminariis peculiare munus instituit Visitoris Ordinarii Seminariorum cui curae sit Seminariorum Italiae visitationem peragere. Seminaria regionalia Italiae saltem quotannis a Visitatore inspicienda sunt ².

3. - Canonica erectio et suprema moderatio cuiusvis Universitatis et Facultatis studiorum in locis quoque et institutis quae S. C. pro Ecclesia Orientali et de Propaganda Fide subiecta sunt, atque etiam Facultatum religiosarum familiarum quarumlibet, S. C. de Seminariis reservantur. Pius XI, *Deus scientiarum Dominus*, 24 Maii 1931, art. 4 ³.

4. - S. C. de Religiosis, 24 Aprilis 1932, obtemperans desiderio Summi Pontificis, Superioribus religiosis notificavit apud S. C. de Seminariis in via esse formationis Officium centrale pro *scholis et institutis catholicis in Italia*, a quo in posterum dependere debent etiam scholae et instituta religiosis concedita ⁴.

257 1. - Instantibus multis Ecclesiae Orientalis Praelatis, Pius XI, anno 1929, Commissionem quinque Cardinalium constituit pro *studiis praeparatoriis Codificationis orientalis* ¹.

2. - Pius XI, Motu proprio *Inde ab initio*, 6 Aprilis 1930, Commissionem pro Russia anno 1925 constitutam et S. C. pro Ecclesia Orientali coniunctam, ab eadem Sacra Congregatione seiunxit et sui iuris constituit ².

3. - Pius XI, Motu proprio *Quam sollicita*, 21 Decembris 1934, decrevit Commissioni pro Russia negotia et causas tantummodo reservari, quae ad Russos pertinent in patrio solo degentes, incolumi tamen auctoritate S. C. pro Ecclesia Orientali. Commissio unitur S. C. pro Negotiis extraordinariis cuius proinde Secretarius praeses erit Commissionis pro Russia. — Eodem Motu proprio, apud S. C. pro Ecclesia Orientali constituitur *Sectio* pro Orientalibus ritus *Slavici-Byzantini*. Decernit pariter Summus Pontifex sine mora libros liturgicos ritus Slavici-Byzantini esse in lucem edendos ³.

4. - Notificatione 17 Iulii 1935, constituitur Pontificia Commissio ad redigendum Codicem iuris canonici orientalis. Designantur personae Commissionis et Consultores et dantur normae a Commissione servandae ⁴.

5. - Pius XI, Motu proprio 25 Martii 1938, plurima statuit de iurisdictione S. C. pro Ecclesia Orientali. Praemittit Romanus Pontifex sollicitudinem Ecclesiae erga fideles rituum orientalium. Deinde iurisdictioni Sacrae Congregationis quasdam regiones orientales plene

²) *A. A. S.*, XXIII, 151. — ³) *A. A. S.*, XXIII, 241; *Periodica*, XX, 298. — ⁴) *A. A. S.*, XXIV, 149.

Can. 257. — ¹) *A. A. S.*, XXI, 669. — ²) *A. A. S.*, XXII, 153; *Il Monitore ecclesiastico*, n. 42, p. 97; *Apostolicarum*, III, 354 sqs. — ³) *A. A. S.*, XXVII, 65. — ⁴) *A. A. S.*, XXVII, 396.

subicit nempe: Aegyptum, Peninsulam Sinaiticam, Erythraeam, partem septemtrionalem Aethiopiae, Albaniam australem, Bulgariam, Cyprum, Graeciam, Dodecanesum, Iran, Iraq, Libanum, Palaestinam, Syriam, Transiordaniam, asiaticam Turcarum rempublicam, et Thraciam Turcarum ditioni subiectam. In his autem regionibus iurisdicatio Congregationis pro Ecclesia Orientali extenditur etiam ad fideles ritus latini ibi morantes. Firma e contra manet iurisdicatio eiusdem Congregationis in fideles rituum orientalium extra Orientales regiones degentes. Determinat deinde *Motu proprio* partem administrativam et honorum temporalium aliquotam partem quae in posterum cedere debeat in favorem Congregationis pro Ecclesia Orientali ⁵.

258 1. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Iunii 1930, declaravit fideles ad ecclesias rituum orientalium pertinentes, in iis quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt, de quibus in can. 258, recurrere debere ad S. Poenitentiarium ¹.

2. - S. C. S. Officii, 21 Iulii 1934, de mandato Pii XI, statuit poenas can. 2320, 2343, § 1, 2367, 2369 extendi etiam ad Ecclesias Orientales et pro foro interno esse de competentia Sacrae Poenitentiarum ².

3. - Bulla Pii XI *Quae divinitus*, 25 Martii 1935, de novo ordinatur Tribunal Apostolicum Sacrae Poenitentiarum. Plurima in hac Constitutione statuuntur, quibus generatim disciplina hucusque adhibita et variae consuetudines vigentes confirmantur ³.

4. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 21 Iulii 1935, auctoritate Summi Pontificis statuit, fideles cuiuscumque ritus orientalis in iis quae indulgentias respiciunt, Sacram Poenitentiarum adire debere ⁴.

5. - *Monito* promulgato in Commentario officiali S. Poenitentiarum, anno 1935, redarguit confessarios qui in recursibus ad ipsam secretum non servant. Litterae mittendae sunt clausae et nominibus reticitis ⁵.

259 1. - Videri potest decisio S. R. Rotae, 30 Ianuarii 1923, ubi de exceptione incompetentiae ex decreto S. C. Concilii non admissa ¹.

2. - S. R. Rota decisione, 30 Aprilis 1923, in causa *refectionis damnorum* ex decreto disciplinari poenam suspensionis infligente ortorum exceptionem propriae incompetentiae admisit ².

3. - Promulgato Codice et observato rerum usu, visum est Audi-

⁵) *A. A. S.*, XXX, 154; *Periodica*, XXVII, 237; *Ius Pontificium*, XVIII (1938), 137. Can. 258. — ¹) *A. A. S.*, XXII, 394. — ²) *A. A. S.*, XXVI, 550. — ³) *A. A. S.*, XXVII, 99 sqs.; *Periodica*, XXIV, 123-126. — ⁴) *A. A. S.*, XXVII, 379. — ⁵) *A. A. S.*, XXVII, 62.

Can. 259. — ¹) *A. A. S.*, XV, 124. *S. Romanae Rotae decisiones seu sententiae*, XV, 17 et sqs. — ²) *A. A. S.*, XV, 296.

toribus Rotae novas normas in tribunali servandas edere. Hae normae, a R. Pontifice approbatae, editae sunt 22 Iunii 1934³⁾.

260 Pius XI, Motu proprio *Apostolicae Litterae*, 18 Ianuarii 1931 quo expeditius mittantur Bullae, plumbeum sigillum in structura, pondere et amplitudine mutavit¹⁾.

262 Quae in hoc canone dicuntur de observantia Const. *Vacante Sede Apostolica* nunc intelligenda sunt de Constit. *Vacantis Apostolicae Sedis* Pii XII, 8 Dec. 1945¹⁾.

267 Plurimae sunt facultates delegari solitae Delegatis Apostolicis et Legatis Romani Pontificis¹⁾.

274 Decreto S. Poenitentiariae 20 Iulii 1942, Archiepiscopi nunc indulgentias ducentorum dierum concedere possunt¹⁾.

280 Archiepiscopus Metropolita extra suum territorium non praecedit Archiepiscopo suffraganeis carenti. C. I., 5 Aug. 1941¹⁾.

283 1. - Decreto S. C. Consistorialis, 15 Februarii 1919, ut difficultati habendi concilia provincialia provideretur, statutum est ut loco conciliorum provincialium haberentur in plerisque provinciis Italiae Concilia plenaria seu regionalia in determinatis a S. Sede regionibus. Dantur eodem decreto normae aliquae pro huiusmodi Conciliis convocandis¹⁾.

2. - Litteris S. C. Consistorialis, 22 Martii 1919, definitum est ad quod Concilium regionale adire debeant Episcopi Italiae in regionibus ubi ex decreto 15 Februarii 1919 concilia regionalia celebranda sunt²⁾.

290 Concilium provinciale nequit prohibere absolute transmissionem stipendiorum missarum manualium. S. C. Concilii, 19 Februarii 1921 (Vide can. 838)¹⁾.

291 S. C. Consistorialis, 2 Augusti 1918, ad dubium: « Utrum dismembrata proximis praeteritis annis ecclesiastica provincia Westmonasteriensi et creatis ex ea novis quatuor provinciis, leges et

3) *A. A. S.*, XXVI, 449.

Can. 260. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 33.

Can. 262. — 1) *A. A. S.*, XXXVIII, 65-99.

Can. 267. — 1) Cfr. Vermeersch-Creusen, *Epitome*, in calce ad I volumen: *Iglesias*, *Brevis Commentarius in facultates quas S. C. de Prop. Fide dare solet missionariis*, 1924, Taurini; Vromant, *Facultates apostolicae...*, Louvain, 1930.

Can. 274. — 1) *A. A. S.*, XXXIV, 240.

Can. 280. — 1) Cfr. c. 106, 13.

Can. 283. — 1) *A. A. S.*, XI, 72. — 2) *A. A. S.*, XI, 175.

Can. 290. — 1) *A. A. S.*, XIII, 228.

decreta Conciliorum provincialium Westmonasteriensium, quae praecesserunt, quaeque annis 1852, 1855, 1859 et 1873 celebrata sunt, adhuc vim obligandi habeant, et debeant ab omnibus ad unguem servari; an potius in novis provinciis valere cessaverint, nec amplius ea rata ac firma haberi debeant». Respondit: « Affirmative ad primam partem, salvis tamen novi Codicis praescriptionibus, si et in quantum legibus et decretis dictorum Conciliorum derogaverint; negative ad secundam partem »¹⁾.

292 1. - In Italia, certis in regionibus, loco conferentiarum provinciae ecclesiasticae locum habent conferentiae Episcoporum regionales¹⁾.

2. - S. C. Concilii, 21 Iunii 1932, praescipit ut conferentiae episcopales in Italia quotannis regulariter convocentur et deliberationes S. Congregationi opportuno tempore subiiciantur ad normam can. 250, § 4²⁾.

294 1. - S. C. Rituum, 8 Martii 1919, ad dubium: « An Vicariis et Praefectis apostolicis de novo iure competat, in proprio territorio, ut nominentur in *canone* Missae ». Respondit: « Attento etiam canone 2 et altero 308 omnibusque perpensis: negative iuxta rubricas et decreta, quia de iure adhuc vigente in *canone* Missae, post verba *Antistite nostro*, exprimentum est tantum nomen Patriarchae, archiepiscopi et Episcopi, qui sint Ordinarii loci et in propria dioecesi » (Vide can. 2)¹⁾.

2. - Iure Codicis Vicarii et Praefecti Apostolici non possunt eligere sibi Vicarium generalem. Sacra tamen C. de Prop. Fide, Epistola 8 Decembris 1919, concedit iisdem Ordinariis missionum facultatem nominandi Vicarium delegatum, si eo indigeant, cui practice concessa sit omnis iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, qua ex Codice uti potest Vicarius generalis in dioecesi, ad normam can. 368, § 1, 2°. Sanantur autem eadem epistola actus iurisditionis positi antea ab iis qui ut veri Vicarii generales ab Ordinariis designati se gesserunt. De numero et officio Vicariorum delegatorum ea valent quae can. 366 et sqs. statuuntur²⁾.

3. - Vicarii et Praefecti Apostolici, decreto S. Poenitentiariae 20 Iulii 1942, nunc possunt concedere indulgentias centum dierum³⁾.

296 1. - Instructione S. C. de Propaganda Fide, 8 Dec. 1929, multa discutiuntur et definiuntur de relationibus quae intercedere

Can. 291. — 1) *A. A. S.*, X, 365.

Can. 292. — 1) Cfr. Decret. S. C. Consistorialis, 15 Februarii 1919, de quo supra ad can. 283. — 2) *A. A. S.*, XXIV, 242.

Can. 294. — 1) *A. A. S.*, XI, 145. — 2) *A. A. S.*, XII, 120. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, X, 200. — 3) *A. A. S.*, XXXIV, 240.

debet in locis missionum Vicarios et Praefectos Apostolicos inter et Superiores religiosorum missionariorum ¹.

2. - « Quaestioni: Utrum eleemosynae per Unionem Missionariam Franciscanam collectae, subsint necne vigilantiae et visitationi Vicarii Apostolici. S. C. de Propaganda Fide, die 28 Iulii 1932, ita respondit: Quas Unio Missionaria Franciscana colligit eleemosynas, oblationes, dona etc. aestimari sane nequeunt pertinere proprio iure ad Ordinem, tamquam ipsi data in proprium. Haberi haec omnia debent tamquam data Ordini ad subveniendum missionibus ipsi concreditae, sicuti vel ex ipsa denominatione *Missionaria franciscana* elucet. Ordo proin ea omnia exclusive ad variis missionum necessitatibus subveniendum impendere tenetur. Quae vero ab Ordine in subsidium missionis bonum fiunt. Cumque Vicarius Apostolicus pleno iure missionis bona administret et pro missione eroget, Superior regularis nullum amplius ius in ea exercere valet (Cfr. Instruct. S. C. de Prop. Fide 8 Dec. 1929). Quod spectat ad ea quae ab oblatoribus pro determinata aliqua missione dantur, secundum offerentium intentionem, huic missioni fideliter tradenda sunt, quemadmodum ea quae pro speciali aliqua missionis opera, puta pro ecclesia aedificanda, pro hospitali aliquo, nosocomio, orphanotrophio, statione etc. erigendis, oblata fuere, in talem finem insumi debent nec in alium finem vel ad alia opera declinari possunt. Subsunt tamen haec omnia vigilantiae et visitationi Vicarii apostolici secundum dispositiones can. 296 et 533, § 1, n. 4 » ².

3. - S. C. de Propaganda Fide, 12 Decembris 1936, proposito dubio: « An inter missionarios de quibus edicit Instructio S. C. de Propaganda Fide, anno 1929, die 8 Dec. edita, eos subesse dispositioni Ordinarii loci, computandae quoque sint sorores in opere missionali educationis, scholari, vel alio occupatae », respondit: « Negative » ³.

300 1. - S. C. de Propaganda Fide, sua Epistola 16 Aprilis 1922, de mandato Sanctissimi novam formulam quinquennalis relationis Sanctae Sedi faciendae proponit, ad normam can. 300 et 340, § 1. Nova formula constat XVII capitibus et 90 numeris, quibus additur Appendix amplectens Compendium notionum circa statum missionum ¹.

2. - Etiam dioeceses earumque Episcopi sub iurisdictione S. C. de Propaganda Fide obligantur ad relationem annuam de qua in can.

Can. 296. — 1) *A. A. S.*, XXII, 111. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, XIX, 260-265; *Revue des Communautés Religieuses*, VI (1930), 113 ss. — 2) Responsum non est promulgatum in *A. A. S.* Cfr. illud in *Periodica*, XXII, 162. — 3) Rescriptum Procuratori generali Piaec Societatis missionum datum; *Periodica*, XXVI, 477 ubi varia alia dubia sunt; *Il Monitore ecclesiastico*, L, 68; *Revue des Communautés Religieuses*, XIV (1938), 33 ss. (Creusen).

Can. 300. — 1) *A. A. S.*, XIV, 287. Formulam hanc invenire poteris etiam apud M. Coronata, *Institutiones iuris canonici*, V², p. 274. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, XI, 107.

300, § 2, qua tenentur Vicarii et Praefecti Apostolici. S. C. de Propaganda Fide, 4 Iunii 1934 ².

302 Vicarii et Praefecti Apostolici in erectione quasi-paroeciarum consulere debent suum consilium. Instruct. S. C. Prop. Fide, 25 Iulii 1920, n. 2 (Vide can. 216).

306 consulere debent suum consilium. Instruct. S. C. de Prop. Fide, emanati, obligatio applicandi Missam *pro populo* in diocesis S. C. de Propaganda Fide subiectis regitur normis can. 306 definitis. S. C. de Propaganda Fide, 16 Maii 1933 ¹.

2. - Etiam Superiores ecclesiastici *missionum sui iuris* tenentur ex iustitia ad applicandam Missam pro populo ad normam can. 306. S. C. de Propaganda Fide, 31 Augusti 1934 ².

308 1. - Vicariis et Praefectis Apostolicis non competit ius ut eorum nomen fiat in canone Missae. S. R. Congregatio, 8 Martii 1919 (Vide can. 2).

2. - « Ss. mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 8 Novembris 1945 concessa, ut magis effulgeat Christi gregis Pastorum dignitas ac insimul per Ecclesiae thesaurum fidelium bono spirituali uberius consulatur, quorundam Praefectorum Apostolicorum preces libenter excipiens, benigne elargiri dignatus est *partialem quinquaginta dierum Indulgentiam*, a christifidelibus lucranda quoties eorum Praelatorum anulum devote deosculati fuerint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet minime obstantibus ». S. Poenitentiaria, 21 Novembris 1945 ¹.

309 1. - Una cum facultate eligendi provicarium conceditur Vicariis et Praefectis Apostolicis facultas eligendi sibi vicarium delegatum cum facultatibus Vicarii generalis. Epist. S. C. de Prop. Fide, 8 Dec. 1919 (Vide can. 294).

2. - In Audientia Sanctissimi, 7 Novembris 1929, Romanus Pontifex concessit ut ius nominandi vicarios delegatos concessum Vicariis et Praefectis Apostolicis, decreto S. C. de Prop. Fide, 8 Decembris 1919, extendatur ad Superiores ecclesiasticos autonomarum missionum et generatim quae Codex statuit de praefecturis apostolicis applicentur, servatis servandis, etiam missionibus autonomis et earum Superioribus ecclesiasticis. S. C. de Propaganda Fide, 7 Novembris 1929 ¹.

2) *Sylloge*, n. 184, p. 460.

Can. 306. — 1) *Sylloge*, n. 179, p. 453. — 2) *Sylloge*, n. 187, p. 463.

Can. 308. — 1) *A. A. S.*, XXXVIII, 159.

Can. 309. — 1) *Sylloge*, n. 116, p. 349.

- 310** Ex responso C. I. 20 Iulii 1929, potest Provicarius vi can. 310, § 2 collati cum can. 958, § 1, n. 4 concedere litteras dimissorias, intra annum a Sede vacante (Vide can. 958).
- 312** Decreto S. C. Consistorialis, 11 Octobris 1935, continetur singulare exemplum Administrationis Apostolicae partialis, qua scilicet pars dioecesis Recinetensis Lauretanae iurisdictioni episcopali ordinariae subtrahitur et administratori apostolico, quousque praesentia adiuncta perduraverint, subicitur ¹.
- 319** Abbatia *nullius* S. Mariae Montis Oliveti Maioris, quamvis non constet tribus parocciis, regitur legibus vigentis Codicis iuris canonici, congrua congruis referendo. S. C. Consistorialis, 17 Ianuarii 1942 ¹.
- 323** 1. - « D. - An vi canonis 323 Abbas *nullius*, caractere episcopali carens, ecclesiam in alieno territorio valide consecrare possit ex eiusdem Ordinarii licentia.
R. - Negative ». C. I., 29 Ianuarii 1931 ¹.
2. - Abbates et Praelati *nullius*, decreto S. Poenitentiariae 20 Iulii 1942, possunt nunc concedere indulgentias centum dierum ².
- 328** 1. - Decreto S. C. Caeremonialis, 1 Iulii 1927, dantur normae servandae a cubiculariis *ab ense et lacerna* ¹.
2. - Decreto S. C. Caeremonialis, 31 Decembris 1930, tribuitur quibusdam Praelatis Curiae Romanae, ut Secretariis Sacrarum Congregationum etiam non Episcopis, titulus *Excellentiae Reverendissimae* ².
3. - Decreto S. C. Caeremonialis, 24 Iunii 1933, conceditur certis Praelatis Curiae Romanae usus insignium coloris violacei ³.
4. - Constitutione Pii XI *Ad incrementum*, 15 Augusti 1934, plura statuuntur de privilegiis Praelatorum Curiae Romanae, eorumque privilegia et iura melius definiuntur ⁴.
- 330** 1. - Ad S. C. Consistorialem sequentia dubia pro solutione proposita fuerunt:
« I. Num iis qui sub secreto S. Officii de informationibus requiruntur circa personas ad episcopatum promovendas, liceat delatum sibi munus, qualibet de causa, etiam ad tutiores notitias hauriendas, aliis revelare?

Can. 312. — 1) *A. A. S.*, XXVIII, 75; *Periodica*, XXV, 17.

Can. 319. — 1) *A. A. S.*, XXXIV, 230.

Can. 323. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 110; *Ius Pontificium*, XI (1931), 107; *Nouvelle Revue théologique*, 58 (1931), 449. — 2) *A. A. S.*, XXXIV, 240.

Can. 328. — 1) *A. A. S.*, XIX, 382. — 2) *A. A. S.*, XXIII, 22. — 3) *A. A. S.*, XXV, 341. — 4) *A. A. S.*, XXVI, 497. Hanc Constitutionem invenire poteris etiam apud M. a Coronata, *Institutiones*, 1^a, p. 151.

II. Num, reticita commissione de qua supra, liceat ab aliis notitias exquirere, quotiens adsit periculum, etiam remotum, revelationis secreti?

III. Num datas informationes liceat, quacumque de causa, alteri, etiam secretissimo et intimo vel in ipsa sacramentali confessione revelare?

IV. Quibus poenis plectatur qui talia egerit in primo, vel secundo, vel tertio casu?

V. Qui ignarus certae notitiae, eam ab alio vel aliis tutissime haurire valeat absque ullo periculo violationis secreti, num possit esse, absque S. Congregationis licentia, hanc personam vel has personas interrogare?

VI. Et si hoc fecerit, teneturne hanc personam vel has personas a quibus notitias hausit, in suis informationibus S. Congregationi manifestare?

Et S. C. Consistorialis, omnibus mature perpensis, ad praedicta dubia respondendum censuit:

Ad I, II et III. In omnibus his casibus non licere.

Ad IV. Excommunicatione, a qua nemo, nisi ipse Romanus Pontifex, excluso etiam Eminentissimo Cardinali Maiori Poenitentiario, absolvere potest; aliisque poenis ferendae sententiae, quae contra violatores secreti S. Officii a iure statutae sunt.

Ad V. Posse.

Ad VI. Teneri.

Quae solutiones cum ab infrascripto Cardinali Secretario ad Summum Pontificem, in Audientia diei 20 huius mensis relatae fuissent, Sanctitas Sua eas approbavit et publicari mandavit. — Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die 25 Aprilis 1917 » ¹.

2. - Decreto S. C. Consistorialis, 19 Martii 1919, dantur normae ad probandam idoneitatem eorum qui ad dignitatem episcopalem promoveri a S. Sede poterunt pro Dominio Canadensi et Terrae Novae. Candidati, ab anno 1920, in coetibus Episcoporum singulis bienniis habendis designabuntur. Nomina candidatorum a singulis Ordinariis tempestive Metropolitanis mittentur. De ipsis in coetu Episcoporum disceptatio fiet et per plura scrutinia de dignioribus constare debet. Acta totius conventus ad Sanctam Sedem mittentur ².

3. - Decreto S. C. Consistorialis, 20 Nov. 1920, definitae sunt normae quibus Episcopi Scotiae, investigationibus secretissime factis, in coetu triennali ufragia ferent de iis qui ad dignitatem episcopalem suscipiendam dotes habere et Sanctae Sedi proponendi videantur ³.

Can. 330. — 1) *A. A. S.*, IX, 232. Tenet tamen Vermersch, *Periodica*, VIII, « quidquid dictum sit vere sub sigillo sacramentali seu in foro Dei non... posse in ullo foro humano poena etiam excommunicationis plecti »; *Periodica*, VIII, 157. Verum haec materia, ut notat idem auctor, nunquam erit materia necessaria confessionis. — 2) *A. A. S.*, XI, 124. Si mille hujus praecesserat decretum S. C. Consistorialis 25 Iulii 1916, pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, *A. A. S.*, VIII, 400. — 3) *A. A. S.*, XIII, 13.

4. - Decreto S. C. Consistorialis, 19 Martii 1921, dantur normae pro designatione Episcoporum in Brasilia ⁴.

5. - Decreto S. C. Consistorialis, 30 Aprilis 1921, ad Rempubli-
cam Mexicanam extenduntur normae datae ad commendationem pro
dignitate episcopali pro Dominio Canadensi ⁵.

6. - Decreto S. C. Consistorialis, 20 Augusti 1921, similes normae
dantur pro dioecesibus ritus latini in Polonia ⁶.

7. - Decreto S. C. Consistorialis, 29 Februarii 1924, ob mutata
temporum adiuncta, et ad promovendorum idoneitatem et dignitatem
agnoscendam, suffecta praevia secreta inquisitione, in designatione ad
officium episcopale, sollemnis duorum testium interrogatio, ab Urbano
VIII, 15 Maii 1591, praecepta, abolita est ⁷.

335 1. - Unus Episcopus est legislator in sua dioecesi, sive in syn-
odo sive extra synodum. Ad consulendum Capitulum ante
suarum legum promulgationem non tenetur. S. C. Concilii, 15 Iunii
1918 ¹.

2. - S. C. Concilii (in voto Consultoris), 19 Februarii 1921, quae-
dam tangit de potestate legifera Episcoporum, quae his verbis defini-
tur: « Exploratum est hodie apud omnes, potestatem legislativam
Episcoporum huc pertinere, ut legibus suis quasi perficiant quod ius
commune reliquerit minus definitum et sancitum, ita ut nihil ab ipsis
contra ius commune vel eius directionem statui possit » ².

3. - Signatura Apostolica, 15 Decembris 1923, definiens Episco-
porum potestatem legiferam declaravit eam solummodo legibus Ec-
clesiae communibus et generalibus et Romanorum Pontificum decretis
peculiaribus coartari ³.

337 1. - Attento can. 337, § 3, in suo robore manet decretum S. R.
Congregationis n. 4023, 12 Iunii 1899, de iure Episcoporum
dioecesanorum cedendi thronum alteri Episcopo. S. C. Rituum, 26
Novembris 1919 ⁴.

2. - « Exercere pontificalia in iure est sacras funciones peragere
quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest bacu-
lum aut mitram; quod contingit iuxta *Caeremoniale Episcoporum* et
Pontificale Romanum, praeterquam in Missae sollemnis celebratione,
in Vesperis pontificalibus, in assistentia pontificali Missae et Officio
chorali, in Ordinum collatione, in consecratione Episcopi, in benedi-
ctione Abbatis, in velandis sacris virginibus, in coronatione Regum, in
consecratione campanarum, ecclesiarum, vasorum, in benedictione
primi lapidis, coemeterii, in reconciliatione Ecclesiae vel coemeterii,

4) *A. A. S.*, XIII, 222. — 5) *A. A. S.*, XIII, 379. — 6) *A. A. S.*, XIII, 430. —
7) *A. A. S.*, XVI, 160.

Can. 335. — 1) *A. A. S.*, X, 504. — 2) *A. A. S.*, XXI, 228. — 3) *A. A. S.*, XIV, 107.
Can. 337. — 1) *A. A. S.*, XII, 177.

et in sollemnis Confirmationis collatione », S. C. Concilii 9 Februarii
1924 (Vide can. 412) ².

339 1. - « D. - Quenam sint festa suppressa, de quibus in canoni-
bus 339, § 1 et 466, § 1, in quibus nempe ab Episcopis et
parochis applicanda est Missa pro populo sibi commisso?

R. - Nihil hac in re per Codicem iuris canonici immutatum esse
a disciplina huc usque vigente ». C. I., 17 Februarii 1918 ¹.

2. - Index festorum suppressorum, quibus, iuxta can. 339 et 468,
in universa Ecclesia onus inest applicandi Missam pro populo hic est:
« Ferae II et III post Dominicam Resurrectionis D. N. I. Ch., et
Pentecostes; — dies Inventionis S. Crucis; — dies Purificationis B.
M. V.; — dies Annuntiationis B. M. V.; — dies Nativitatis B. M. V.;
— dies Dedicacionis S. Michaëlis Arch.; — dies Nativitatis S. Ioannis
Bapt.; — dies SS. Apostolorum: Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae,
Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mat-
thiae; — dies S. Stephani Protomartyris; — dies SS. Innocentium;
— dies S. Laurentii martyris; — dies S. Silvestri Papae; — dies
S. Annae Matris B. M. V.; — dies S. Patroni Regni; — dies S. Pa-
troni loci ». Ex decreto S. C. Concilii, 28 Decembris 1919 ².

340 1. - Instructione S. C. Consistorialis, 4 Novembris 1918, datur
nova formula servanda in relationibus dioecesanis ad Sanctam
Sedem faciendis. Tribus monitis praemissis, nova formula constat XII
capitibus et centum articulis ¹.

2. - Episcopi tertio quoque anno ad S. C. Concilii referant de
tota hac materia (catechetica), maxime quod spectat ad scholas illas
altiores et collegia de quibus in *Motu proprio* Pii XI 29 Iunii 1923
(Vide can. 250) ².

3. - Triennalis relatio de statu Seminariorum facienda est ab
Ordinariis Sanctae Sedi idest Sacrae Congregationi de Seminariis.
S. C. de Seminariis, 2 Februarii 1924 (Vide can. 1357) ³.

4. - « Episcopi aliique locorum Ordinarii, tertio quoque anno,
una simul cum relatione de religiosa institutione de qua in Litteris
Orbem catholicum die 29 mensis Iunii anni 1923, motu proprio datis,
etiam de rerum conditione ac de statu circa feminarum vestiendi
morem deque operibus ad normam huius Instructionis praestitis »,
Sacram Congregationem Concilii certiore reddant. S. C. Concilii, 12
Ianuarii 1930 (Vide can. 1262) ⁴.

5. - Episcopi et reliqui locorum Ordinarii singulis annis ab anno

2) *A. A. S.*, XVIII, 245.
Can. 339. — 1) *A. A. S.*, XI, 179. — 2) *A. A. S.*, XII, 42. Cfr. Vermeersch, *Perio-
dica*, X, 189, 190.

Can. 340. — 1) *A. A. S.*, X, 487. Formulam invenire poteris etiam apud M. a Coronata,
Institutiones, V², p. 197. — 2) *A. A. S.*, XV, 327. — 3) *A. A. S.*, XVII, 547 sqs.; *Perio-
dica*, XIII, 191. — 4) *A. A. S.*, XXII, 26.

1933 mense Ianuario ad S. C. de Sacramentis referre debent de causis matrimonialibus anno praecedente agitatis. S. C. die Sacramentis 1 Iulii 1932 (Vide can. 1960) ⁵.

344 Ordinarius loci nequit visitare ecclesias Ordinum regularium exemptorum. C. I., 8 Aprilis 1924 (Vide can. 1261).

347 Archiepiscopus metropolita extra suam provinciam non praecedit Archiepiscopo suffraganeis carenti. C. I., 5 Augusti 1941 (Vide can. 106, 13).

349 1. - Decreto S. C. Consistorialis, 25 Aprilis 1918, facultates triennes ante Codicem Ordinariis locorum concedi solitae, exceptis locis S. C. de Propaganda Fide subiectis, supprimuntur. Eodem decreto in suo robore manere declarantur facultates a S. Poenitentiaria pro foro interno datae. Quibusdam Ordinariis dissitarum regionum conceduntur certae facultates dispensandi a certis impedi- mentis matrimonialibus ¹.

2. - Responso S. C. Consistorialis, 1 Iulii 1918, declaratur de- creto supra citato 25 Aprilis 1918, non fuisse revocatum indultum speciale aliquibus Ordinariis concessum applicandi missas in favorem Seminarii ².

3. - Decreto S. C. Consistorialis, 2 Augusti 1918, Ordinariis Ame- ricae conceduntur quaedam facultates extraordinariae dispensandi a legibus ecclesiasticis, tempore belli ³.

4. - Decreto S. C. Consistorialis, 4 Martii 1919, facultates de quibus in decretis 25 Aprilis 1918 et 2 Augusti 1918 duraturae esse dicuntur ad sex menses post signatam pacem ⁴.

5. - S. Poenitentiaria, 18 Iulii 1919, ad dubium: « An liceat Episcopis communicare presbyteris suae ditionis habitualiter pote- statem benedicendi rosaria, etc., de qua in canone 349, § 1, n. 1, cum applicatione indulgentiarum, observatis ritibus ab Ecclesia prae- scriptis ». Respondit: « Negative » ⁵.

6. - Utile puto hic integre responsa S. Rituum Congregationis, quamvis nimis longa, circa plura quae Episcopos respiciunt addu- cere: « Sacra Rituum Congregatio enixe rogata est, ut opportune insequentia, de quibusdam Episcoporum privilegiis, insignibus ac fun- ctionibus, dubia enodare dignaretur, nimirum:

« I. De quolibet Episcopo quaeritur:

1° Num episcopale biretum rubro torulo exornari queat?

2° Num cuivis Episcopo liberum sit uti cappa ceterisque ve- stibus a panno serico et ondulato (vulgo *amoerro*), aut saltem serico?

⁵ *A. A. S.*, XXIV, 272.

Can. 349. — 1) *A. A. S.*, X, 190. Cfr. *Periodico*, X, 117-118. — 2) *A. A. S.*, X, 325. — 3) *A. A. S.*, X, 363. — 4) *A. A. S.*, XI, 129. — 5) *A. A. S.*, XI, 332; *Vermeeersch*, *Periodico*, X, 95.

3° Utrum violacei coloris esse possint, an potius nigri coloris esse debeant, vestis talaris, mantelletum et forte mozzeta et biretum Episcopi, in iis functionibus quae poenitentiae temporibus, vel pro defunctis fiunt?

4° Num unquam Episcopus, stante praesertim consuetudine, v. g. ad Confirmationem sive publice sive privatim ministrandam, aut in processionibus, gestare possit stolam et mitram et pastorem baculum cum habito praelatio uti supra?

5° Num usus mitrae argenteae cum laciniis item argenteis, pro simplici mitra damascena vel linea cum rubeis laciniis, sicubi in- vectus fuerit, tolerandus sit?

II. De Episcopo in propria dioecesi petitur:

1° Praesente S. R. E. purpurato Patre non Legato, utrum moz- zetam, an satius mantelletum Episcopus Ordinarius induat?

2° Praesente item Cardinali vel Metropolitano, debeatne Epi- scopus Ordinarius cappam, si induerit, reflexam sustinere, et a pri- vatis benedictionibus abstinere?

3° Possitne Episcopus Ordinarius, post Missam de Requiem, cui mozzeta indutus in choro adfuit, stolam super amictum, et plu- viale assumere, et, recedente celebrante, absolutionem ad tumulum ritu consueto peragere?

4° - Utrum Episcopo Missam lectam (sive privatam sive or- dinationis) celebranti assistere valeant ad altare, ubi saltem id iam moris est, duo canonici quamvis insignibus vestiti; an tantum adhi- bito superpelliceo super rochetum, si huius usu gaudeant?

III. De Episcopis extra propriam dioecesim, inquiritur:

1° Num, attenta consuetudine, tolerari possit ut Episcopus extraneus, sive praesente sive absente Episcopo Ordinario, non man- telleto sed mozzeta super rochetum utatur?

2° Num et quando extraneo Episcopo fas sit, praesente vel absente Episcopo Ordinario, cappam adhibere?

3° Quomodo Episcopus extraneus, si, functione id requirente, aut annuente Episcopo Ordinario, pastoralis baculo utatur, superio- rem huiusce baculi partem vertere debeat?

4° Praesente Episcopo Ordinario, qui extraneo Episcopo sole- mniter celebranti throni usum concessit, utrum hic thronus esse possit thronus ipsius Episcopi Ordinarii ab Evangelii parte positus; an erigi debeat a parte Epistolae thronus alter, Episcopo quidem Ordi- nario proprium thronum retinente?

5° Possitne Episcopus Ordinarius assistere in proprio throno, thronus ipsius Episcopi Ordinarii ab Evangelii parte positus; an lemner celebrat?

6° Si Metropolitanus, vel Episcopus extraneus, utens Episcopi Ordinarii throno pontificaliter celebret:

a) Num septimum candelabrum adhibendum sit?

b) Possintne, praeter presbyterum assistentem et diaconum et subdiaconum, duo etiam diaconi parati Episcopo celebranti adistere?

7° Assistente Episcopo Ordinario in proprio throno, dum alter Episcopus sollemniter ad faldistorium celebrat, si cantato Evangelio, fiat concio:

a) utri Episcopo concionatorem ante sermonem benedicere competat?

b) Coram utro, in fine, diaconus confessionem decantare debeat?

c) Utrius sit sollemnem tunc benedictionem impertiri?

8° Si forte eiusmodi concio ab alio Episcopo praesente, ut supra, vel celebrante Episcopo Ordinario, habita sit, quis indulgentias post publicam confessionem nuntiare debeat?

9° Assistente autem in Choro, vel absente, Episcopo Ordinario, dum extraneus Episcopus pontificaliter in eius throno celebrat, si fiat post Evangelium concio, numquid hac conclusa, sollemnis quoque benedictio dari debeat, aut possit?

IV. De pluribus Episcopis simul praesentibus, dubitatur:

1° Fierine debeat Episcoporum, Missae sollemni pontificali assistentium, thurificatio statim ante incensationem presbyteri et diaconorum paratorum, qui Episcopo celebranti assistunt?

2° Num probanda sit consuetudo instituendi, sollemnium quarundam occasione, processiones, in quibus omnes, qui eisdem intersunt, Episcopi stola et pluviali et mitra parati sunt, ac baculum pastorem gestant?

3° In eiusmodi processibus:

a) Quonam ordine incedere debeant tum Episcopus qui processioni praest, tum ceteri Episcopi?

b) Num debeatur, an saltem concedi possit, singulis Episcopis non celebrantibus duorum canonicorum assistentia?

4° Num probari possit ut populo, piac cuiusdam peregrinationis aut festivitatis occasione congregato, omnes simul Episcopi praesentes consuetam benedictionem, verba una voce decantantes, sollemniter impertiantur?

V. De Episcopo Ordinario et de Vicario Generali, qui est Episcopus titularis Auxiliaris.

1° Potestne Episcopus Cardinalis permittere suo Vicario Generali, qui est etiam Episcopus titularis Auxiliaris, induere solam mozzetam loco mantelleti?

2° Idem Vicarius Episcopus etiam Auxiliaris potestne benedicere populo infra et extra Ecclesiam?

3° Attento can. 337, § 3 Codicis I. C., manetne in suo robore Decretum S. R. C. n. 4023, diei 12 Iunii 1899, super iure Episcoporum cedendi thronum alteri Episcopo?

Sacra porro Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus et singulis propositis quaestionibus maturo examine perpensis, ita rescribendum censuit; nimirum:

I. Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. III, nn. 1, 3), adhibito nempe rudiori vel leviori panno ex lana pro opportunitate; texili enim serico (non undulato) legitime utuntur qui sunt de Cappella, Domo, Familia Summi Pontificis.

Ad 3. Romae, semper esse debent violacei coloris, excepta Sede vacante; extra Urbem, laudabiliter coloris nigri, exceptis bireto ac pileolo, quae semper erunt violacei coloris.

Ad 4. Negative, et servantur: Pontificale Romanum (edit. typ. 3 Augusti 1888), Caeremoniale Episcoporum (edit. typ., 21 Augusti 1886), et decreta.

Ad 5. Negative, quum mitra ex tela argentea sit propria Summi Pontificis in luctuosis: sed neque damascena, quae vel Cardinalium (specialis) vel Protonotariorum Apostolicorum ad instar est propria.

II. Ad 1. Servetur Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. IV, n. 2).

Ad 2. Ad primam partem, affirmative. Attamen illam explicabit pontificalia peracturus, inserviente de ea caudatario, illos actus excipiendo, quos immediate cum Cardinali vel Metropolitano aut versus eos exhibeat.

Ad secundam affirmative, iuxta *Caeremoniale Episcoporum* (lib. I, cap. IV).

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

III. Ad 1. Imo convenit, *domi*, invitante Episcopo Ordinario, aut ex praesumpto ipsius beneplacito; *extra*, negative, nisi iuxta *Caeremoniale Episcoporum* (lib. I, cap. IV, nn. 4 et 7) et decreta (praesertim Decr. n. 388, *Ianuen.* 20 Iulii 1621), cum mozzeta habeatur simul mantelletum: paulatim amota, iuxta prudens arbitrium Ordinarii, consuetudine, ubi adsit.

Ad 2. Rite utitur cappa, quando Pontificalia solemnna ad solium legitime peragit; si tamen sit Ordinarii Coadiutor seu Auxiliaris, uti poterit iis in adiunctis, in quibus licet iuxta leges liturgicas, de licentia Ordinarii, ad mentem Decretorum S. R. C. nn. 2010, *Veliterna*, 6 Septembris 1698, ad 1 et 2; 2011, *Veliterna*, item 6 Septembris 1698, ad 1, et 4023, 12 Iunii 1899.

Ad 3. Semper cum parte reflexa ab se; scilicet, versus personas vel res quas prospicit.

Ad 4. Affirmative ad primam partem; imo Missae pontificalis ad thronum celebratio ad tramitem Caeremonialis Episcoporum habenda est, etiam quoad situm throni Celebrantis, qui sit in abside, seu in centro Chori, aut e cornu Evangelii. Negative ad secundam, salvo

iure Metropolitanus et Legatus Apostolicus episcopali characterē insigniti, quoad assistentiam in throno a latere Epistolae, celebrante Episcopo, etiam Ordinario, ad faldistorium, iuxta *Caeremoniale Episcoporum* (lib. I, c. XXIII, n. 24 et lib. II, cap. IX, nn. 5, 7); quod assistentiae ius non competit cuilibet Episcopo Ordinario, nisi ad tramitem Caeremonialis Episcoporum, loco secundo citato, scilicet in propria sede, celebrante alio Episcopo ad faldistorium.

Ad 5. Negative.

Ad 6. ad a): Negative; ad b): Affirmative.

Ad 7. Ad a, b, c. Servetur *Caeremoniale Episcoporum* (lib. II, cap. IX, nn. 5, 7), delata Episcopo Ordinario etiam benedictione concionatoris.

Ad 8. Servetur *Caeremoniale Episcoporum* (lib. II, cap. VIII, n. 51).

Ad 9. Negative, quum benedictio, ex *Caeremoniali et Pontificali* secumferat Indulgentiarum concessionem, quam omittere irregulare esset, verumtamen Episcopus celebrans, neque ex Ordinarii delegatione, valeret indulgentias concedere, Ordinarius autem non posset benedictionem impertiri, quippe quae a celebratione nequit separari.

IV. Ad 1. Servetur *Caeremoniale Episcoporum*.

Ad 2. Nihil obstat; abstineant tamen a stola et baculo pastoralis gerendis.

Ad 3. Ad a): Servetur consuetus in processionibus ordo, ad b): Negative, in casu.

Ad 4. Negative, non obstante, sicubi inoleverit, istiusmodi consuetudine, quae prudenter eliminanda est.

V. Ad 1. Negative.

Ad 2. Episcopus auxiliaris, qui simul sit Vicarius Generalis, potest in dioecesi ubique benedicere populo, tum in Ecclesia tum extra Ecclesiam, idque iure, quin opus sit specialem concessionem obtinere ab Episcopo Ordinario; ad normam can. 370, § 2, collati cum can. 349, § 1 et 239, § 1.

Ad 3. Affirmative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 26 Novembris 1919⁶⁾.

7. - Benedictus XV, Motu proprio *Episcopis*, 25 Aprilis 1920, statuit « ut omnes Episcopi regulares iam nunc rochetto utantur, atque eodem prorsus modo induti incedant ac saeculares Episcopi, salvo nimirum usitato vestimentorum colore et qualitate. Itaque, praeter casus in quibus iuxta *Caeremoniale Episcoporum* et Decreta, mozzeta tantum super rochetto, aut mozzeta cum mantelletto gestari debet aut potest, alias, uti omnes Episcopi, semper in hac alma Urbe mantelletum tantum super rochetto gerant »⁷⁾.

6) *J. A. S.*, XII, 177; *Periodica*, X, 205. — 7) *J. A. S.*, XII, 149. Cfr. Pawels, in *Periodica*, X, 142; *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 101 (1921), 43.

8. - « Repropositis dubiis in decreto S. R. C. De quibusdam Episcoporum privilegiis, diei 26 Novembris 1919 contentis: nimirum:

I. Num usus mitrae argenteae cum laciniis item argenteis, pro simplici mitra damascena vel linea cum rubeis laciniis, sicubi ab aliquo Episcopo invectus fuerit, tolerandus sit.

II. Fierine debeat Episcoporum Missae solemnī pontificali assistentium thurificatio statim ante incensationem presbyteri et diaconorum paratorum, qui Episcopo celebranti adsistunt ». Et S. Rituum Congregatio, 9 Iulii 1920, respondit:

I. Negative, iuxta *Caeremoniale Episcoporum* lib. I, c. 17, n. 1.

II. Servetur *Caeremoniale Episcoporum* lib. I, c. 22, nn. 27, 28 »⁸⁾.

9. - Vicarius Apostolicus Mongoliae Orientalis, sequentia dubia, pro opportuna solutione, S. C. de Propaganda proponit:

1° Vicarii Apostolici primae regionis Sinarum iam a plurimis annis dispensant fideles sibi subditos super lege abstinendi a servilibus diebus dominicis tempore utriusque messis occurrentibus.

Haec dispensatio publicatur in calendario ad usum christianorum, facta quolibet anno mentione apostolicae facultatis.

Quaeritur utrum vi huius Indulti Apostolici liceant praedictis dominicis indiscriminatim, omnia opera servilia, illa etiam quae a lignariis, coementariis, ferrariis aliisque peraguntur, an tantum opera servilia quibus tempore messis agricolae incumbunt.

2° Instructio a S. C. Sancti Officii die 16 Septembris 1824 data sic sonat: « Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis (ecclesiasticis et relativis) a quibus exempta est pars infidelis, et a quibus Ecclesia aliunde solet fideles dispensare, ut inde huius exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri ». Iuxta decretum C. S. O. 23 Aprilis 1913 obtinet praedictus effectus dispensationis a disparitate cultus, non habeat facultatem dispensandi super impedimentis quibus ligatur pars catholica, immo etiamsi missionarius ignoret num adsint in casu impedimenta relativa et quanam adsint.

Quaeritur utrum haec dispositio pro suppressa habenda sit, cum de ea in Codice non occurrit mentio; an contra ea non esse suppressa censenda sit, quia iuxta can. 6, 3° « canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt ».

3° Vicario Apostolico Mongoliae Orientalis sicut etiam aliis Vicariis Apostolicis concessa est potestas ad decennium subdelegandi suis missionariis facultatem quae eidem Ordinario qua Episcopo, ex canone 349, § 1, n. 1, conceditur, nempe:

Erigendi, ritibus ab Ecclesia praescriptis, stationes *Viae Crucis*,

8) *J. A. S.*, XII, 372.

5 — A CORONATA, *Interpretatio authentica*.

cum omnibus Indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus sunt concessae.

Quaeritur num adhuc sicut antea requiratur ad validitatem deputatio scripta, facta ab Ordinario, et quidem toties quoties, sacerdotis, qui *Viam Crucis* erigat.

Breviter respondeo dubiis quae in tua epistola proponis:

1° Vi canonum 1245 et 1248 vel vi peculiaris indulti, Vicarii Apostolici possunt in aliquibus casibus permittere quaedam opera servilia in diebus festis: ut, ex gratia, labores agrorum, tempore messis. Patet tamen quod dispensatio valet tantum pro illis laboribus pro quibus militat eadem ratio, non autem indiscriminatim pro omnibus operibus servilibus.

2° Responsiones C. S. O. a. 1913 circa dispensationem aliorum impedimentorum in matrimoniis mixtis, cum non opponantur Codici, etiam nunc valent (Vide can. 1070).

3° Non ad validitatem requiritur deputatio scriptis data in communicandis facultatibus circa *Viam Crucis*, indulgentias et alia huiusmodi; attamen opportunum est ipsam in scriptis dare, ad praefinitum tempus, ne dubia obveniant.

Et S. Congregatio vult ut ita fiat. S. C. de Propaganda Fide, 2 Decembris 1922⁹.

10. - Videri etiam potest responsio S. Rituum Congregationis de osculo manus Episcopi occasione administrationis Communionis ipsius Episcopi arbitrio remisso, 8 Maii 1925 (Vide can. 845).

11. - S. Poenitentiarum, 10 Novembris 1926, ad dubia: « I. Licetne Episcopis communicare, saltem per modum actus, sacerdotibus suae ditionis facultates, de quibus in canone 349, § 1, n. 1 C. I. C.? II. Eaedem facultates competuntne etiam Vicario generali? ». Respondit: « Ad utrumque: Negative » (Vide etiam can. 912)¹⁰.

12. - « D. - An verba: *ritibus ab Ecclesia praescriptis*, de quibus in canone 349, § 1, n. 1, ita intelligenda sint ut Episcopi in sacris benedictionibus prohibeantur solo crucis signo uti, quum peculiaris forma in libris liturgicis non praescribitur?

R. - Negative ». C. I., 12 Martii 1929¹¹.

13. - « D. — An verba: *in suae iurisdictionis locis*, de quibus in canone 349, § 2, n. 2, ita intelligenda sint ut Episcopi indulgentias concedere prohibeantur religiosis exemptis vel in eorum ecclesiis?

R. - Negative ». C. I., 6 Decembris 1930¹².

14. - Decreto S. C. Consistorialis 31 Decembris 1930, tribuitur Episcopis titulus *Excellentiae reverendissimae*¹³.

9) *Sylogae*, n. 107, p. 207. Responsum hic ad 2 datum, correctum fuit ab alio responso eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide 20 Maii 1931 dato, quod sub can. 1070 refertur. — 10) *A. A. S.*, XVIII, 500; Vermeersch, *Periodica*, XV, 234. — 11) *A. A. S.*, XXI, 170; *Apollinaris*, II, 243 sqs. — 12) *A. A. S.*, XXIII, 25; *Ius Pontificium*, XI (1931), 104. — 13) *A. A. S.*, XXIII, 22.

15. - Decreto S. C. Consistorialis, 24 Iunii 1933, definitus est praecise qualis sit color violaceus adhibendus in vestibus Praelatorum et Episcoporum, quotiens color violaceus iure praescribitur¹⁴.

16. - Episcopi nunc, decreto S. Poenitentiarum 20 Iulii 1942, concedere possunt indulgentiam centum dierum¹⁵.

350 Aliqua iura Episcopi auxiliaris qui sit simul Vicarius generalis soluta sunt a S. Rituum Congregationis responsis 26 Novembris 1919 (Vide can. 349)¹.

362 Episcopus qua unus in sua dioecesi legislator potest taxam Missarum definire sive in synodo sive extra synodum. S. C. Concilii, 15 Iunii 1918¹.

363 1. - *Consilium dioecesanum a vigilantia* de quo in Encyclic. *Pascendi* Pii X, 8 Septembris 1907, et Motu proprio *Sacrorum Antistitum*, 1 Septembris 1910, Pii X, vim retinet etiam post Codicem. Decretum S. Officii, 22 Martii 1918 (Vide can. 6)¹.

2. - Idem Consilium dioecesanum semel saltem in anno de aptioribus modis ac rationibus ad feminarum modestiae efficaciter consulendum ex professo agat. S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1930².

368 1. - Vicario generali non competunt facultates de quibus in can. 349, § 1, n. 1. Responsum S. Poenitentiarum, 10 Novembris 1926 (Vide can. 349).

2. - Responso C. I., 17 Iunii 1933, Vicarius generalis sine mandato speciali nequit authenticare partem sacrae reliquiae (Vide can. 1283).

3. - Vicarius generalis sine mandato speciali non potest tradere documentum authenticitatis vel apponere novum sigillum sacrae reliquiae. C. I., 17 Iulii 1933 (Vide can. 1285).

370 1. - S. C. Concilii, 17 Maii 1919, ad dubium: « An ius praecedentiae super omnibus dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis spectet Vicario generali in choro, veste canonicali induto ». Respondit: « Affirmative »¹.

2. - Vicarius generalis potest, si sit Episcopus auxiliaris, in dioecesi populo benedicere. S. R. Congregatio, 20 Novembris 1919, V, 2 (Vide can. 349)².

14) *A. A. S.*, XXV, 341. Iis qui illud requisierint Secretarius S. C. Caeremonialis folium mittet cum exemplari et modulo coloris violacei praescripti. — 15) *A. A. S.*, XXXIV, 240.

Can. 350. — 1) De episcopo auxiliari « Sedi dato » cfr. responsum S. C. Consistorialis diei 10 Ianuarii 1920, in *A. A. S.*, XII, 41; *Nouvelle Revue Théologique*, 47 (1920), 369; *Periodica*, X, 188, c.

Can. 362. — 1) *A. A. S.*, X, 504.

Can. 363. — 1) *A. A. S.*, X, 136. — 2) *A. A. S.*, XXII, 26.

Can. 370. — 1) *A. A. S.*, XI, 349; *Nouvelle Revue Théologique*, 47 (1920), 511. — 2) *A. A. S.*, XII, 177.

3. - S. C. Concilii, 15 Decembris 1923, ad dubium: « An Vicario generali, qui non sit canonicus, competat, etiam in choro et in actibus capitularibus, locus cum praecedentia super omnibus canonicis et dignitatibus ». Respondit: « Affirmative ad normam canonis 370, § 1 »³.

4. - S. C. Concilii, 10 Maii 1931, ad dubia: « I. An vi praecedentiae Vicario generali competant iura et officia, de quibus in canone 397; II. An vi praecedentiae Vicarius generalis canonicus eximatur a munere assistendi Episcopo in Missis aliisque functionibus pontificalibus; III. An Vicario capitulari, vi muneris, competat ius et officium peragendi functiones sacras in sollemnioribus anni festivitibus, de quibus in canone 397, n. 1 ». Respondit ad tria relata dubia: « Negative »⁴.

379 « D. - Utrum verba can. 379, 1: *retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae*, referenda sint tantum ad causas, quae a decennio sententia condemnatoria ubi solutae sunt, an etiam ad causas, quarum rei vita cesserint.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 5 Augusti 1941¹.

384 1. - « In generali consessu Supremae S. Congregationis Officii habito feria IV, 2 Iulii 1919, proposito dubio: — Utrum instructiones huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis, latae die 16 Septembris 1864 circa participationem catholicorum cuidam societati Londini erectae ad *procurandam*, ut aiebant, *christianam unitatem*, applicandae sint et a fidelibus servandae etiam quod ad eorundem participationem conventibus quibuscumque, comitiisque publicis vel privatis ab acatholicis indietis, qui finem sibi praestituunt unionem procurandi omnium coetuum christianorum nomen sibi vindicantium. — Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus fidei et morum inquisitores generales respondendum mandarunt: *Affirmative*, et iterum evulgandas esse in ephemeride officiali Sanctae Sedis supra memoratas litteras, una cum aliis ad quosdam Puseistas anglicos datis die 8 Novembris 1865 ». S. C. S. Officii, 4 Iulii 1919¹.

2. - S. C. S. Officii, 18 Iulii 1919, ad dubium: « An doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi possint cum doctrina catholica, ideoque an liceat nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere ». Respondit: « Negative in omnibus »².

3. - S. C. S. Officii, 8 Iulii 1927, ad dubium: « An liceat ca-

3) *J. A. S.*, XVI, 371. — 4) *J. A. S.*, XXIII, 235.

Can. 379. — 1) *J. A. S.*, XXXIII, 378; *Periodica*, XXXI, 190, 192 sq.

Can. 384. — 1) *J. A. S.*, XI, 309; *Periodica*, X, 31. — 2) *J. A. S.*, XI, 317.

tholicis interesse vel favere acatholicorum conventibus, coetibus, concionibus aut societatibus, quae eo spectant ut omnes christianum nomen utcumque sibi vindicantes uno Religionis foedere consocientur ». Respondit: « Negative, atque standum omnino decreto ab hac ipsa S. Congregatione, die 4 Iulii 1919, edito, *de participatione catholicorum societati ad procurandam christianitatis unitatem* »³.

395 1. - « D. - An, vi canonis 395, § 1, Episcopus teneatur pro quotidianis distributionibus, tam in cathedralibus quam in collegiatis, tertiam partem fructuum separare, etiam si in dictis ecclesiis distributiones chorales, quamvis tenues, originem repetant ex privilegio apostolico.

R. - Affirmative ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

2. - « D. - Utrum praescripta decreti S. C. Concilii diei 30 Novembris 1910 *Decorem domus Dei*, de chori disciplina in Urbe servanda, I-VII, adhuc vigeant.

R. - Affirmative ». C. I., 16 Octobris 1919².

3. - S. C. Concilii, 15 Ianuarii 1921, ad dubium: « An absentes a choro vi indulti apostolici, quo conceduntur distributiones: *amissis inter praesentes tantum*, ius habeant ad fallentias in casu ». Respondit: « Affirmative, dummodo ne agatur de fallentiis e distributionibus inter praesentes tantum provenientibus »³.

4. - S. C. Concilii, 16 Maii et 4 Iulii 1925, ad dubia: « I. An supplementum congruae canonicalis subsit, necne, legi canonicae distributionum ad tramitem canonis 395 in casu; — et quatenus affirmative ad primam, negative ad alteram partem; II. An sit ab ea lege excipienda summa cumulata a die quo congruae supplementum decretum est, vulgo *arretrati*; III. An et quomodo canonici et beneficiati, a civili auctoritate non recogniti, participare debeant de integro congruae supplemento in Capitulis ubi viget systema massae communis, vel potius de illa tantummodo parte, quae sit ab Episcopo assignata sive pro distributionibus quotidianis sive inter praesentes; IV. An quota, peculiariter assignata dignitatibus et officiis, immitti debeat in massam communem capitularem in casu; V. An et qua proportione dignitates et officia participare debeant de parte sibi peculiariter assignata, quae sit inmissa in massam communem capitularem in casu; VI. An quota pars, peculiariter assignata dignitatibus et officiis, subsit legi canonicae distributionum ad tramitem canonis 395, §§ 1 et 2 in casu; VII. Quamnam partem de massa communi distributionum lucrentur inseriendo dignitates et officia in Capitulis ubi viget systema praebendarum separatarum in casu? ». Respondit: « Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad alteram, et ad men-

3) *J. A. S.*, XIX, 278.

Can. 395. — 1) *J. A. S.*, XI, 177; *Periodica*, X, 99; *Ius Pontificium*, 1923, 11. — 2) *J. A. S.*, XI, 176. — 3) *J. A. S.*, XIII, 198.

tem ». Mens est: Episcopus, quod spectat ad actualem separationem tertiae partis supplementi et conversionem eiusdem in distributiones quotidianas, utatur iure et munere suo ad normam canonis 395, §§ 1 et 2 C. I C.; Ad II. Negative, et ad mentem. Mens est: Supplicandum SS.mo pro gratia sanationis et condonationis, celebratis una Missa cum cantu, integro adstante Capitulo, et una Missa lecta per singulos canonicos; Ad III. Salvis contrariis capitularibus statutis vel consuetudinibus: negative ad primam partem, affirmative ad alteram, si pars fuerit ab Episcopo in distributiones conversa; Ad IV. In Capitulis ubi viget systema praebendarum separatarum, negative; in Capitulis vero ubi viget systema massae communis, affirmative; Ad V. Non minori ea quantitate quam percipiebant ante assignationem supplementi congruae; Ad VI. Affirmative; Ad VII. Lucrantur eam partem, quae proportionaliter respondet ad id, quod de tertia parte suae praebendae detractum est et in distributiones conversum »⁴.

5. - Vide etiam decisionem S. C. Concilii, 16 Iulii 1927, de non computanda inter distributiones tertia parte augmenti dati a Gubernio civili (Vide can. 1410 et hunc can. 395, n. 4).

6. - Vide item decisionem S. C. Concilii, in *Malacitana*, 15 Novembris 1930, ubi inter alia de lege distributionum quotidianarum ordinanda in Capitulo Malacitano agitur⁵.

7. - Distributiones chorales non sunt obnoxiae tributo de quo in art. 57 Instructionis S. C. Concilii, 20 Iunii 1929. Responsum S. C. Concilii 20 Martii 1931 (Vide can. 1505).

8. - S. C. Concilii, 18 Iunii 1932, ad dubium: « An et quinam proventus immittendi sint in massam distributionum in casu ». Respondit: « Affirmative quoad indemnitate domus, negative quoad indemnitate servitii »⁶.

9. - S. C. Concilii, 4 Februarii 1933, ad dubia: « I. Utrum duae tertiae partes distributionum, quae locum tenent praebendae, dividendae sint per dies naturales, an per dies servitii in casu; II. Utrum distributiones quotidianae dividendae sint per dies naturales an per dies servitii in casu ». Respondit: « Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam »⁷.

396 1. - « D. - An optio, de qua in canone 396, § 2, censeatur prohibita etiam ubi viget ex speciali indulto apostolico.
R. - Affirmative ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

2. - « D. - Utrum prohibitio optionis, per canonem 396, § 2 Co-

4) *A. A. S.*, XVII, 381. — 5) *A. A. S.*, XXV, 83.

6) *A. A. S.*, XXVI, 58. — 7) *A. A. S.*, XXVI, 183.

Can. 396. — 1) *A. A. S.*, XI, 477; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 65.

dicis iuris canonici inducta, intelligenda sit tantum quoad dignitates, an etiam quoad omnes canonicatus.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 24 Novembris 1920².

3. - « D. - Utrum, ad normam canonis 396, § 1, Sedi Apostolicae reservetur collatio dignitatum quae nullam praebendam, nulla emolumenta aut valde exigua adnexa habeant.

R. - Affirmative ». C. I., 1 Iulii 1922³.

4. - Deliberatione S. C. Concilii, 9 Iunii 1923, declaratur non sustineri indultum apostolicum quo in cathedrali Nicosiensi collatio canonicatum fiebat ante Codicem per optionem (Vide can. 403).

5. - « D. - I. An vi canonis 396, § 2 prohibeatur optio ad praebendas quomodocumque canonicae seu titulo canonicali adnexas.

II. An vi eiusdem canonis prohibeatur optio etiam ad domos, praedia aliaque a praebendis canonicalibus distincta.

R. - Ad I. Affirmative. Ad II. Negative ». C. I., 17 Februarii 1930⁴.

6. - Die 11 Novembris 1930 a Dataria Apostolica promulgatae sunt normae servandae ab Ordinariis locorum in impetranda a Sede Apostolica collatione beneficiorum Sanctae Sedi reservatorum aut devolutorum⁵.

7. - S. C. Concilii, proposito sibi dubio: « An ius Capituli collegialis Beatae Mariae de Eleemosyna eligendi canonicos et dignitates sustineatur in casu », die 15 Iunii 1940 respondit: « Negative ». Agebatur autem de iure quod Capitulum sibi competere putabat conferendi dignitates ex lege foundationis⁶.

8. - Dataria Apostolica, 1 Ianuarii 1942, *Instructionem* promulgavit « De observandis a Reverendissimis Ordinariis cum ab Apostolica Dataria collationem petunt beneficiorum non consistorialium, quae ad normam iuris Apostolicae Sedi sint reservata vel devoluta ».

In ipsa declaratur quaenam beneficia S. Sedi reserventur et admissim indicantur quaenam continere debeant litterae quibus a Dataria Apostolica collatio beneficiorum petitur⁷.

397 1. - Canonico coadiutori competere nequit ius praesidendi Capitulo, etsi coadiutori ius sit succedendi in officio primae dignitatis ad quam de iure ius praesidendi spectat. S. C. Concilii, 11 Dec. 1920¹.

2) *A. A. S.*, XII, 573; *Periodica*, X, 252; *Ius Pontificium*, 1923, 114. — 3) *A. A. S.*, XIV, 406; *Periodica*, XI, 127; *Ius Pontificium*, 1922, 83. — 4) *A. A. S.*, XXII, 195; *Il Manitore ecclesiastico*, XXXVIII, 325 et 343; *Apollinaris*, III, 245 sqs. — 5) *A. A. S.*, XXII, 525. — 6) *A. A. S.*, XXIII, 333-334. — 7) *A. A. S.*, XXXIV, 113-118. Hanc instructionem, sicut et *Normas* a Dataria Apostolica datas 11 Nov. 1930, legere poteris in meis *Institutionibus Iuris Canonici*, II, ed. III, p. 686.

Can. 397. — 1) *A. A. S.*, XIV, 42; *Periodica*, XI, 51; *Ius Pontificium*, 1922, 27.

2. - Vicario generali vi praecedentiae eidem competentis ius non est peragendi functiones de quibus in can. 397, nec item eidem competunt alia iura et officia eiusdem can. 397. S. C. Concilii, 10 Maii 1931 (Vide can. 370).

3. - S. C. Concilii, 10 Decembris 1932, ad dubium: « An decano Capituli cathedralis Tarvisini, ratione dignitatis, ius praecedentiae competat in optione domorum super ceteros canonicos in casu ». Respondit: « Affirmative »².

399 1. - Pius XI, Motu proprio *Bibliorum scientiam*, 27 Aprilis 1924, inter alia decrevit ut beneficium theologale in Capitulis ulli ne conferatur, nisi, praeter alia, sit is licentia, aut laurea vel saltem baccalaureatu in re biblica potitus¹.

2. - Dataria Apostolica, 8 Aprilis 1940, declaravit licentiatum in Sacra Scriptura praefendum esse in collatione canonicatus theologalis etiam Doctori in Sacra Theologia, ceteris paribus².

400 1. - Canonicus theologus in Seminario regionali theologiam docens ex stipendio non tenetur suis expensis ponere substitutum, qui lectiones Sacrae Scripturae in cathedrali habeat, et tamen lucratur distributiones quotidianas. S. C. Concilii, 9 Iulii 1921¹.

2. - Canonicus theologus docens in Seminario dioecetano qua ratione excusetur a choro definit S. C. Concilii, 13 Ianuarii 1923 (Vide can. 420).

403 1. - Post Codicem iuris canonici non sustinetur amplius ius Capituli cathedralis Barulensis nominandi et praesentandi canonicos. S. C. Concilii, 10 Iunii 1922¹.

2. - Post Codicem iuris canonici Capitulo cathedrali Utinensi non competit amplius ius nominandi mansionarios. S. C. Concilii, 10 Februarii 1923².

3. - Post Codicem iuris canonici non sustinetur amplius ius vigens ex bulla erectionis in cathedrali ecclesia Nicosiensi, vi cuius collatio canonicatum fiebat per optionem et electionem alternatim factam ab Episcopo et a Capitulo, quia can. 403 revocantur privilegia iam concessa. Ita, 9 Iunii 1923, resolvit S. C. Concilii³.

4. - « D. - Utrum in collatione beneficiorum et canonicatum in ecclesiis collegialibus Capitulum, ad normam canonis 403 audiendum, sit cathedrale an collegiale.

2) *A. A. S.*, XXVI, 23.

Can. 399. — 1) *A. A. S.*, XVI, 180. — 2) *A. A. S.*, XXXII, 163.

Can. 400. — 1) *A. A. S.*, XVI, 397.

Can. 403. — 1) *A. A. S.*, XIV, 459; *Periodica*, XI, 194; *Ius Pontificium*, 1922, 89. — 2) *A. A. S.*, XV, 544; *Periodica*, XII, 164; *Ius Pontificium*, 1923, 182. — 3) *A. A. S.*, XIV, 432; *Periodica*, XIII, 195; *Ius Pontificium*, 1921, 165.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 10 Novembris 1925⁴.

5. - Ius nominandi canonicos in capitulo Collegialis ecclesiae B. Mariae, Ratisbonae, negatur Capitulo ipsi et Episcopo agnoscitur ius conferendi canonicatus ad normam can. 403. S. C. Concilii, 4 Martii 1933⁵.

6. - S. C. Concilii, 15 Februarii 1936, ius capituli cathedralis conferendi certa beneficia, quod aliqui ex iure patronatus Capitulo competere putabant, noluit agnoscere; nec item ius agnovit ut eadem beneficia seu canonicatus nonnisi sacerdotibus indigenis seu civibus originariis conferri possent⁶.

7. - S. C. Concilii non agnovit ius Capituli Collegialis B. Mariae de Eleemosyna eligendi dignitates. S. C. Concilii, 15 Iunii 1940 (Cfr. supra can. 396, 7).

404 1. - « D. - Utrum in collatione canonicatum, de quibus in canone 404, abrogatae sint leges particulares, revocata privilegia et reprobatae consuetudines, vi quarum iidem canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis, in qua sedem habet ecclesia, conferri possint, aut isti ceteris praeferrri debeant.

R. - Affirmative, salva contraria foundationis lege et firmo praescripto canonum 3 et 1435, § 3, ita tamen ut etiam in his casibus, si nullus inter indigenas reperitur idoneus seu dignus, canonicatus conferri possint ac debeant aliis idoneis et dignis, ad normam citati canonis 404 ». C. I., 26 Novembris 1922¹.

2. - S. C. Concilii, 16 Maii 1925, declaravit verba: *cives eiusdem civitatis*, de quibus in antiquo privilegio praeferrri cives in collatione beneficiorum, non esse referenda ad cives dumtaxat originarios².

408 1. - S. C. Concilii, 15 Novembris 1915, 1 Aprilis 1916, 13 Aprilis 1918, correxit decretum Eminentissimi Ordinarii Mediolanensis quo praecedentia inter capitulares in Capitulo Mediolanensi agnoscebatur super alios canonicos, nulla habita relatione ad ordinem seu classem canonicalem, subdiaconalem, diaconalem aut presbyteralem, canonicis qui prius in Capitulum fuerant cooptati. Hac occasione scriptum fuit Ordinario Mediolanensi mentem S. C. Concilii esse ut refoermentur Constitutiones Capitulares eo sensu quod canonici qui ab ordine diaconali ad presbyteralem transeunt praecedentiam inter canonicos ordinis presbyteralis habeant a die facti transitus, non a die quo in possessionem canonicalem ingressi sunt. Quo responso accepto, cum Capitulum iterum recursum interposuisset eadem S. C. Concilii respondit: « In decisio »; et decisionem ipsam « extenden-

1) *A. A. S.*, XVIII, 582; *Periodica*, XIV, 182; *Ius Pontificium*, 1926, 7. — 5) *A. A. S.*, XXVII, 341. — 6) *A. A. S.*, XXIX, 272.

Can. 404. — 1) *A. A. S.*, XV, 128; *Periodica*, XIII, 82; *Ius Pontificium*, 1923, 5. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 10.

dam esse etiam ad ordines subdiaconalem et diaconalem, itemque ad omnes casus in quibus Capitulum capitulariter intervenit ». Atque haec norma servanda est non solum in Capitulis ubi praebendae distinctae canonicorum habentur sed etiam in illis quorum redditus in communem cumulum rediguntur, in quibus tamen sunt certae et distinctae canonicorum classes. Atque haec est norma iuris communis in aliis etiam casibus observanda (e. g., episcopus iunior promotus Archiepiscopus obtinet praecedentiam in Episcopum seniore promotione. Si dein Episcopus senior et ipse Archiepiscopus designetur, non ideo iterum praecedentiam acquirit in alterum Archiepiscopum, sed ipsa praecedentia pertinet ad eum qui prior archiepiscopus est designatus) nisi exceptio ex privilegio probetur, ut de facto pro Cardinalibus ex privilegio ipsis concessa a Clemente VIII, in Codice retento, can. 236, § 2 vi cuius Cardinalis diaconus ad titulum presbyteralem transiens praecedentiam inter Cardinales presbyteros obtinet a sua promotione in ordine diaconali. Licet igitur can. 106, § 6 Ordinarius agnoscat dirimendi controversias de praecedentia, in hoc iudicio faciendo Ordinarius leges iuris communis servare debet ¹.

2. - Decreto Episcopi statutus est ordo sedendi in choro pro capitularibus ita ut ordo initium sumeret non a cathedra Episcopi quae est prope altare, sed a cathedra quae est in ima abside sita. Decanus Capituli non obtemperavit et recursum interposuit. S. C. Concilii, 6 Iulii 1922, resolvit standum esse decreto Episcopi et sustineri suspensionem qua punita fuit inobedientia decani ².

409 1. - S. C. Concilii, 13 Iunii 1925, ad dubia: « I. Pertinetne sanctio: *secus censeantur tanquam absentes*, ad utrumque, quod in canone 409, § 1 adducitur, praescripti membrum, ita ut non tantum canonici vestem praescriptam in choro non deferentes, sed etiam Episcopi auxiliares, veste episcopali in choro non induti, censendi sint tanquam absentes? II. Suntne, praescripto statutorum capitularium supra adducto, Episcopi auxiliares excusati a deferenda in choro veste episcopali? III. Possuntne Episcopi auxiliares, qui in choro pro episcopali, veste tantum capitulari utuntur, provocare ad immemorabilem consuetudinem in Capitulo observatam? IV. Potestne Episcopis auxiliariis, dum in choro ecclesiae metropolitanae et non in sacello choralis in stallis assistunt, permitti usus cappae super rochetto, tempore hiemali cum armellino? ». Respondit: « Ad I. Affirmative; ad II. Negative; ad III. Affirmative ad normam canonis 5, si Ordinarius existimet huiusmodi consuetudinem immemorabilem prudenter submoveri non posse; ad IV. Negative, seu standum esse decreto S. R. C. in *Mediolanen.* 16 Martii 1833 ad I et II, n. 2706, vel petendum in-

Can. 408. — 1) *A. A. S.*, XI, 9 sqs. Vide *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 31, p. 22 sqs. — 2) *A. A. S.*, XV, 115; *Ius Pontificium*, 1923, 11.

dultum a S. Rituum Congregatione ». Quaestio proposita fuerat Commissioni Interpr. quae eam remisit ad S. C. Concilii.

Decreto S. Rituum Congregationis in responso citato praescribitur ut Episcopus in choro induat rochetum super subtanam et mantelletum violacei coloris. Ad cappam induendam requiritur Sanctae Sedis indultum ¹.

2. - Iuxta statuta Capituli ecclesiae cathedralis, choralis habitus Canonicorum est rochetum cum mozzeta serica nigri coloris, intus rubro panno subsuta, cum fimbriis et globulis item rubris, et bireto laneo nigro cum fimbriis rubris ad ora. Ex indulto apostolico insuper ad pectus gestant parvam crucem auratam octangulam. — Quaeritur an quotidianas lucrentur distributiones si in horis canonicis absolvendis non utantur: — 1° bireto, quia praesertim aestivo tempore incommodum est; — 2° cruce pectorali, quia ex consuetudine non geritur nisi diebus festis et dominicis; — 3° mozzeta, quae intus rubro panno subsuta sit, cum fimbriis et globulis rubris, sed mozzeta simpliciter nigra, prout capellani gestant. In hoc enim tertio iam punctator Capituli aliquem canonicum qui casu fortuito mozzeta capellani indutus erat, ut absentem notavit et distributione quotidiana privavit. Porro Sacra Congregatio perpensis omnibus, in congressu diei responderi mandavit: Ad 1. Negative. — Ad 2. Affirmative. — Ad 3. Negative et punctator utatur iure suo ». S. C. Concilii, 14 Novembris 1928 ².

410 Litteris circularibus, 25 Iulii 1923, S. C. Concilii mandavit Episcopis ut quisquis proprio Capitulo terminum praestituit sex mensium ad capitularia statuta conficienda vel ad iuris tramitem emendanda; quo tempore frustra elapso, ipse Episcopus eadem conficiat imponatque Capitulo ¹.

411 1. - « Capitulum Ecclesiae cathedralis N. ex indulto quo die 1 Septembris anni 1862, S. D. N. sancire et confirmare in perpetuum numerum *novem* canonicorum in Ecclesia cathedrali nunc existentium dignatus est, constat revera novem canonicis numeratis. Hi canonici numerati vocantur in Gallia: *titulaires*. — Porro decursu temporis, annis scilicet 1903 et 1916, de consensu Capituli, iuxta praedictos novem canonicos a RR. DD. N. Episcopis duo canonici constituti sunt qui in choro divina officia cum numeratis persolvunt et proventibus, alter sumptu suo, alter sumptu decessoris, institutis, sustentantur. Huiusmodi canonici vocantur in Gallia: *prébendés*. — His in expositis quaeritur: — I. Utrum hi duo canonici vulgo *prébendés* interesse queant coetibus canonicorum acturis de negotiis ecclesiae ca-

Can. 409. — 1) *A. A. S.*, XVII, 538. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, XIV, 171; *Ius Pontificium*, 1925, 18. — 2) Responso non sunt promulgata in *A. A. S.* Vide ea in *Il Monitore ecclesiastico*, XLI, 162.

Can. 410. — 1) *A. A. S.*, XV, 453; Vermeersch, *Periodica*, XII, 99.

thedralis et Capituli. — 2. Utrum, si ad primum *affirmative*, hi duo canonici de omnibus negotiis, quae ad Capitulum et ecclesiam Cathedralis pertinent, ius habeant deliberandi et suffragium emittendi. — 3. Utrum participare debeant redditus tenuissimos quidem, quibus fruitur Capitulum. — 4. Utrum his duobus canonicis competat ius habendi scamnum, secundum tempus quo possessionem ceperunt inter novem canonicos numeratos, an seorsum ab his in choro semper sedere debeant. — Die 14 Februarii 1920, S. C. Concilii, in plenariis Em... Patrum comitiis in Palatio Vaticano habitis, respondendum censuit: — Ad 1. *Affirmative*, quando agitur de negotiis quae tangunt interesse generale Capituli vel ecclesiae Cathedralis. — Ad 2. *Affirmative*, exceptis iis in quibus agitur de negotiis canonicorum titularium. — Ad 3. *Affirmative*, exceptis iis quae pertinent ad canonicos primae erectionis seu titulares. — Ad 4. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam, seu canonicos praebendatos sedere debere post canonicos Titulares ». S. C. Concilii, 14 Ianuarii 1920 ¹.

2. - « D. - Utrum, ad normam canonis 411, § 3, in Capitulis vocem habeant beneficiati et mansionarii, si id eis competat tantum ex statutis capitularibus.

R. - *Negative*, seu post publicationem Codicis beneficiatos et mansionarios vocem in Capitulis amplius non habere, si id eis competeat tantum ex statutis capitularibus ». C. I., 24 Novembris 1920 ².

3. - Vide etiam responsum S. C. Concilii, 11 Decembris 1920, de iure praesidendi coetibus capitularibus non concedendo canonico coadiutori cum iure successionis (Vide can. 397).

412 1. - S. C. Concilii, 9 Februarii 1924, resolvit canonicos teneri Episcopo sacra peragenti assistere ad normam can. 412, § 1 aut § 2, iuxta qualitatem functionum ¹.

2. - Vicarius generalis vi praecedentiae non eximitur a munere assistendi Episcopo in Missis aliisque functionibus pontificalibus. S. C. Concilii, 10 Maii 1931 ².

413 S. C. Concilii, 12 Martii 1921, ad dubium: « An festis in factis specie recensitis, quibus dignitates Capituli ex consuetudine canunt Missam conventualem, onus eam applicandi pro benefactoribus incumbat dignitati celebranti vel canonico hebdomadario in casu ». Respondit: « *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad alteram » ¹.

Can. 411. — 1) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Vide illud in *II Monitore ecclesiastico*, XI, 279 et sqs. cum adnotationibus explicativis. — 2) *A. A. S.*, XII, 573; *Periodica*, X, 253.

Can. 412. — 1) *A. A. S.*, XVII, 245; *Periodica*, XIV, 90; *Ius Pontificium*, 1925, 7. — 2) *A. A. S.*, XXIII, 235.

Can. 413. — 1) *A. A. S.*, XIII, 438.

414 1. - Videri potest causa *Quebec*, 14 Iulii 1917, ubi de facultate concessa Ordinario Quebecensi reducendi servitium chorale ad dies dominicos et festos de praecepto. S. C. Concilii, 14 Iulii 1917 ¹.

2. - S. C. Concilii, 4 Februarii 1923, ad dubia: « I. Utrum duae tertiae partes distributionum, quae locum tenent praebendae, dividendae sint per dies naturales, an per dies servitii in casu; II. Utrum distributiones quotidianae dividendae sint per dies naturales an per dies servitii in casu ». Respondit: Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam; Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ².

3. - S. C. Concilii, 23 Aprilis 1927, propositis dubiis: « I. Utrum post Codicem ad ius alternativae requiratur expressa concessio Sedis Apostolicae, an sufficiant consuetudo vel constitutiones capitulares; II. An canonici iure alternativae gaudentes, per interessentiam choro in hebdomada non sua, possint supplere absentias admissas in hebdomada sua; III. Cum in Abulen., d. 14 Martii 1924, resolutum fuerit diem integre computandum esse in casu illegitimae absentiae a choro etiam per aliquot horas, quaeritur: an eadem computatio facienda sit in casu illegitimae absentiae alicuius horae ex parte illius qui obtinuit indultum *pro diebus et horis* ». Respondit: « Ad I. *Affirmative* ad primam partem, salva lege foundationis; *negative* ad secundam. Ad II. *Negative*. Ad III. *Affirmative* » ³.

415 Clausula paragraphi primae huius canonis qua reservatur privilegium apostolicum et conventio inita in erectione parociae videretur excludi quaelibet consuetudo etiam immemorialis. « His tamen non obstantibus, cum ex regula in can. 18 statuta: — *leges intelligentiae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam*: — cumque can. 5 apertis verbis praestituat, eas tantum consuetudines contra Codicis statuta ut iuris corruptelas habendas esse, ac consequenter corrigendas, quae expresse ab ipsis canonibus reprobentur, merito Patres retinuerunt, praescriptum memorati can. 5 non applicari normis praefinitis in can. 415, quo consuetudinis expressa reprobatio desideratur. Iudicium autem de contraria consuetudine prudenter removenda, vel, ob locorum et personarum adiuncta, toleranda, loci Ordinario spectat ad normam praefati canonis ». S. R. Rota, 13 Augusti 1925 ¹.

In eadem, 13 Augusti 1925, causa S. R. Rota ad dubium II et III, his verbis concordatis: « II. An Archipresbytero, in casu, competat cura actualis universa exclusive et independentem a Capitulo exercenda. Et quatenus *negative*: — III. Quenam curae actualis officia Capitulo potius quam Archipresbytero competant ». Respondit:

Can. 414. — 1) *A. A. S.*, V, 194. — 2) *A. A. S.*, XXVI, 183. — 3) *A. A. S.*, XIX, 415; *II Monitore ecclesiastico*, XI, 14; *Periodica*, XVI, 172; *Ius Pontificium*, 1928, 8.

Can. 415. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XVII, 339 et sqs.

« Ad II. Affirmative, nisi Ordinarius censuerit, ad normam can. 5 tolerandam esse consuetudinem, vi cuius Capitulum, private respectu ad Archipresbyterum, celebrat Missas exsequiales praesente cadavere, funera moderatur, altiorem catechesim tradit, et cumulative cum eodem domibus benedicit paschali tempore; canonici vero confessiones fidelium excipiunt vi sui beneficii. — Ad III. Provisum in secundo »².

416 1. - S. C. Concilii, 14 Februarii 1920, ad dubium: « An vi canonis 416 C. I. C. canonicus theologus et poenitentiarius exempti sint ab officio diaconi et subdiaconi praestando Episcopo solemniter celebranti ». Respondit: « Negative, et servetur Caeremoniale Episcoporum »¹.

2. - S. C. Concilii, 13 Ianuarii 1923, ad dubia: « I. An canonicus theologus eximatur ab onere hebdomadarii et Missae conventualis in casu; — et quatenus affirmative: II. An idem canonicus hac exemptione fruatur etiam tempore feriarum scholasticarum in casu ». Respondit: « Ad I. Affirmative, sub conditione tamen tradendi Capitulo congruum stipendium pro Missa conventuali; Ad II. Negative, salvo peculiaribus indultis »².

3. - S. C. Concilii, 10 Martii 1923, inter alia respondit servandam esse resolutionem diei 14 Februarii 1920, qua canonicus theologus et poenitentiarius eximuntur quidem a servitio altaris in turno ordinario, minime vero in Missis pontificalibus³.

418 1. - S. C. Concilii, 10 Iulii 1920, declaravit: a) tolerari non posse consuetudinem lucrandi fructus praebendae ob praesentiam praestitam uni vel duabus tantum horis canonicis; — b) can. 2381 urgere etsi absentia a choro non est culpabilis, si non concurrant causae excusantes can. 420, 421; — c) Capitulum absentem retinere non posse fructus respondentis privatae recitationi officii; — d) nullam portionem fructuum retineri posse a Capitulari absente; — e) tempus absentiae computandum esse per dies; — f) Capitulares absentes teneri ad fructus restituendos ante sententiam declaratoriam (Vide can. 2381)¹.

2. - S. C. Concilii, 13 Maii 1922, 12 Ianuarii 1924 et 15 Martii 1924, propositis dubiis respondens declaravit: a) Capitulum Abulense

²) *Decisiones seu sententiae*, XVII, 339-365. Atque haec sententia substantialiter confirmata est in altera instantia apud eandem S. R. Rotam, 9 Augusti 1930: *Decisiones seu sententiae*, 544-562. Ibidem p. 565 haec nota adicitur: « Restitutio in integrum quoad consuetudines, curam actualem Archipresbyteri coarctantes, die 2 Maii 1932 obtenta a S. T. Signaturae Apostolicae, causa rediit ad S. Rotam videntibus omnibus, et prodiit decisio diei 6 Aprilis 1936 ». *Decisiones et sententiae*, XXVIII, 207-225.

Can. 416. — 1) *A. A. S.*, XII, 117; *Periodica*, X, 191. — 2) *A. A. S.*, XVII, 20. — 3) *A. A. S.*, XV, 588.

Can. 418. — 1) De hac decisione vide etiam Luigi Cozza, in *Il Monitore ecclesiastico*, XLVI (1934), 229 et sqs. Itemque M. a Coronata, in *Perfice munus*, VIII (1933), p. 599-604, et IX (1934), p. 501-512.

uti posse privilegio sibi a Iulio III concessa, servato tamen can. 418, § 2. Quod vero ad distributiones spectat se conformet omnino can. 395, § 1 et 418, § 3. — b) Dies in quibus canonicus illegitime abest aliquibus tantum horis computandos esse ut dies absentiae. — c) Canonicum illegitime absentem aliquibus horis privari pro ea die tum fructibus tum distributionibus pro rata horarum illegitimae absentiae (Vide can. 2381)².

3. - S. C. Concilii, 14 Novembris 1925, propositis dubiis: « I. Utrum canonici iubilati et qui chorale indultum obtinuerunt, censi possint inter praesentes ad effectum constituendi, simul cum aliis, duas tertias partes Capitularium, qui ex praescripto Codicis, can. 418, § 2, servitio Chori intenti esse debent; vel potius, computari debeant, prout vere et realiter sunt, inter absentes ita ut aliis canonicis consuetas vacationes impediunt. — II. Utrum tertia pars canonicorum, de qua in citato can. 418, § 2, intelligi debeat tertia pars numeri totalis canonicorum cuiuscumque ecclesiae; vel tertia dumtaxat pars canonicorum qui, demptis iubilatis et indultariis, supersunt, ita ut semper et in omni casu aliqui vacationibus frui possint. — III. Utrum post Codicem sustineri valeat consuetudo, vi cuius canonicus hebdomadarius et excusatur ab horis canonicis cantatis Missam Conventualem sequentibus et fructus praebendae et distributiones illis horis respondentibus percipit; an e contra post Missam celebratam ad chorum redire teneatur ibique manere usque ad finem cantus Nonae, vel Vesperarum tempore Quadragesimae ». Respondit: « Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad alteram. — Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad alteram. — Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Et ad mentem ». Mens est: « Si Missa tempore quadragesimae cantetur post Tertiam, hebdomadarius tenetur redire ad chorum tempore Vesperarum »³.

4. - S. C. Concilii, 15 Novembris 1930, in *Malacitana*, respondit non constare de iure Capituli ad quatuor menses vacationum in casu⁴.

419 1. - « D. - An ad substitutionem in choro in casibus particularibus, de quibus in canone 419, § 1, requiratur venia S. Sedis vel saltem licentia Ordinarii aut Capituli.

R. - Negative ». C. I., 25 Iulii 1926¹.

2. - S. C. Concilii, 23 Aprilis 1927, declaravit: a) Ad ius alternativae requiri indultum apostolicum aut legem foundationis; — b) capitulares alternativa gaudentes non posse supplere in hebdomada non sua absentias suae hebdomadae (Vide can. 414).

²) *A. A. S.*, XVII, 192. Vide Luigi Cozza, in *Il Monitore ecclesiastico*, XLVI, 229 sqs. — 3) *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIX, 133. Decisio non fuit promulgata in *A. A. S.* — 4) *A. A. S.*, XXV, 83.

Can. 419. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 393; *Periodica*, XV, 170; *Ius Pontificium*, 1926, 131.

3. - « D. - An sub nomine *canonici vel beneficiarii*, de quibus in canone 419, § 1, veniant eorundem coadiutores.

R. - Negative ». C. L., 29 Ianuarii 1931 ².

4. - S. C. Concilii, 18 Aprilis 1932, declaravit etiam dignitates in servitio choralis substitui posse a canonicis, ad normam iuris, in officiis communibus cum canonicis, non posse vero substitui a canonicis in officiis quae sunt propria dignitatum, de quibus in can. 397 ³.

420 1. - S. C. Concilii, 8 Februarii 1919, declaravit canonicum theologum, in Hispania, sicut alibi, non obstante praxi contraria et antiquis resolutionibus contrariis, lucrare distributiones tota die qua docet ¹.

2. - Causae excusantes praeter eas quae in can. 420 et 421 enumerantur non admittuntur. S. C. Concilii, 10 Iulii 1920 (Vide can. 2381, 418) ².

3. - Absens a choro vi indulti apostolici, quo conceduntur distributiones: *amissis inter praesentes tantum*, ius habet ad fallentias, dummodo ne agatur de fallentiis e distributionibus *inter praesentes tantum* provenientibus. S. C. Concilii, 15 Ianuarii 1921 (Vide can. 395) ³.

4. - S. C. Concilii, 16 Aprilis 1921, Capitulo X, in quo distributiones *inter praesentes* non existerent, ut maior stimulus ad physicam praesentiam in choro haberetur, concessit ut fallentiae seu distributiones amissae ab absentibus haberentur in posterum ut distributiones *inter praesentes tantum* lucranda ad normam can. 420, § 2, dummodo in hac immutatione facienda omnes capitulares consentirent ⁴.

5. - Canonicus theologus qui de Episcopi licentia, ex stipendio, theologiam docet in Seminario regionali excusatur a choro, non tenetur ad constituendum substitutum et distributiones quotidianas percipit. S. C. Concilii, 9 Iulii 1921 ⁵.

6. - S. C. Concilii, 13 Ianuarii 1923, declaravit canonicum theologum eximi ab onere hebdomadarii et Missae conventualis cum onere tradendi congruum stipendium pro Missa. Exemptio non extenditur ad tempus feriarum scholasticarum (Vide can. 416).

7. - « D. - Utrum praescriptum canonis 420 comprehendat quoque cappellanos seu clericos secretos, personae Romani Pontificis actu inservientes.

R. - Affirmative quoad praescriptum canonis 420, § 1, n. 6, ne-

²) A. A. S., XXIII, 119; *Periodica*, XX, 151. — ³) A. A. S., XXV, 492.

Can. 420. — ¹) Vide II *Monitore ecclesiastico*, XL (1928), p. 265 et 268, ubi etiam adnotationes declarativae habentur. — ²) A. A. S., XII, 337. — ³) A. A. S., XIII, 198. — ⁴) Vide II *Monitore ecclesiastico*, XL, 296. — ⁵) A. A. S., XVI, 397; *Periodica*, XIII, 195; *Ius Pontificium*, 1924, 164.

gative quoad praescriptum eiusdem canonis § 2 ». C. L., 20 Maii 1923 ⁶.

8. - Canonici vel beneficiarii qui de consensu Ordinarii conventui eucharistico intersunt, ita excusantur a choro ut distributiones etiam cotidianas, immo et illas quas *inter praesentes* vocant, percipiant. Pius XI, Litteris 7 Martii 1924 (Vide can. 821) ⁷.

9. - « D. - An excusatio a choro, de qua in canone 420, § 1, n. 4, extendatur ad servitium parociae non capitularis.

R. - Negative ». C. L., 19 Ianuarii 1940 ⁸.

10. - « D. - An Capitularis, absens a choro dum munere iudicis synodalis fungitur, lucretur distributiones quotidianas, etiamsi peculiarem retributionem ratione huius muneris percipiat.

R. - Affirmative ». S. C. Concilii, 14 Februarii 1942 ⁹.

421 1. - « D. - 1° Utrum canonici dioecesis Ibusensis, qui obligationem habent ex edicto praebendae adnexam docendi sacram theologiam et ius canonicum in Seminario, excusentur a choro etiamsi scholam habeant extra horas servitii choralis. — Et quatenus affirmative 2° Utrum excusentur diebus festis aut in quibus scholae vacent, immo etiam tempore feriarum.

R. Ad primam affirmative, amissis tamen distributionibus quotidianis.

Ad secundam. Negative ». C. L., 24 Novembris 1918 ¹.

2. - « D. - I. Utrum in § 1, n. 1 canonis 421: *qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum*, etiam comprehendi debeant canonici, qui de Ordinarii licentia docent, retributione peculiari pro lectione percepta; an tantum qui absque tali retributione theologiam vel ius susceperint edocendum.

II. Utrum illud: *sacra theologia vel ius*, in praefata paragrapho stricte sit interpretandum ut theologiam fundamentalem, theologiam dogmaticam et moralem, et in iure institutiones canonicas necnon textum Codicis tantum significet; vel ampliore ratione illa verba sint sumenda, pro Facultate videlicet sacrae theologiae vel iuris canonici, ita ut ubi etiam comprehendantur disciplinae, quae ad normam statutorum uniuscuiusque Seminarii in praeaudatis Facultatibus edocentur, historia nimirum ecclesiastica, archaeologia sacra, linguae biblicae, etc.

R. - Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. L., 24 Novembris 1920 ².

⁶) A. A. S., XVI, 113; *Periodica*, XIII, 83; *Ius Pontificium*, 1924, 5. — ⁷) A. A. S., XVI, 154. — ⁸) A. A. S., XXXII, 62. — ⁹) A. A. S., XXXIV, 299-300.

Can. — 421. — ¹) II *Monitore ecclesiastico*, XXXI (1919), 175. — ²) A. A. S., XII, 573; *Periodica*, X, 253; *Ius Pontificium*, 1923, 114.

⁶ — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

3. - Canonicus poenitentiarius horis quibus theologiam moralem in Seminario docet non censetur praesens in choro ad effectum lucrandi distributiones quotidianas; et circa ipsum servetur praescriptum can. 421, § 1, n. 1. S. C. Concilii, in *Oxomen.*, 9 Iunii 1923³.

4. - S. C. Concilii, in *Malacitana*, 15 Novembris 1930, inter alia resolvit duos canonicos in servitio Episcopi occupatos, de quibus in can. 421, § 1, n. 4, percipere non posse distributiones quotidianas, licet contrarium evinci videretur ex decreto erectionis Capituli. Ratio autem datae responsionis affertur quod mutatae hodie sint conditiones Capitulorum in Hispania⁴.

5. - Iudices synodales percipiunt distributiones etsi specialem habent retributionem pro officio iudicis. S. C. Concilii, 14 Februarii 1942⁵.

422 1. - «D. - Utrum canonici iubilati sint exempti a servitio altaris pro sua vice praestando, non obstante contraria consuetudine.

R. - Affirmative ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

2. - S. C. Concilii, 14 Novembris 1925, proposito dubio: « Utrum canonicus S. B. ius habeat etiam ad emolumenta incerta et adventitia, in casu? ». Respondit: « Affirmative ». Agebatur autem de canonico iubilato cui Capitulum agnoscere volebat ius ad distributiones *inter praesentes adventitias*².

3. - S. C. Concilii, proposito sibi dubio: « An iubilati ius habeant ad distributiones inter praesentes in casu? »; 14 Februarii 1942, respondit: « Affirmative, nisi obset expressa fundatorum vel oblatorum voluntas: cauto praeterea ut Capitulum T. hac in re propria statuta capitularia emendet ad normam Codicis iuris canonici ». Agebatur autem in casu de Capitulo Cathedrali quod canonicis iubilatis distributiones inter praesentes denegare tentabat ob dispositiones Synodi Dioecesanæ anni 1877 et ob statuta capitularia anno 1924 approbata³.

423 1. - «D. - An sub nomine *sacerdotes*, de quibus in canone 423, veniant etiam religiosi vel religiosi saecularizati.

R. - Negative ». C. I., 29 Ianuarii 1931¹.

427 1. - «D. - I. Utrum dispositiones particulares Concilii plenarii Baltimorensis, quoad ius nominandi Administratorem dioecesis, sede vacante, adhuc vigeant; an per novum Codicem abrogatae sint. — Et quatenus negative ad primam partem:

3) *A. A. S.*, XVII, 510. — 4) *A. A. S.*, XXV, 83. — 5) *A. A. S.*, XXXIV, 299-300.
Can. 422. — 1) *A. A. S.*, XI, 477; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 66. —
2) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Vide *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIX, 164 et seqs. — 3) *A. A. S.*, XXXV, 182-184.

Can. 423. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 119; *Periodica*, XX, 152; *Ius Pontificium*, 1931, 107.

II. An servandum sit praescriptum canonis 427.

R. - Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative, et ad mentem. Mens autem haec est: Quatenus speciales circumstantiae hic et nunc impediunt quominus in illa regione applicetur canon 427, S. C. Consistorialis instructiones opportunas, ad tempus servandas, praebet, dempto omnino Episcopis iure nominandi Administratorem dioecesis, mortis causa ». C. I., 24 Novembris 1918¹.

2. - Summus Pontifex, attentis peculiaribus adiunctis in quibus ecclesiae Foederatorum Statuum Americae versantur, statuit et decrevit ut in omnibus dioecesibus in quibus quinque saltem vel sex Consultores dioecesanii non adsint, firma prohibitione a Commissione Codicis facta, Archiepiscopus aut Episcopus senior provinciae ecclesiasticae providere possit cum ratihabitione Delegati Apostolici, pro nominatione administratoris dioecesanii sede vacante. Idque per triennium, dummodo interim coetus Consultorum non fuerit auctus ad numerum superius indicatum. Responsum S. C. Consistorialis, 22 Februarii 1919².

3. - S. C. Consistorialis, 8 Maii 1919, ad Dominionum Canadense et Terrae Novae decretum seu responsum supra relatum 22 Februarii 1919 extendit³.

431 1. - Etiam in America septemtrionali servandum est ius commune, abrogato iure particulari nominandi Administratorem sede vacante. C. I., 24 Novembris 1918 (Vide can. 427).

2. - Decreto S. C. Consistorialis, 22 Februarii 1919, provisum est dioecesibus Statuum Foederatorum Americae in quibus Consultores sufficienti numero desunt. Item decreto eiusdem S. Congregationis, 8 Maii 1919, provisum est pro eodem casu Dominio Canadensi et Terrae Novae (Vide can. 427).

435 Vicario Capitulari, vi muneris, non competit ius aut officium peragendi functiones sacras in sollemnioribus anni festivitatibus, de quibus in can. 397, n. 1. S. C. Concilii, 10 Maii 1931¹.

450 «D. - An vicarius foraneus, qui sit simul canonicus Capituli collegialis in suo districtu, vi canonis 450, § 2, praecedat ceteris canonicis in choro et acibus capitularibus.

R. - Negative ». C. I., 10 Novembris 1925¹.

Can. 427. — 1) *A. A. S.*, XI, 75; *Periodica*, X, 50. — 2) *A. A. S.*, XI, 75. —
3) *A. A. S.*, XI, 233.

Can. 435. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 235; Vermeersch, *Periodica*, XXI, 25.

Can. 450. — 1) *A. A. S.*, XVII, 582.

451 1. - Decreto S. C. Consistorialis, 19 Novembris 1917, datus est sacerdos *inspector* sacerdotibus et clericis in exercitu gallico militantibus¹.

2. - Decreto S. C. Consistorialis datus est sacerdos *inspector*, ut supra, clericis in classe gallica, 30 Aprilis 1918².

3. - Decreto S. C. Consistorialis, 6 Martii 1925, ordinariatus militaris in Italia constituitur³.

4. - In resolutione S. C. Concilii, 12 Novembris 1927, declaratur quid sit conferre in titulum aut in administrationem⁴.

5. - Vicarius paroecialis qui plena paroeciali potestate gaudet tenetur ad Missam pro populo applicandam. Requiritur autem ut vicario assignatum sit territorium proprium a qualibet paroecia seiunctum, S. C. Concilii, 20 Martii 1932⁵.

S. C. Consistorialis, 13 Aprilis 1940, *Instructionem* edidit de iurisdictione cappellanorum militarium in Italia⁶.

453 Diaconus qui ante Codicem paroeciam obtinuerit eam non amittit introductione Codicis quia in ea ius quaesitum habet, S. C. Concilii, 18 Maii 1919¹.

454 Ius removendi missionarios religiosos ab officio quo funguntur in missionibus aequo iure pertinet ad Superiores religiosos et ad Superiorem Missionis. Instructio S. C. de Propaganda Fide, 8 Decembris 1929 (Vide can 296)¹.

455 Capitulo Utinensi a S. C. Concilii, 19 Februarii 1921, agnitum est ius praesentationis ad paroeciam pleno iure Capitulo incorporatam; ius vero instituendi agnitum est Episcopo¹.

458 « D. - An sub verbis: *Peculiariorum locorum ac personarum adiuncta*, de quibus in can. 458, veniant quoque necessitates oeconomicae dioecesis.

R. - Negative ». C. I., 8 Maii 1945¹

459 1. - S. C. Concilii, 15 April. 1918, respondit in Lusitania paroecias quae sufficientem dotem habent conferendas esse ad normam can. 459, § 3, n. 1-3; alias vero paroecias quae, ob factam separationem Ecclesiae a Statu, dotem sufficientem non habent, conferendas esse ad nutum. Curandum tamen Episcopis ut omnes paroeciae congrua dote compleantur¹.

Can. 451. — 1) *A. A. S.*, IX, 566. — 2) *A. A. S.*, X, 238. — 3) *A. A. S.*, XVIII, 42; *Il Monitore ecclesiastico*, XXXVIII, 1926, 81. — 4) *A. A. S.*, XX, 81. — 5) *A. A. S.*, XXV, 436; *Il Monitore ecclesiastico*, XLV, 355. — 6) Vide apud *Perfice Munus*, XIV, 407 sq.

Can. 453. — 1) *A. A. S.*, XI, 349.

Can. 454. — 1) *A. A. S.*, XXII, 111.

Can. 455. — 1) *A. A. S.*, XIV, 551.

Can. 458. — 1) *A. A. S.*, XXXVII, 149.

Can. 459. — 1) *A. A. S.*, XI, 236; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 31, 1919, p. 194.

2. - S. C. Concilii, 21 Iulii 1919, declaravit nec concursus nec examen requiri in translatione parochorum de qua in can. 2162 et sequentibus².

3. - « In canone 459, § 3, n. 3 Codicis praescribitur ut loci Ordinarius clericum, quem magis idoneum iudicat ad paroeciam vacantem, examini super doctrina subiiciat coram se et examinadoribus synodalibus. Quaeritur:

D. - I. Utrum huic examini subiici debeat clericus iam de una paroecia provisus, toties quoties de nova paroecia providendus erit; an vero sufficiat periculum semel factum pro prima paroecia.

II. Utrum examini subiiciendus sit parochus remotus a paroecia qui, ad tramitem canonis 2154, transfertur ad aliam paroeciam.

III. Utrum pariter examini subiiciendus sit parochus qui ex officio transfertur ad aliam paroeciam, ad tramitem tituli XXXIX, libri IV, canonum 2162-2167.

IV. Quid agendum si clerici, quos Ordinarius idoneos reputat, nolint examini subiicere, quod forte non semel accidet pro minoribus paroeciis?

V. Utrum periculum, de quo in canone 996, § 2 et 3, dummodo coram ipsomet Ordinario et examinadoribus synodalibus fiat, sufficere possit saltem ad provisionem pro prima paroecia.

VI. Utrum examen, de quo in canone 130, § 1, sufficiat ad provisionem paroeciarum toto tempore, quo sacerdotes illud subire tenentur, dummodo coram Episcopo et examinadoribus synodalibus fiat.

R. - Ad I. Ad primam partem providebitur in secunda. Ad secundam partem: affirmative, si translatio fiat proponente ac suadente Ordinario; negative si fiat ad instantiam parochi, nisi Ordinarius cum examinadoribus synodalibus iudicet idoneitatem adhuc perdurare, eamque esse sufficientem ad novam paroeciam.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Quatenus non sit provisum per responsionem ad I dubium, Ordinarius recurrat ad S. Congregationem Concilii.

Ad V. Negative, nisi examen versetur etiam circa ea omnia, de quibus interrogandus sit clericus de paroecia providendus.

Ad VI. Negative, salvo tamen praescripto § 2 eiusdem canonis ». C. I., 24 Novembris 1920³.

4. - S. C. Concilii, ad instantiam Ordinariorum, concessit, ut abrogatis decretis Concilii Baltimorensis, in posterum omnes paroeciae amovibiles et inamovibiles in Statibus Foederatis Americae septem-

2) *A. A. S.*, XI, 318. — 3) *A. A. S.*, XII, 574; *Periodica*, X, 253; *Ius Pontificium*, 1923, 115.

trionalis, conferantur ad normam can. 459, § 3 Codicis. S. C. Concilii, 24 Iunii 1931⁴.

5. - « D. - An forma concursus de qua in canone 459, § 4, servanda sit etiam in prima provisione novae erectae paroeciae.

R. - Negative ». C. I., 25 Iulii 1932⁵.

460 I. - « D. - I. Utrum canon 460, § 2 applicetur dumtaxat ad paroecias erigendas post promulgationem Codicis an etiam ad paroecias iam erectas. — Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam:

II. Utrum idem canonis praescriptum applicetur etiam paroeciis in quibus pluralitas parochorum inducta est non consuetudine aut privilegio, sed legitimo statuto. Et quatenus affirmative:

III. Utrum iura iam quaesita parochis, ut aiunt, portionariis seu cumulativis, integra maneant tum quoad spiritualia tum quoad temporalia; an vero revocentur etiam quoad temporalia. — Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam:

IV. Utrum cura animarum principalis et unica tribuenda sit parochi, qui praecminentiam honoris habeat prae aliis; an vero antiquiori possessione.

R. - Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad II. Affirmative.

Ad III et IV. Provisum in praecedentibus; pro applicatione vero canonis ad hos casus particulares recurrendum esse ad S. Congregationem Concilii ». C. I., 14 Iulii 1922¹.

2. - S. R. C., 27 Aprilis 1929, declaravit a parochi qui duas ecclesias paroeciales regit, recitandum esse officium cum octava de utroque titulari et non tantum de titulari ecclesiae residentialis (Vide etiam can. 466)².

462 1. - Publica processio in oppositionem ad processionem privatam definitur in causa agitata apud S. Romanam Rotam 3 Februarii 1922 (Vide can. 718)¹.

2. - S. C. Concilii, 10 Iulii 1922, ad dubia: « I. An et quomodo benedictio sacri fontis fieri possit etiam in paroeciis filialibus in casu; II. An tolerari possit consuetudo benedicendi aquam baptismalem semel in anno, seu Sabbato Sancto Paschatis dumtaxat in casu ». Respondit: « Ad I. Affirmative, servatis Missalis romani rubricis; ad II. Negative »².

3. - « D. - Utrum verba canonis 462, n. 7: *publicam proces-*

1) *Il Monitore ecclesiastico*, XLIII, 289. — 5) *A. A. S.*, XXIV, 284.

Can. 460. — 1) *A. A. S.*, XIV, 527; *Periodica*, XI, 168; *Ius Pontificium*, 1922, 86. — 2) *A. A. S.*, XXI, 321.

Can. 462. — 1) *A. A. S.*, XIV, 395; *Periodica*, XI, 134; *Ius Pontificium*, 1922, 168. — 2) *A. A. S.*, XV, 225; *Periodica*, XII, 87; *Ius Pontificium*, 1922, 128.

sionem extra ecclesiam ducere, intelligenda sint tantummodo de processione, quae initium ducit ab ecclesia paroeciali; an etiam de iis quae faciunt initium ab aliis ecclesiis intra ambitum territorii paroeciae sitis, idque etiam si haec ecclesiae non sint filiales et proprium rectorem habeant.

R. - Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, firmo tamen praescripto canonum 482 et 1291, § 2 ». C. I., 12 Novembris 1922³.

4. - « D. - An, secundum canonem 462, n. 7 et responsum diei 12 Novembris 1922, ius parochi publicam processionem extra ecclesiam ducendi extendatur etiam ad processiones religiosorum, licet exemptorum, extra eorum ecclesias et claustra.

R. - Affirmative, firmo tamen praescripto canonum 1291, § 2 et 1293 ». C. I., 10 Novembris 1925⁴.

463 Casus parochi condemnati ad restitutionem quia potiores a fidelibus taxas exegerat quam permetteret index taxarum approbatus, videri potest in causa decisa a S. R. Rota, 2 Decembris 1922 (Vide can. 2408).

465 1. - Responsis C. I., 14 Iulii 1922, definitur potestas vicarii substituti et sacerdotis suppletis de quo in can. 465, § 5, praesertim relate ad assistentiam matrimoniis praestandam (Vide can. 1096)¹.

2. - Responso C. I., 20 Maii 1923, agnoscitur vicario substituto facultas delegandi pro assistentia matrimoniis praestanda (Vide can. 1096).

466 1. - S. C. Concilii, 9 Februarii 1918, interrogata: « An consuetudo applicandi per turnum Missam pro populo sustineatur in casu » (agebatur autem de tribus paroeciis cum tribus parochis distinctis qui tamen unica utebantur ecclesia). Respondit: « Negative, seu consuetudinem non sustineri; ideoque unumquemque parochum, non per turnum, sed per se teneri singulis diebus dominicis et festis ad applicationem Missae pro populo sibi commisso; et ad mentem. Mens est: curet Archiepiscopus in praxi servandum canonem 1096 C. I. C., quoad delegationes in matrimoniorum celebratione ». S. C. Concilii, 12 Iunii 1917 et 9 Februarii 1918¹.

2. - C. I., 17 Februarii 1918, declaravit nihil a Codice iuris canonici immutatum fuisse circa festa suppressa eorumque numerum, in quibus, applicanda est Missa pro populo (Vide c. 339).

3) *A. A. S.*, XIV, 661; *Periodica*, XI, 184; *Ius Pontificium*, 1922, 128. — 4) *A. A. S.*, XVII, 582; *Periodica*, XIV, 183; *Ius Pontificium*, 1926, 9.

Can. 465. — 1) *Nouvelle Revue Théologique*, 50 (1923), 46.

Can. 466. — 1) *A. A. S.*, X, 285; *Periodica*, IX, 136; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 30, 1918, p. 293.

3. - S. C. Concilii, in *Wratislavien.*, 13 Iulii 1918, declaravit ad Missam pro populo applicandam teneri rectores stationum quae in regionibus diasporae constituuntur, seu sacerdotes qui catholicorum inter plures acatholicos in certo districtu ab omni paroecia separato degentium curam suscipiunt. In dioecesi enim omnis divisio territorialis cum peculiari populo, ecclesia et rectore, est vera paroecia ex can. 216. Nec dotis carentia quidquam obest, cum onus celebrandi pro populo non *ratione beneficii sed officii*, non ratione bonorum sed muneris oriatur. E contra rector districtus a paroecia non separati, etsi omnis populi curam habet, ut vicarius cooperator considerandus est et ideo obligatione pro populo celebrandi non tenetur ².

4. - S. C. Concilii, 28 Decembris 1919, promulgavit indicem fectorum suppressorum in quibus applicandum est pro populo (Vide can. 339).

5. - Vicarius oeconomus qui plures paroecias vacantes regit unam tantum debet diebus festis Missam pro populo applicare. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 473).

6. - S. C. Concilii, 12 Novembris 1927, ad dubium: « Utrum parochus qui, praeter propriam paroeciam, alteram aut plures alias in administrationem habeat, teneatur Missam applicare pro populo tantum die festo suae paroeciae, an etiam in festis patronorum alterius vel ceterarum ». Respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad alteram » ³.

7. - Quando idem parochus duas regit ecclesias paroeciales, teneatur officium cum octava celebrare de titulari ambarum ecclesiarum paroecialium. S. Rituam C., 27 Aprilis 1929 (Vide etiam can. 460) ⁴.

8. - S. C. Concilii, in *Toletana et aliarum* declaravit, 19 Iulii 1930, obligationem applicandi Missam pro populo existere etiam pro diebus festis suppressis, olim ex iure particulari de praecepto ⁵.

9. - Die 27 Februarii 1932 S. C. Concilii Episcopo Ermland respondit: Examini subiecto dubio ab Excellentia tua proposito sub die 2 Februarii 1932 circa applicationem Missarum pro populo ex parte Rectorum « curatiarum » haec S. Cong. respondit: Teneri in casu ad normam can. 466 C. I. C. ⁶.

10. - Vicarius paroecialis plena potestate cum proprio territorio seiuncto a qualibet paroecia gaudens tenetur ad Missae pro populo applicationem. S. C. Concilii, 20 Martii 1932 ⁷.

11. - S. C. Concilii in *Principis Alberten et Saskatoonen*, 20 Martii 1932, declaravit parochos paroeciarum Domini Canadensis, de quibus non constat datum fuisse decretum erectionis, considerandos esse,

²) *A. A. S.*, XI, 46; *Periodica*, X, 64. — ³) *A. A. S.*, XX, 84; *Periodica*, XVII, 64; *Lus Pontificum*, 1928, 12. — ⁴) *A. A. S.*, XXI, 321. — ⁵) *A. A. S.*, XXII, 521. — ⁶) *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 112 (1932), 590. — ⁷) *A. A. S.*, XXV, 436; *Il Monitore ecclesiastico*, XLV, 355.

hoc non obstante, vere parochos et obligatione teneri applicandi Missam pro populo. Itemque eadem obligatione ligari statuit vicarios eiusdem regionis si vera et plena potestate paroeciali praediti sint ad normam can. 451, § 2, n. 2 ⁸.

469 1. - Benedictus XV, Litteris 11 Martii 1920 ad Episcopum Bergomensem, excitat pastores animarum ad pugnandum contra errores contrarios fidei catholicae et ordini publico (Vide can. 1524) ¹.

2. - Pius XI, Allocutione 23 Maii 1923, declarat promotionem actionis catholicae esse partem ministerii pastoralis ².

470 1. - S. C. Concilii, 8 Februarii 1919, favore parochi resolvit ad ipsum spectare ius tenendi librum confirmatorum, non obstante contraria consuetudine immemorale hoc ius agnoscente canonico sacristae ¹.

2. - « Dubia circa applicationem novissimi iuris in tua dioecesi quae A. T. huic S. C. proposuit, litteris diei 9 elapsi mensis, hisce breviter explanare liceat.

Ad 1. Taxae dioecesanae utique uniformes in tota dioecesi imo in tota provincia ecclesiastica esse debent: at, sicut in omnibus dispositionibus generalibus subintelligitur: *ubi fieri potest*. Nunc vero rationes quae contra hanc uniformitatem in tua dioecesi militant haud sunt spernendae: ideo, sicut ait A. T., relinquenda est missionariis aliqua libertas, secundum locorum personarumve diversas circumstantias, ut paulatim ad requisitam uniformitatem suo tempore deveniri possit.

Ad 2. Quoad libros paroeciales et archivum dioecesanum. Imponatur in primis missionariis onus mittendi Curiae episcopali exemplaria librorum paroecialium, quod certe aliquam diligentiam postulat, sed maxime ad utilitatem confert. Neque praetermittendi sunt libri defunctorum; ex nunc missionarius in unaquaque suae paroeciae statione uni ex praestantioribus fidelibus libri defunctorum melius quam poterit, conficiendi onus committat, quem librum ipse missionarius cum venerit accipiet. Archivum autem dioecesanum ita decet constitui ut ex formicarum albarum irreptione nihil detrimenti capiat: qua de re capsas ferreas Tibi facias, quibus documenta custodiantur. Archivum insuper secretum habeatur, et serventur cann. 379 et 380.

Ad 3. Fontes baptismales, donec marmorei rite confecti haberi nequeant, adhibeantur ex lateribus coctis, quomodo iam fit in ecclesia cathedrali.

Ad 4. S. C. hisce facultatem Tibi facit in ecclesiis ubi adservatur

⁸) *A. A. S.*, XXV, 436.

Can. 469. — 1) *A. A. S.*, XII, 109. — 2) *A. A. S.*, XV, 245.

Can. 470. — 1) *A. A. S.*, XI, 280; *Periodica*, X, 65; *Irish ecclesiastical Record*, 1919, 156.

Ss.ma Eucharistia semel in mense celebrandi dummodo sacrae species decimoquinto quoque die renoventur.

Ad 5. Hisce facultatem habeas, usque ad aliarum quibus frueris facultatum expirationem valituram transferendi sollemnitate externam festorum in dominicam insequentem vel aliam secundum opportunius iudicaveris.

Ad 6. Color aureus in paramentis liturgicis locum tenere potest in sacris functionibus aliorum colorum, nigro excepto.

Ad 7. S. Congregatio hisce tibi facultatem concedit tuis sacerdotibus permittendi ut aliam eleemosynam pro secunda Missa, in casu scilicet binationis, accipiant, dummodo pecuniam ad Episcopum mittant in favorem Seminarii vel in bonum dioecesis, duraturam usque ad expirationem aliarum facultatum. Interim... ». S. C. de Propaganda Fide, 14 Martii 1922².

471 1. - S. C. Concilii, 19 Februarii 1921 agnovit Capitulum Utinense ius praesentandi clericum ad paroeciam Capitulum pleno iure incorporatam; ius vero instituendi Episcopo¹.

2. - Circa curam habitualement et actualem in Capitulis canonicalibus utilissime consulitur decisio S. Rota, *Taurin.* 13 Augusti 1925².

3. - « An emolumenta funeraria vel alia, ex curae actualis exercitio provenientia, spectent ad Capitulum vel potius ad Archipresbyterum (vicarium actualem). R. Emolumenta funeraria, excepta peculiari retributione Archipresbytero debita, itemque pro rata parte, fidelium oblationes, propter domorum benedictionem paschali tempore, spectare ad Capitulum, dummodo Ordinarius... censuerit consuetudinem tolerandam esse. Cetera omnia ad Archipresbyterum ». S. R. Rota, 13 Augusti 1925 et 9 Augusti 1930 (Vide can. 415)³.

4. - « Adnotare praestat quod probata statuta dioecesana et laudabiles consuetudines, de quibus canon, respiciunt modum curam animarum exercendi, reticentis, nisi subductis, statutis et consuetudinibus (haud certe laudandis), quae exclusivum vicarii ius in totam animarum curam limitare possent, ne dicamus canonem pugnantia, in unico verborum contextu, conglobasse ». S. R. Rota, 13 Augusti 1925⁴.

5. - S. C. Concilii, in *fesulana*, 21 Iulii 1930, Capituli cathedralis ius ad praesentandum vicarium perpetuum eiusdem ecclesiae cathedralis non agnovit, quia contraria viguit in dioecesi, ab anno 1786, consuetudo. Itemque Capitulum in eodem casu ius non agnovit nominandi vicarium oeconomum quia vi can. 472, § 1, ius nominandi oeconomum spectat non ad Capitulum, sed ad Ordinarium loci⁵.

²) *Sylloge*, n. 97, p. 166.

Can. 471. — 1) *A. A. S.*, XIV, 551; *Ius Pontificium*, 1922, 123. — 2) Cfr. S. R. Rotae *Decisiones seu sententiae*, XVII, 339. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XVII, 339-365, XXII, 544-562. — 4) *Decisiones seu sententiae*, XVII, p. 347, n. 11. — 5) *A. A. S.*, XXV, 38; *Il Monitore ecclesiastico*, XLV, 129.

6. - S. C. Concilii, 9 Iulii 1938, proposito sibi dubio: « An vicarius curatus paroeciae, pleno iure unitae mensae episcopali, obligatione teneatur applicandi Missam pro populo in casu »; respondit: « Affirmative ». Ideo hic applicationem non habent canones 339, § 5 et 446, § 2⁶.

7. - S. C. Concilii propositis sibi dubiis: « I. An Canonicus Archipresbyter Capituli Cathedralis Bosanensis iuri praesentandi etiam pro suis successoribus renuntiaverit in casu; et quatenus negative: II. An paroecia loci vulgo *Santulussurgiu* praemisso concursu conferenda sit in casu »; 13 Iulii 1940 respondit: « Ad I: negative. — Ad II Provisum in primo, seu negative ».

Agebatur autem in casu de paroecia pleno iure primae dignitati archipresbyterali Capituli Cathedralis incorporata ad quam vicarium curatum praesentandi ius habebat parochus habitualis. Parochus autem aliquis habitualis rogatus ab Episcopo iuri suo praesentandi renuntiaverat. Renuntiatio vero fuerat mere personalis et successores non afficiebat⁷.

472 1. - Vicarius oekonomus potest licentiam dare ad assistendum matrimoniis. C. I., 20 Maii 1923 (Vide can. 1096).

2. - S. C. Concilii, in *Fesulana*, 21 Iunii 1930, declaravit ius nominandi vicarium oekonomum non ad Capitulum, sed ad Ordinarium loci spectare¹.

473 1. - « D. - Utrum vicarius oekonomus, qui plures paroecias tempore vacationis regit, unam tantum debeat Missam pro populis sibi commissis, diebus praescriptis, applicare.

R. - Affirmative, ad normam canonis 473, § 1, collati cum canone 466, § 2 ». C. I., 14 Iulii 1922¹.

2. - Vicarius oekonomus legitime constitutus, ad normam can. 472 et 473, licentiam assistendi matrimonio determinato sacerdoti dare potest. C. I., 20 Maii 1923 (Vide can. 1096).

474 Commissio I., 14 Iulii 1922, definivit quandonam possit vicarius substitutus matrimoniis assistere (Vide can. 1096).

475 C. I., 20 Maii 1923, definit potestatem vicarii coadiutoris assistendi matrimoniis (Vide can. 1096).

476 1. - Potestas Vicarii cooperatoris dandi licentiam determinato sacerdoti ad assistendum matrimonio metienda est ad normam can. 476, § 6. C. I., 20 Maii 1923 (Vide can. 1096).

⁶) *A. A. S.*, XXXVII, 297-299. — ⁷) *A. A. S.*, XXXIII, 369-370.

Can. 472. — 1) *A. A. S.*, XXV, 38.

Can. 473. — 1) *A. A. S.*, XIV, 528.

2. - S. C. Concilii, 13 Novembris 1920, ad dubium: « An centenaria consuetudo nominandi vicarios cooperatores, inaudito parrocho, ... servari possit ». Respondit: « Standum dispositioni Codicis, can. 476, § 3 »¹.

3. - Vicarius cooperator qui ad normam can. 1096, § 1, generalem delegationem assistendi matrimoniis obtinuit, potest alium determinatum sacerdotem subdelegare ad assistendum determinato matrimonio. C. I., 28 Decembris 1927 (Vide can. 1096).

4. - Proposito dubio: « Cum vicarius cooperator ex praescripto can. 476, § 6 debeat ratione officii parrochi vicem supplere eumque adiuvari in universo paroeciali ministerio, quaeritur: An valide assistere matrimoniis possit atque etiam delegare ad assistendum iisdem, si ex statutis dioecesanis aut ex litteris Ordinarii vel ex parrochi commissione non constet de facta iurium limitatione ». Eminentissimus Gasparri Praeses. C. I., specialibus utens facultatibus, 13 Septembris 1933 respondit: « Negative ad utrumque »².

5. - « D. - An vicarius cooperator *ratione officii*, de quo in can. 476, § 6, matrimoniis valide assistere possit.

R. - Negative ». C. I., 31 Ianuarii 1942³.

478 S. C. Concilii, 9 Iunii 1923, ad dubium: « An ius praecedentiae in collegio parochorum competat canonico-parocho cathedralis, vel canonico-primicerio in casu ». Respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram »¹.

487 1. - S. C. de Religiosis interrogata utrum standum sit textui Codicis an versionibus ipsius textus in canonibus qui de religiosis agunt a Sancta Sede auctorizatis respondit: Standum esse textui Codicis et versiones quae a textu discordant corrigendas et emendandas esse. 2 Aprilis 1919¹.

2. - Pius XI Apostolicis litteris 19 Martii 1924, Statum religiosum, eius varietatem et sanctitatem laudat; atque plura alia de ipso bene fovendo et colendo statuit².

3. - S. C. de Religiosis proposito sibi dubio respondens, 25 Martii 1937 declaravit non expediri concedere facultatem dandi benedictionem et consecrationem virginibus in saeculo viventibus³.

Can. 476. — 1) *J. A. S.*, XIII, 43. — 2) *Apollinaris*, VII, 77; *Palaestra del Clero*, 1934, 154-155. Hoc responsum non fuit promulgatum in *J. A. S.* — 3) *J. A. S.*, XXXIV, 56.

Can. 478. — 1) *J. A. S.*, XVI, 100.

Can. 487. — 1) *J. A. S.*, XI, 179. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, X, 67, ubi duo errores avertit qui in quibusdam versionibus facti sunt. In can. 522 addita erat in versione clausula *adri domum*. In can. 611 verbum *forte* versum est quasi *momentanee* significaret. Cfr. etiam *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 18. — 2) *J. A. S.*, XVI, 133; *Periodica*, XIII, 1 sqs. — 3) *J. A. S.*, XIX, 140; *Periodica*, XVI, 30; *Ius Pontificium*, 1927, 41.

488 1. - S. C. de Religiosis, 22 Maii 1919, ad dubium: « An monasteria monialium, quarum vota ex instituto sunt solemnia, sed ex S. Sedis praescripto sunt simplicia, in Gallia et Belgio ab Ordinariis locorum dependeant eadem ratione ac ante Codicis promulgationem ». Respondit: « Supplicandum Ss.mo ut decernere dignetur nihil innovandum esse in dependentia monialium praedictarum ab Ordinariis locorum in Gallia et Belgio, prout post restaurationem ab uno saeculo et amplius hucusque observatum est; cauto tamen quod nulla potestas sit Episcopis ad immutandas regulas antiquorum Ordinum aut constitutiones monialium a S. Sede adprobatas »¹.

2. - S. C. de Religiosis, 11 Octobris 1922, ad dubia: « Contigit aliquando ut monasteria monialium, ex instituto quidem votorum solemnium, in quibus tamen ex praescripto Apostolicae Sedis pro aliquibus locis vota nonnisi simplicia emittuntur, procedant ad fundandum novum monasterium eiusdem Ordinis, missis aliquibus monialibus in locum eidem praescripto minime obnoxium. Hinc quaeritur: I. An vota emissa aut emittenda in novo monasterio, ut supra fundato aut fundando, habenda sint solemnia ad normam iuris communis; II. An moniales, de quibus in canone 488, n. 7, possint alibi fundare nova monasteria absque beneplacito Sedis Apostolicae; III. An monasterium monialium cum votis sollemnibus et clausura papali, quando in alium locum transfertur, pergat esse clausurae papalis et votorum solemnium; IV. Quid iuris quando monasterium monialium, de quibus in canone 488, n. 7, transfertur in locum ubi non viget praescriptum S. Sedis, de quo in dicto canone? ». Respondit: « Ad I. Affirmative, dummodo accedat beneplacitum Apostolicae Sedis; Ad II. Negative, et supplicandum Ss.mo ut foundationes huiusmodi haecenus absque Sedis Apostolicae interventione peractas sanare dignetur; Ad III et IV. Recurrendum in singulis casibus ad Apostolicam Sedem »².

3. - S. C. de Religiosis, 23 Iunii 1923, declaravit moniales quae ad normam can. 488, n. 7 in Gallia et Belgio emittunt vota solum simplicia non gaudere privilegio exemptionis; nihilque obstare quo minus, si id petant, eisdem permittantur vota solemnia cum clausura papali. Id concedere Sanctae Sedi reservatur (Vide can. 697)³.

4. - « I. An Congregatio Sororum a Misericordia, vulgo *Sister of Mercy* quae, iuxta earum Constitutiones approbatas sub die 6 Iunii 1841 a Gregorio XVI per tramitem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, singulas domos separatas habent sub respectiva Episcopi iurisdictione atque auctoritate, censenda sit religio iuris pontificii vel

Can. 488. — 1) *J. A. S.*, XI, 244. Cfr. *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 16 sq., 43; *Periodica*, X, 69; *Commentarium pro Religiosis*, I, 257. 2) *J. A. S.*, XIV, 551; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 27; *Nouvelle Revue Théologique*, 50 (1923), 98; *Periodica*, XI, 160; *Ius Pontificium*, 1922, 131; *Commentarium pro relig.*, IV, 161. — 3) *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 16; *Commentarium pro relig.*, IV, 321.

iuris tantum dioecesani. — Et, quatenus affirmative ad primam partem et negative ad secundam: — II. An sint similiter iuris pontificii etiam plures illae Congregationes Sororum a Misericordia, quarum diversae domus variis in locis, cum adprobatione Sanctae Sedis sub uno gubernio centrali coaluerint ». S. C. de Religiosis, 7 Novembris 1925, re mature perpensa in congressu, respondit: « Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. — Ad II. Affirmative ». R. Pontifex approbavit, 24 Novembris 1925¹.

5. - Moniales de quibus in can. 488, n. 7, et in Decreto 23 Iunii 1923 supra citato, nequeunt de proprio ad aliud monasterium transire, ne ad tempus quidem, de Ordinarii licentia, sed servandum est can. 632. S. C. de Religiosis, 9 Novembris 1926 (Vide can. 632).

489 1. - S. C. de Religiosis, 26 Iunii 1918, mandavit textus Regularum et Constitutionum religiosarum emendandos esse ad normam codicis et emendatos examini eiusdem Sacrae Congregationis subiiciendos esse¹.

2. - S. C. de Religiosis, 31 Martii 1919, mandavit ut omnia Instituta religiosa iuris pontificii libros quoslibet continentes consuetudines, usus quocumque nomine veniant (*Directorio, Coutumier* etc.) apud ea in usu, praeter constitutiones approbatas, necno preces proprias Instituti in communi recitari solitas inspectioni et correctioni S. C. de Religiosis subiiciant².

3. - S. C. de Religiosis, 26 Octobris 1921, declaravit, occasione emendationum vi supradicti decreti 26 Iunii 1918, aliquid novi introduci posse in Regulis et Constitutionibus, dummodo innovationes a Capitulo generali approbatae fuerint: Item eadem declaratione alias normas dedit in revisione servandas³.

492 1. - S. C. de Religiosis, 6 Martii 1921, promulgavit *Normas secundum quas... in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet*, a Romano Pontifice Benedicto XV approbatas. His normis indicantur diversi gradus approbationum religiosarum Congregationum, quatenam sint generalia requisita omnium Constitutionum et quatenam a textu ipsarum Constitutionum excludenda sint¹.

2. - Decreto S. C. de Religiosis, 30 Novembris 1922, mandatur Ordinariis locorum ut inquirant de omnibus et singulis Congregatio-

¹) *A. A. S.*, XVIII, 14; *Periodica*, XV, 52; *Commentarium pro Rel.*, VII, 83.

Can. 489. — 1) *A. A. S.*, X, 290; *Periodica*, IX, 137; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 21; *Periodica*, IX, 137; *Commentarium pro Relig.*, I, 193. — 2) *A. A. S.*, XI, 239; *Periodica*, X, 68; *Commentarium pro Relig.*, I, 206. — 3) *A. A. S.*, XIII, 538; *Periodica*, X, 363; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 22; *Periodica*, X, 361; *Commentarium pro Relig.*, III, 3.

Can. 492. — 1) *A. A. S.*, XIII, 312; Creusen, in *Periodica*, X, 295 et sqs.; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 15; *Periodica*, X, 295; *Commentarium pro Relig.*, II, 200.

nibus religiosis et piis societatibus in suis dioecesibus existentibus, quae ab Apostolica Sede saltem per decretum laudis approbatae non fuerint. Decernitur pariter eodem decreto ut, si Ordinarius, debita venia Sanctae Sedis obtenta, religiosam Congregationem aut piam societatem erigere voluerit, satagat ut erectio per decretum formale in scriptis datum fiat, cuius exemplar in tabulario dioecesano servandum erit. De peracta autem erectione S. C. de Religiosis edoceat².

3. - S. C. de Religiosis, *Instructione* 6 Februarii 1930, dat normas pro obtinenda a Statu in Italia recognitione personalitatis moralis domorum religiosarum³.

4. - *Instructione* 11 Februarii 1936, a S. C. de Propaganda Fide data, pro religiosis mulierum institutis ad tuendam puerorum matrumque vitam in locis missionum emollitae sunt normae anni 1921, eo sensu quod hac *Instructione* hortatur Sancta Sedes ad nova instituenda sororum instituta seu sodalitia quae iuvandis matribus et infantibus periclitantibus se devoveant, servatis servandis. Praeterea declaratur eadem *Instructione* pergratum acceptumque fore in Institutis religiosis iam erectis coetus sororum formentur quae ad praedictum finem tendant. Attamen in eadem *Instructione* decernitur necesse non esse ut omnes religiosae operam omni curationum generi praestent. Ad obstetricis munera obeunda sorores obligari non poterunt, sed illae solum ad id deputari poterunt quae sponte illud munus acceptent. Ad litteras probationis obtinendas sorores universitates adire poterunt at solum catholicas, et in casibus necessitatis etiam alias adhibitis tamen cautionibus⁴.

5. - S. C. de Propaganda Fide, 10 Martii 1937, dedit *Instructionem* de Congregationibus religiosis indigenis condendis. *Instructione* quatuordecim regulis constat in maxima parte ex normis a S. C. de Religiosis, a. 1921, excerptis. Regula 5 huius *instructionis* dicitur, si agatur de instituenda religione sacrarum virginum, curandum esse ut saltem duae sorores ex aliquo instituto iam rite approbato in promptu sint, quae munera moderatricis generalis et magistrae novitiarum in nova Congregatione, ad tempus, assumere valeant, donec scilicet haec vita propria vivere possit⁵.

493 Post Codicis Iuris Can. promulgationem variae religiones suppressae sunt, nempe:

1. - Congregatio religiosa mulierum, vulgo *Missionarie Adoratrici e Riparatrici del S. Cuore Eucaristico di Gesù*, Decreto 2 Iulii 1930¹.

²) *A. A. S.*, XIV, 644; *Periodica*, XI, 176; *Commentarium pro relig.*, IV, 193. — 3) *A. A. S.*, XXII, 138. — 4) *A. A. S.*, XXVIII, 208; *Periodica*, XXV, 41 sqs.; *Apollinaris*, IX, 359; *Commentarium pro relig.*, XVII, 63. — 5) *A. A. S.*, XXI, 275; *Apollinaris*, X, 510; *Nouvelle Revue Théologique*, 64 (1937), 1019 ss.

Can. 493. — 1) *A. A. S.*, XXV, 36-37.

2. - *Ordo S. Hieronymi, Congregatio B. Petri de Pisis*, Decreto 12 Ianuarii 1933 ².

3. - *Ordo Fratrum Poenitentiae de Iesu Nazareno*, Decreto Pii XI, 20 Novembris 1935 ³.

500 1. - Moniales cum votis simplicibus in Gallia et Belgio etc. subduntur Ordinariis locorum. S. C. de Religiosis, 22 Maii 1919 (Vide can. 488).

2. - Moniales cum votis simplicibus in Gallia, Belgio etc. petere possunt a Sancta Sede facultatem emittendi vota solemnia. S. C. de Religiosis, 23 Iunii 1923 (Vide can. 488).

501 S. C. de Religiosis, 23 Iulii 1922, revocavit indultum concessum occasione belli prorogandi tempus pro celebratione capitulorum generalium ¹.

505 1. - « D. - Utrum praescriptum canonis 505: *superiores minores locales ne constituentur ad tempus ultra triennium, etc.*, applicetur quoque superioribus seu directoribus scholarum, hospitalium aliarumque piarum domorum.

R. - Affirmative, si superiores isti seu directores sint simul superiores religiosorum, sub sua potestate habentes alios religiosos, etiam quoad religiosam disciplinam ». C. I., 2-3 Iunii 1918 ¹.

2. - « Reverendissime Domine, Eminentissimus ac Reverendissimus D. Card. Praeses Commissionis ad dubium a te per litteras 18 Martii 1919, circa canonem 505, propositum respondens, tibi communicat in praedicto canone, ut iam 14 Iulii significatum est S. C. de Religiosis, etiam Superiores locales comprehendere, qui ante diem 19 Maii 1918 fuerunt constituti; unde temporum in eodem canone praescriptorum observatio ipsos quoque tenet; quae tempora a die nominationis ipsorum Superiorum computanda sunt ». C. I., 25 Maii 1919 ².

3. - Quamvis non sint revocatae Constitutiones quae perpetuam admittunt Superiorissam, tamen Sacra Congregatio tali perpetuitati minus favet. Si constitutiones temporaneam statuunt Superiorissam, at tertio etiam reelegi posse dicant, dummodo duae tertiae partes suffragiorum obtineat et Sanctae Sedis confirmatio accedat, id intelligi debet non de electione, sed de proprie dicta postulatione. Moneantur autem sorores vocales Sanctam Sedem non favere huiusmodi tertiae

²) *A. A. S.*, XXV, 147-149. — ³) *A. A. S.*, XXVII, 486.

Can. 501. — ¹) *A. A. S.*, XIV, 428; *Commentarium pro relig.*, IV, 7.

Can. 505. — ¹) *A. A. S.*, X, 344; *Commentarium pro relig.*, I, 99; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 43; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 22. — ²) *Commentarium pro relig.*, II, 65.

electioni seu postulationi et ad ipsam requiri graves causas, quia agitur de vera dispensatione a legis observantia. S. C. de Religiosis, litteris circularibus 9 Martii 1920 ³.

4. - S. C. de Religiosis, 6 Martii 1922, ad dubium: « An fundatores aut fundatrices Congregationum religiosarum vel piarum societatum more religiosorum viventium, qui quaeve munere supremi Moderatoris aut Moderatricis in sua congregatione funguntur, ius habeant illud retinendi ad vitam, non obstante praescripto constitutionum, quae durationem muneris praedicti ad certum tempus coarctent et reelectionem eiusdem personae ultra certum limitem prohibeant ». Respondit: « Negative, nisi apostolicum indultum obtinerint » ⁴.

5. - S. C. de Religiosis, 1 Februarii 1924, ad dubium: « Cum in aliquibus Ordinibus aut Congregationibus religiosis exsistent domus stricte filiales, quae videlicet non constituunt propriam communitatem nec bona propria possident, sed sunt quasi membra domus maioris, a qua omnimode dependent et reguntur a superiore delegato ad nutum superioris, qui totam gubernat communitatem et residet in domo maiore, propositum fuit dubium: An superiores domorum stricte filialium, de quibus agitur, qui sunt simplices delegati ad nutum superioris domus matricis, veniant sub nomine superioris localis ad sententiam Codicis I. C. ». Respondit: « Negative, et ad mentem. Mens autem est ut in revisione constitutionum singulorum Ordinum aut Congregationum ad Codicem conformatarum, appositae provideatur per applicationem eorum canonum, qui circa relationes inter subditos et praepositos pressius versantur, prout in singulis casibus opportunum iudicabitur » ⁵.

6. - « D. - An praescriptum canonis 505 comprehendat etiam societates, de quibus canones 673-681 agunt, earumque domos, quae non sint vere et proprie religiosae sed externae seu non pertinentes ad societatem, in quibus nempe sodales pauci numero adhiberi solent, ex. gr., in seminariis, scholis, nosocomiis.

R. - Affirmative, ad normam responsi diei 2-3 Iunii 1918 ». C. I., 25 Iulii 1926 ⁶.

³) *A. A. S.*, XII, 365; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 32; *Periodica*, X, 196; *Commentarium pro relig.* — ⁴) *A. A. S.*, XIV, 163; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 31 ubi memoratur posterius indultum concessum Congregationi Sacerdot. a S. Corde, favore eorum ven. Fundatoris, R. P. Dehon; *Periodica*, XI, 31; *Commentarium pro relig.*, III, 97. — ⁵) *A. A. S.*, XVI, 95; *Commentarium pro relig.*, V, 121; *The Australasian Record*, 1932 p. 60 et *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 45, ubi desiderium manifestatur clarioris decisionis, relate ad multas domos religiosas, v. g. scholas, parva hospitalia (*cliniche*) etc., quae naturam domorum filialium habent, quamquam hoc nomine non decorentur; *Periodica*, XIII, 53; *Ius Pontificium*, 1924, 8. — ⁶) *A. A. S.*, XVIII, 393; *Revue des Communautés Religieuses*, III (1927), 6 (Jombart); *Periodica*, XV, 170; *Ius Pontificium*, 1926, 132. — ⁶) *A. A. S.*, XVIII, 393; *Periodica*, XV, 169 sqs.; *Commentarium pro relig.*, VIII, 435.

7 — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

506 1. - « D. - Utrum verba canonis 506, § 2: *secus Superior regularis; sed etiam hoc in casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, praeesse*, ita intelligenda sint ut Ordinarius loci possit (sed non debeat) assistere per se ipse vel per alium electioni Antistitae in monasteriis monialium, Superioribus regularibus etiam exemptis subiectis, et praeesse, idest gubernare actum electionis sive per se sive per alium; an tantummodo per se ipse.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, seu Ordinarium loci praeesse, sive assistat per se ipse sive per alium ». C. I., 24 Novembris 1920¹.

2. - S. C. de Religiosis, 2 Iulii 1921, ad dubia: « I. Utrum ad Ordinarium domus principis Congregationis religiosae iuris dioeceseani, quae iam per plures dioeceses diffusa est, spectet ius statuendi locum ubi Capitulum generale celebrandum sit; an potius ad Moderatricem generalem; II. Utrum eidem Ordinario, de quo in praecedenti dubio, competat praesidere electioni Moderatricis generalis eamque confirmare vel rescindere; an potius spectet ad Ordinarium loci, in quo electio peragitur ». Respondit: « Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, ad normam canonum 162 et 507; Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam iuxta canonem 506, § 4 »².

3. - « D. - Utrum verbum *praeesse*, de quo in canone 506, § 2 et interpretatione diei 24 Novembris 1920, intelligendum sit de praesidentia honoris, an iurisdictionis.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 30 Iulii 1934³.

509 S. C. de Religiosis, 25 Novembris 1929, dedit ad Superiores religionum laicalium *Instructionem* de curanda catechetica alumnorum institutione (Vide can. 565).

510 1. - Decreto S. C. de Religiosis, 8 Martii 1922, dantur normae pro relatione quinquennali ad Sanctam Sedem a religionibus mittenda. Quinquennia fixa esse debent pro omnibus religionibus, et initium habent a prima die Januarii 1923. — Ex religionibus virorum primo anno quinquennii relationem exhibere debent Canonici Regulares, Monachi et Ordines militares; secundo anno Mendicantes; tertio Clerici regulares; quarto Congregationes clericales et laicales; quinto

Can. 506. — 1) *A. A. S.*, XII, 575; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 43; *Periodica*, X, 252; *Ius Pontificium*, 1923, 117; *Commentarium pro relig.*, III, 32. — 2) *A. A. S.*, XIII, 481; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 28; *Periodica*, X, 360; *Ius Pontificium*, 1921, 9; *Commentarium pro relig.*, III, 322. — 3) *A. A. S.*, XXVI, 494; *Revue des Communautés Religieuses*, X (1934), 178; *Nouvelle Revue Théologique*, 61 (1931), 1079; *Periodica*, XXIII, 147; *Ius Pontificium*, 1934, 223; *Ecclesiastical Review*, 91, 498; *Irish ecclesiastical Record*, 1934, 638.

societates sine votis. Ex religionibus mulierum primo anno relationem exhibent religiosae ex Italia, Hispania et Lusitania; altero anno ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia, Hibernia; tertio anno ex reliqua Europa; quarto ex utraque America; quinto ex aliis mundi partibus et insuper omnes societates sine votis. — Congregationes relationem facere debent respondendo ad singulas quaestiones propositas in formula data a Sancta Sede; Ordines vero religiosi et illae Congregationes quae ante Codicem ad relationem faciendam non tenebantur ad praedictam formulam stricte non tenentur, ita tamen relationem facere tenentur ut ex ea Sancta Sedes de statu materiali, morali et disciplinari religionis plenam notitiam sibi comparare queat¹.

2. - S. C. de Religiosis, 25 Martii 1922, promulgavit *instructionem seu elenchum quaestionum ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus institutorum vota simplicia profitentium in relatione ad Sanctam Sedem quinto quoque anno transmittenda*. Elenchus quaestionum numeris 105 constat. Responsa ad quaestiones non solum a Moderatore vel Moderatrice generali sed etiam a Consiliariis signanda sunt. Quodsi aliquis Consiliarius aliquid magni momenti Sanctae Sedi significandum habuerit, id etiam per secretas litteras facere potest. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis huiusmodi litteris exponere praesumpserit².

512 « D. - Utrum, ad normam canonis 512, § 2, n. 1 et canonis 513, § 1, officium Ordinarii loci sit visitare quinto quoque anno monasteria monialium, quae regularibus etiam exemptis subduntur, circa ea quae clausurae legem spectant eo, qui in canone 513 exponitur, modo.

R. - Affirmative ». C. I., 24 Novembris 1920¹.

514 « D. - An canon 514, § 1 ita intelligendus sit ut in religione clericali Superioribus ius et officium sit omnibus, de quibus in eodem canone, extra religiosam domum aegrotis Eucharisticum Viaticum et Extremam Unionem ministrandi.

R. - Affirmative, si agatur de religiosis professis vel novitiis, firmo tamen praescripto canonis 848; secus negative ». C. I., 16 Iunii 1931¹.

Can. 510. — 1) *A. A. S.*, XIV, 161; Vermeersch, in *Periodica*, XI, 28; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 34; *Commentarium pro relig.*, III, 241 sqs. — 2) *A. A. S.*, XIV, 238. Elenchus assertur quoque a P. M. a Coronata, *Institutiones*, V, ed. II, p. 229. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, XI, 28, in *Acta A. S.*, vol. XV, prodierunt etiam translationes gallica, hispanica, italica, anglica et germanica elenchi quaestionum pro relatione; *Commentarium pro relig.*, III, 241 et sqs.

Can. 512. — 1) *A. A. S.*, XII, 575; *Periodica*, X, 252; *Ius Pontificium*, 1923, 117; *Commentarium pro relig.*, II, 33 et sqs.

Can. 514. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 353; *Revue des Communautés Religieuses*, VII (1931), 177; (Creusen) *Ius Pontificium*, XI (1931), 253; *Periodica*, XXI, 38; *Commentarium pro relig.*, XII, 335.

517 « S. C. de Religiosis, 4 Iunii 1920, opportunum duxit monere Moderatores generales Congregationum religiosorum iuris pontificii, qui Procuratorem generalem ad negotia Instituti gerenda apud Sanctam Sedem nondum constituerint, vi canonis 517, § 1 C. I. C., unamquamque religionem virorum iuris pontificii teneri ad deputandum Procuratorem generalem, qui praedicta negotia agat, quique e gremio eiusdem religionis esse debet. Ut autem commisso sibi munere fungi valeat, Procurator generalis residentiam habitualem in Urbe, iuxta praxim, habeat oportet »¹.

518 C. I., 27 Septembris 1918, declaravit magistros spiritus religiosorum studentium subiecti praescriptioni can. 518, § 2, si Studentes partem a communitate aliquo modo seiunctam efformant¹.

520 1. - S. C. de Religiosis, 3 Iulii 1916, declaravit obligationem nominandi confessarium ordinarium pro sororibus, non sustineri, si communitas sex saltem sororibus non constat¹.

2. - S. C. de Religiosis, 10 Ianuarii 1920, responso particulari ad Episcopum Pragensem dato, declaravit canonem 520 de confessario ordinario etiam parvis domibus non formatis esse applicandum².

3. - « D. - Utrum stricta obligatio singulis religiosarum domibus seu respective unicuique religiosarum communitati dandi confessarium tam ordinarium quam extraordinarium urgeat etiam quoad domos religiosas, in quibus minus quam sex religiosae professae degunt; an solummodo quoad domos formatas.

R. - Provisum in can. 520 et 521 ». C. I., 16 Ianuarii 1921³.

522 1. - « D. - Utrum verba canonis 522: *confessio, in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est*, ita intelligenda sint ut confessio extra ea loca peracta non tantum illicita, sed etiam invalida sit.

R. - Canon 522 ita est intelligendus ut confessiones, quas ad suae conscientiae tranquillitatem religiosae peragunt apud confessarium ab

Can. 517. — 1) *A. A. S.*, XII, 301; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 44; *Periodica*, X, 198; *Commentarium pro relig.*, I, 358.

Can. 518. — 1) *Theologische praktische Quart.*, 1921, 439. Mc Connick, *Confessors of religious*, 1926, p. 39-40.

Can. 520. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, XL (1928), 33. Responsum est particulare ad Episcopum Lincensem, nec in *A. A. S.* fuit numquam promulgatum. *Commentarium pro Religiosis*, IX, 84. — 2) Responsum non est in *A. A. S.* promulgatum. Publicatum fuit in *Archiv für katolischen Kirchenrecht*, vol. 100, p. 47; Hilling, *Codicis iuris canonici interpretatio*, 1925, p. 37-38. — 3) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*, editum vero fuit in *Archiv für katolischen Kirchenrecht*, vol. 101 (1921), p. 61; Hilling, *ibidem*, p. 38. — Quousque authentica non publicetur responso, quaestio de obligatione constituendi confessarium ordinarium pro domibus sororum etiam non formatis sub iudice esse et opinioni neganti strictam obligationem saltem extrinseca probabilitas neganda non esse videtur. (Vide de hac quaestione *Il Monitore ecclesiastico*, XL, 36; *Commentarium pro Religiosis*, X, 399, 62; et 454, II; *Ius Pontificium*, XII, 314.

Ordinario loci pro mulieribus approbatum, licitae et validae sint, dummodo fiant in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico, aut in loco ad audiendas confessiones mulierum legitime destinato ». C. I., 24 Novembris 1920¹.

2. - S. C. de Religiosis, 1 Decembris 1921, proposito dubio: « Quomodo se gerere debeant religiosae, quae in propria communitate degentes ad suae conscientiae tranquillitatem, inscia Antistita, adire velint confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum ». Respondit: « Canon 522, permittit quidem ut religiosa utatur occasione, si quae se dederit, adeundi, ad quietem suae conscientiae, quemlibet confessarium pro mulieribus approbatum, idque etiam inscia Antistita: nullo pacto autem sive Antistitae sive Ordinario officium creat talem occasionem procurandi; ac multo minus ideo quidquam mutandum est in disciplina clausurae vel in constitutionibus. Ad dubium igitur respondendum esse censeo: occasionem expectent, qua, nulla violata regula de egressu, id facere queant, ac patienter ferant, nullam talem se ipsis offerre »².

3. - « D. - I. Utrum confessio religiosarum peracta extra loca, de quibus in canone 522 et in responso diei 24 Novembris 1920, sit tantum illicita, an etiam invalida.

II. An verbum *adeat* canonis 522 sit ita intelligendum ut confessarius advocari nequeat per ipsam religiosam ad loca confessionibus mulierum vel religiosarum legitime destinata.

R. - Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad II. Negative ». C. I., 28 Decembris 1927³.

4. - « D. - Utrum verba: *loco legitime destinato*, de quibus in interpretatione diei 24 Novembris 1920 ad canonem 522, intelligenda sint tantum de loco habitualiter designato, an etiam de loco per modum actus designato vel ad normam canonis 910, § 1 electo.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 12 Februarii 1935⁴.

533 1. - In monasteriis monialium Superiori regulari subiectis ratio administrationis reddenda est cum Superiori regulari tum Ordinario loci. C. I., 24 Novembris 1920 (Vide can. 535).

2. - Loci Ordinarius ius habet exigendi rationes de administratione fundorum et legatorum parociae religiosae de qua in can. 1425,

Can. 522. — 1) *A. A. S.*, XII, 575; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 47; *Periodica*, X, 254; *Ius Pontificium*, 1923, 118; *Commentarium pro relig.*, II, 33. — 2) *Archiv für katolischen Kirchenrecht*, vol. 84 (1922), 102; Hilling, *l. c.*, p. 37-39; Bouscaren, ad can. 522. — 3) *A. A. S.*, XX, 61; *Revue des Communautés Religieuses*, IV (1928), 37 sq., 71 sq.; (Creusen) *Nouvelle Revue Théologique*, 55 (1928), 276-287; *Apollinaris*, I, 109; *Periodica*, XVII, 38; *Ius Pontificium*, 1938, 3; *Commentarium pro relig.*, IX, 93. — 4) *A. A. S.*, XXVII, 93; *Revue des Communautés Religieuses*, XI (1935), 82; *Periodica*, XXIV, 95; *Ius Pontificium*, 1935, 82; *Ecclesiastical Review*, 92, 506; *Irish ecclesiastical Record*, 1935, 533; *Commentarium pro relig.*, XVI, 301.

§ 2, firmis praescriptis canonum 630, § 4, et 1550. C. I., 25 Iulii 1926 (Vide can. 631).

3. - De collocatione et administratione pecuniae a religiosis collectae pro missionibus videndum est responsum S. C. de Religiosis 28 Iulii 1932 de quo in can. 296.

535 1. - « D. - Utrum vi canonis 535, § 1, n. 1, si monasterium monialium subiectum sit Superiori regulari etiam exempto, administrationis ratio reddenda sit Superiori regulari et etiam Ordinario loci.

R. - Affirmative ». C. I., 24 Novembris 1920 ¹.

2. - Ordinarius loci ius habet exigendi rationem de administratione fundorum et legatorum paroeciae religiosae de qua in can. 1425, § 2, firmis praescriptis can. 630, § 4, et 1550. C. I., 25 Iulii 1926 (Vide can. 631).

538 Pius XI, in Allocutione habita mense Iunii 1938, ad Capitulum generale Capucinarum, omnibus religiosis valde commendavit rigorosam observantiam iuris particularis et communis praesertim in acceptandis postulantis ad religionem ¹.

542 1. - « D. - Utrum verba: *qui sectae acatholicae adhaeserunt* canonis 542 sint intelligenda de iis qui, Dei gratia moti, ex haeresi vel schismate in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerint; an potius de iis qui a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 16 Octobris 1919 ¹.

2. - « D. - An in religionibus latini ritus sine venia, de qua in canone 542, u. 2, licite admitti possint ad novitiatum orientales qui proprio retento ritu praeparantur ad constituendas domos et provincias religiosas ritus orientalis.

R. - Affirmative ». C. I., 10 Novembris 1925 ².

3. - « D. - An ad normam C. I. C., qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendi sint quoad omnes iuris effectus etiam in ordine ad sacram ordinationem et matrimonium, ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt.

R. - Affirmative ». C. I., 30 Iulii 1934 ³.

Can. 535. — 1) *A. A. S.*, XII, 375; *Periodica*, X, 249; *Ius Pontificium*, 1923, 119; *Commentarium pro relig.*, II, 33 sqs.

Can. 538. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, I, 162.

Can. — 542. — 1) *A. A. S.*, XI, 477; *Commentarium pro relig.*, I, 161; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 59; *Nouvelle Revue Théologique*, 61 (1934); 1076; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 66. — 2) *A. A. S.*, XVII, 583; *Revue des Communautés Religieuses*, II (1926), 41; *Periodica*, XIV, 184; *Ius Pontificium*, 1926, 81. — 3) *A. A. S.*, XXVI, 494; *Revue des Communautés Religieuses*, X, (1934), 177.

544 1. - C. I., 28 Iulii 1918, Fratribus Scholarum christianarum respondit pro alumniis sui *minoris novitatus* litteras testimoniales ab Ordinario loci non esse requirendas, pro tempore quo in ista domo vixerint ¹.

2. - S. C. de Religiosis atque de Seminariis et Studiorum Universitatibus, 25 Iulii 1941, decreverunt quae sequuntur: « Antequam in Seminarium admittantur qui, quocumque titulo, ad familiam religiosam pertinuerint, Ordinarius ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus recurat quae de iudicio suo Ordinarium certiore faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

Itemque antequam familiae religiosae adscribantur qui, quavis de causa, e Seminario egressi sint, Superiores Religiosi ad Sacram Congregationem de Religiosis recurrant, quae de suo iudicio Superiores certiores faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat » ².

3. - Ex declaratione S. C. de Religiosis, 15 Iunii 1942, decretum supra relatum 25 Iulii 1941 non afficit clericos qui e Seminario eo praeciso fine egrediuntur ut religionem ingrediantur, nec item clericos e Seminario egressos qui ut conversi religionem ingrediuntur ³.

545 S. C. de Religiosis, 21 Novembris 1919, ad dubium: « Quid agendum in casu quo Superior religiosus vel rector Collegii aut Seminarii renuerit iuramento firmare, ad normam canonis 545, § 1, litteras testimoniales a Superiore alterius Instituti requisitas pro admittendo postulante ad normam canonis 544, § 3? ». Respondit: « Praescriptum canonum esse servandum, et Ordinarius, si agatur de Institutis iuris dioeceseani aut laicalibus, sive Collegiis aut Seminariis, vel supremus Moderator in Institutis clericalibus aut in Ordinibus regularibus, contra tales Superiores renuentes procedant, eos cogendo etiam per poenas, usque ad privationem officii. Quod si nihilominus litterae iuratae haberi non possint, res deferatur ad S. Congregationem » ¹.

552 S. C. de Religiosis, 20 Martii 1922, ad dubium: « An consuetudo exigendi taxam pro exploratione voluntatis religiosarum sustineatur in casu ». Respondit: « Negative » ¹.

555 1. - S. C. de Religiosis, 3 Novembris 1921, *Instructionem de secundo anno novitatus* edidit. In ipsa plura statuuntur, sci-

Can. 544. — 1) Commissionis responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*, refertur vero in *Epilome*, Vermeersch-Crensen, 1^o, n. 649, p. 402. — 2) *A. A. S.*, XXXIII, 371; *Periodica*, XXX, 73 sqs. et XXXII, 172; *Commentarium pro Religiosis*, XXIII, 226; *Analecta O. F. M. Cap.*, XLVIII, 103. — 3) Cfr. *Commentarium pro Religiosis*, l. c., 226-237 et *Analecta O. F. M. Cap.*, LVIII, 109.

Can. 545. — 1) *A. A. S.*, XII, 17; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 59; *Periodica*, X, 194.

Can. 552. — 1) *A. A. S.*, XIV, 352; *Periodica*, XI, 79.

licet, quod novitii altero novitiatus anno numquam ad opera propria instituti destinentur extra domum novitiatus nisi id constitutiones permittant et etiam in hoc casu numquam nisi per modum exceptionis et ex gravi causa quae debet existere, non ex parte religionis, sed ex parte novitii. Duobus autem mensibus ante professionem novitii ab omni opere externo abstineant et ad domum novitiatus revocentur ut integro bimestri ad professionem emittendam se praeparent ¹.

2. - Responsum C. I., 12 Novembris 1922, definit modum computandi annum novitiatus ad normam can. 34, § 3, n. 3 (Vide can. 34) ².

2. - « D. - I. An indultum apostolicum requiratur ut annus canonicus novitiatus, de quo in canone 555, § 1, n. 2, transferri possit in secundum novitiatus annum iuxta § 2 eiusdem canonis.

II. An loci Ordinarius dispensare possit super secundo novitiatus anno, si hic in constitutionibus ad professionis validitatem non requiratur ad normam canonis 555, § 2.

R. - Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, dummodo agatur de religionibus iuris dioecesiani ». C. I., 12 Februarii 1935 ³.

556 « D. - An sub verbis: *quacumque ex causa* canonis 556, § 1 comprehendatur etiam transitus in aliam novitiatus domum, de quo in § 4 eiusdem canonis.

R. - Affirmative ». C. I., 13 Iulii 1930 ¹.

557 Religiosus qui ad aliam religionem transit, in novitiatu teneatur sicut alii novitii habitum religionis *ad quam* transit induere. S. C. de Religiosis, 14 Maii 1923 (Vide can. 633).

565 S. C. de Religiosis, 25 Novembris 1929, dedit *Instructionem* ad Superiores generales religionum laicalium de obligatione subditos in doctrina christiana rite imbuendi. In ipsa omnibus utriusque sexus religiosi institutorum laicalium praecipitur ut tempore probandatus et novitiatus tyrones christianam doctrinam ita edoceantur, ut unusquisque frater vel soror eam non solum memoriter teneat, sed etiam rite explicare queat, nec ad vota nuncupanda sine suffi-

Can. 555. — 1) *A. A. S.*, XIII, 539; Vermeersch, *Periodica*, X, 365 et sqs., ubi, inter alia notat instructionem non dirigi ad Ordines religiosos, sed ad Congregationes seu Instituta votorum simplicium. Eodem sensu, Creusen, in *Revue des Communautés Religieuses*, I (1925), 100, 129. — 2) Cfr. *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 62 et I (1925), 161, ubi habes exemplum indulti sanationis professionum hac causa invalidarum; *Periodica*, XI, 184. — 3) *A. A. S.*, XXVII, 93; *Revue des Communautés Religieuses*, XI (1935), 85; *Periodica*, XXIV, 95; *Commentarium pro religiosi*, 1935, 371; *Ecclesiastical Review*, 92, 504; *Ius Pontificium*, 1935, 83.

Can. 556. — 1) *A. A. S.*, XXII, 365; *Revue des Communautés Religieuses*, VI (1930), 179 s. (Creusen); cfr. *The Ecclesiastical Review*, 1931, 497, ubi evidens contradictio quam aliqui in hac responsione adesse censent, explicatur; *Apollinaris*, III, 566 sqs.; *Periodica*, XIX, 343; *Ius Pontificium*, 1930, 231.

cienti eiusdem cognitione admittatur, praevio examine. Religiosis autem qui in scholis doctrinam christianam explicaturi sunt ita debent esse cum in ipsa doctrina tum in methodo eam docendi instructi ut examen coram Ordinario loci de his rebus sustinere valeant. Programma autem examinis proponitur illud quod apud Vicariatum Urbis in usu est ¹.

567 « D. - Utrum, ad normam canonis 567, § 1 et canonis 57, n. 1, novitii et professi a votis temporaneis, si morte praeveniantur, ad eadem ac professi a votis solemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis suffragia ius habeant, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatae a S. Sede.

R. - Affirmative, et ad mentem. Mens est: Ordines et Congregationes religiosae possunt congrua eademque suffragia pro omnibus novitiis, temporanee professis et professis a votis solemnibus aut professis a votis simplicibus perpetuis, praescribere in suis constitutionibus emendandis et pro approbatione exhibendis ad S. C. Religiosorum, ad normam eiusdem S. Congregationis decreti diei 26 Iunii 1918 ». C. I., 16 Octobris 1919 ¹.

569 1. - « D. - Num verba: *nisi constitutiones aliud ferant* canonis 569, § 1, ad vocem *libere* referantur, ita ut liceat per constitutiones determinare in quem finem de usu et usufructu a novitiis sit statuendum.

R. - Constitutiones, ante promulgationem Codicis approbatae, servandae sunt, sive novitiis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent seu praefiniant ». C. I., 16 Octobris 1919 ¹.

2. - Testamentum de quo in hoc can. 569, § 3, conficiendum est, etsi ex lege civili invalidum est. Sed curandum est ut cum primum fieri poterit vim etiam ex lege civili habeat, nulla tamen facta mutatione dispositionum nisi ad normam can. 583, § 2. C. I., sine datione ².

572 1. - S. C. de Religiosis, 10 Iulii 1919, ad dubium: « An resolutiones S. C. EE. et RR., sub die 18 Iulii 1902 ad I, et 15 Ianuarii 1903 ad I et II, circa modum servandum in emittenda simplici et solemnialium professione post editum decretum *Perpensis* diei 2 Maii 1902, vigeant post inductam a Codice iuris canonici

Can. 565. — 1) *A. A. S.*, XXII, 28; Vermeersch, *Periodica*, XIX, 199, ubi etiam affertur programma vicariatus Urbis de quo in *Instructione*.

Can. 567. — 1) *A. A. S.*, XI, 477; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 63; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 67.

Can. 569. — 1) *A. A. S.*, XI, 478; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 64; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 68. — 2) Apud Schaefer, *De Religiosis*, III, n. 256, p. 555.

sistebat pro religiosis officium praestandi servitium militare; hinc post adeptam aetatem praescriptam vota solemniter emittebant. Nunc autem, postquam Austria coniuncta est imperio germanico, multi eorum qui prius vota solemniter nuncupaverant, ad militiam vocantur. Quaeritur ergo an etiam his vota solemniter durante servitio militari suspendantur, vel saltem aliqua mitigatio in iis servandis concedatur. Res magni momenti est, propter conflictus conscientiae qui oriri possunt ex periculis et difficultatibus servandi vota durante servitio militari ». — S. Congregatio, 14 Aprilis 1939 (n. 353-39) respondit: « Haec Sacra Congregatio, mature perpensis expositis... attentis omnibus ad rem facientibus rescribendum censuit prout rescribit: Superioribus maioribus, praesertim in locis de quibus agitur, facultas tribuitur providendi, in singulis similibus casibus, durante necessitate et tempore militiae, per concessionem indulti exclaurationis ad normam, quoad fieri potest, can. 639 »⁵.

6. - S. C. de Religiosis, 23 Ianuarii 1940 declaravit: 1. Eos religiosos qui vota iam emisissent perpetua, si occasione mobilisationis generalis ad militiam vocentur, ut exclaurationis ad normam iuris considerandos esse. 2. Eosdem religiosos non primitus vocatos ad militiam sed occasione mobilisationis generalis, si votis ligentur temporaneis, iisdem teneri et tempore servitii militaris, admitti vero non posse ad vota perpetua durante eodem servitio. 3. Religiosos autem qui definitive inhabiles non sunt declarati durante hoc statu non posse vota perpetua emittere et si habiles declarentur ut *primitus vocatos* subiecti dispositionibus decreti *Inter reliquas*⁶.

575 Suffragium Capituli de quo in hoc can. 575, § 2, in admittendo religioso in circumstantiis de quibus in can. 634 ad professionem perpetuam est deliberativum. C. I., 14 Iulii 1922 ad VIII (Vide can. 634).

576 De ritu in professione emittenda servando videri utiliter potest decisio S. C. de Religiosis, 10 Iulii 1919 (Vide can. 572).

578 1. - Novitii et professi a votis temporaneis ius habent, si moriantur, ad suffragia sicut professi a votis perpetuis. C. I., 16 Octobris 1919 (Vide can. 567).

2. - Circa privilegium emittendi professionem religiosam ante expletum novitiatum pro casu periculi mortis videri potest responsum S. C. de Religiosis, 3 Decembris 1922 (Vide can. 572).

580 1. - S. C. Religiosorum Sodalium negotiis praepositae, sequentia dubia pro opportuna solutione subiecta fuere:

I. Utrum religiosi solemniter professi ad tenorem iuris communis

⁵) *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 51, 170 ex *Acta Fratrum Minorum*, 1939, 158. — ⁶) Hae normae non sunt promulgatae in *A. A. S.*; eas legere poteris apud Schaefer, *De Religiosis*, III, p. 1124 sq. Cfr. etiam M. a Coronata, *Institutiones I. C.*, I, ed. III, p. 1009.

quidquam pecuniarum, quae illis occasione servitii militaris durante bello praestiti obvenierunt, vel obvenient, iure sibi retinere valeant, vel potius eas omnes suo Ordini refundere teneantur.

II. Utrum religiosi solemniter quidem professi, sed ex indulto Apostolico post professionem nihilominus capaces acquirendi, quidquam pecuniarum, de quibus in primo dubio, suum facere valeant absque assensu et licentia expressa sui Superioris maioris.

III. Utrum religiosi simpliciter professi, sive in perpetuum sive ad tempus, quorum constitutiones excludunt post professionem omnem ulteriorem acquisitionem bonorum temporalium, teneantur dictas pecunias omnes suae religioni tradere.

IV. Utrum religiosi quomodocumque simpliciter professi, in perpetuum vel ad tempus, sive in Ordine sive in Congregatione, quorum constitutiones non obstant, de pecuniis titulo stipendii (le solde) acceptis quidquam suum facere valeant, vel potius quidquid post eorum dimissionem ex exercitu superfuerit respectivae Religioni tradere teneantur.

V. Utrum pensio vitalitia data ob mutilationem vel debilitationem in bello perpassam religiosis simpliciter professis, vel iis de quibus in can. 673, § 1, aut demum is quorum vota vel promissa suspensa manebant, pertineat ad respectivam Religionem aut Societatem.

VI. Utrum emolumenta pecuniaria, ob decus militare (la médaille militaire, la croix de la légion d'honneur) in bello reportatum obvenientia, pertineant ad ex-militem aut potius ad Religionem.

VII. Utrum retributio singulis militibus in actu eorum dimissionis tributa tamquam solempne publicae gratitudinis signum (la prime de la démobilisation) pertineat ad Religionem.

VIII. Utrum qui de pecuniis occasione belli perceptis contra Superiores iam disposuerint etiam in favorem tertii, teneantur ad restitutionem.

Porro Eminentissimi Patres in plenario coetu ad Vaticanum habito, die 24 Februarii 1922, re mature perpensa, ad proposita dubia respondendum censerunt.

Ad I. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative, quoad religiosos qui tempore servitii militaris votis ligati erant; negative quoad ceteros.

Ad IV. Si agatur de iis qui tempore servitii militaris votis adstricti erant; negative ad primam partem, affirmative ad secundam; si vero de iis quorum vota cessarunt, affirmative ad primam partem; quoad alteram vero: aequam compensationem suae Religioni tradant.

Ad V. Quoad religiosos tempore servitii militaris votis obstrictos: pertinet ad Religionem; quoad ceteros: pertinet ad personam, quae tamen tenetur eam suo Instituto tradere quamdiu in eo permaneat.

Ad VI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, nisi de iis agatur qui votis non erant obstricti tempore belli.

Ad VII. Affirmative, nisi tempore belli votis ligati minime fuerint.

Ad VIII. Affirmative, nisi Religiosus ex permissione Superioris rationabiliter praesumpta egerit ¹.

2. - « D. - An requiratur venia S. Sedis ut professus, ad normam canonis 580, § 2, cessionem vel dispositionem saltem de notabili bonorum parte in favorem religionis mutare possit.

R. Affirmative ». C. I., 15 Maii 1936 ².

584 S. C. Concilii propositum fuit dubium: « An capitularis religionem ingressus ius habeat ad fructus beneficii, antequam hoc vacet ad normam can. 584 Codicis I. C. ». Quae, 13 Aprilis 1940, respondit: « Negative, salvo apostolico indulto » ¹.

587 1. - Si clerici laicas Universitates adire debeant attendendum est Instructioni a S. C. Consistoriali datae 30 Aprilis 1918 (Vide can. 1380).

2. - Pius XI, Epistola apostolica *Unigenitus*, 19 Martii 1924, ad Supremos Moderatores Ordinum regularium aliarumque societatum religiosorum virorum directa, praemissa generali commendatione vitae religiosae plurima edocet de recta vitae ipsius religiosae ratione. Cohortatur religiosos omnes ad conservandum spiritum sui fundatoris. Considerata scientiae necessitate pro sacro ministerio implendo, sacra studia valde commendat, etiam ea habita consideratione quod studia ipsa sacra valde adiuvant ipsum vitae interioris profectum et vitiorum expugnationem. Commendat pariter parva seminaria et collegia iuvenibus excipiendis et excolendis destinata qui aliqua vocationis religiosae signa dederint; qui tamen erunt prudenter seligendi. Statuit autem ut delecti iuvenes candidati in novitiatum non admittantur regulariter ante expletum cursum gymnasiale. Si religio vel provincia studia bene ordinata non habeat, iuvenes ad aliam sedem studiorum aptam mittantur. Commendatur autem praesertim studium catechismi romani et linguae latinae. Determinatur qualis sit oportet institutio novitiorum; quod scilicet remotis quarumve disciplinarum studiis et oblectamentis huc tantummodo novitiis animos intendant ut sub sapientis magistri sui ductu interioris vitae exercitationibus vacent. In domibus studiorum plene vigere debet regularis observantia; idonei magistri assignandi qui conari debent ut ex discipulis sanctos et operosos faciant apostolos; doctrinam scholasticam secundum S. Thomae principia edoceant; fidei spiritus in alumnis alendus ne scientia inflet. Etiam conversorum vocatio curanda et sedulo exco-

Can. 580. — 1) *A. A. S.*, XIV, 196; *Periodica*, XI, 34; *Ius Pontificium*, 1922, 58. — 2) *A. A. S.*, XXVIII, 210; *Periodica*, XXV, 205; *Apollinaris*, X, 27, ubi de errore typographico in *A. A. S.*, circa hoc responsum; et *ibidem*, IX, 588; *Revue des Communautés Religieuses*, XII (1936), 121.

Can. 584. — 1) *A. A. S.*, XXXII, 574-578.

lenda est; atque eruditio in doctrina christiana procuranda praesertim in Congregationibus laicalibus ¹.

3. - S. C. de Religiosis, 25 Novembris 1929, Instructiones Superioribus religionum laicalium direxit circa instructionem catechetica (Vide can. 565).

4. - S. C. de Religiosis, 1 Decembris 1931, *Instructione* ad supremos religionum et societatum clericalium Moderatores directa plurima statuit de formatione clericali et religiosa alumnorum ad sacerdotium vocatorum.

Praemissis laudibus status religiosi ostenditur quantum ipsis religionibus desertiones a statu religioso et a susceptis ordinibus sacris noceant.

Statuit una cum doctrina pietatis curanda esse studia gymnasia; prudentiam adhibendam in eligendis candidatis qui specialia vocationis signa dederint; arcendos iuvenes a legendis libris et ephemeredibus quibus bona studia impediuntur et ab exercitationibus corporeis quae clericos dedecent.

Curandum ut magistri spiritus bene suo munere fungantur; ut ad studia sacra assidua adhibeatur applicatio; ut iuvenes studiis destinati in suis domibus studiorum constanter permaneant, et studio incumbant assidue. Cura specialis adhibeatur de neo-sacerdotibus ne sibi metipsis cum periculo animae reliquantur.

Memorato iure Superiorum concedendi dimissorias ad ordines, ipsis Superioribus strictissimam obligationem inculcat candidatos semel atque iterum probandi.

Deinde sequentia ab omnibus Superioribus observanda decernit: novitii antequam ad professionem votorum temporalium admittantur Superiori petitionem scripto deferant, in qua declarent suam religiosam et clericalem vocationem simulque firmum propositum in statu religioso se militiae mancipandi. Superior antequam ad ordines candidatos admittat se certiorare per accuratum scrutinium de moribus, pietate, modestia, castitate, profectu in studiis curet, adhibito praesertim testimonio magistri spiritus et aliorum qui cum candidatis domesticamente versati sunt. De factis inquisitionibus documentum condatur in archivo asservandum. Dein Superior, per se vel per alium candidatos interrogare curet, ut tandem aliquando certior fiat de eorum vocatione.

Superiores districte vetantur alumnos ante triennium completum votorum temporariorum ad ordines sacros candidatos promovere. Alumni ad subdiaconatum ne admittantur nisi post novam institutam inquisitionem, qua peracta, si digni et idonei inventi fuerint a Superioribus dimissorias litteras obtinere poterunt. At Superiores dimis-

Can. 587. — 1) *A. A. S.*, XVI, 133; Vermeersch, *Periodicu*, XIV, 14; *Nouvelle Revue Théologique*, 51 (1924), 627; *Periodica*, XIII, 1.

sorias concedere non debent nisi a candidatis testificationem de sua libertate a coactione et de plena cognitione onerum ex ordine dimanantium et de perceptione oneris praesertim castitatis acceperint, ac praeterea candidati iure iurando promittant se obtemperaturos Superioribus iuxta Ecclesiae disciplinam praecipientibus. Atque haec testificatio votis solemnibus praemittenda est ac Episcopo ordinanti transmittenda ².

5. - S. C. de Seminariis etc., 20 Augusti 1942, Normas edidit de personis ecclesiasticis universitates laicales civiles adeuntibus. Inter alia in his normis edicitur neminem ex ecclesiasticis viris universitates civiles adire posse sine licentia S. Congregationis. (Cfr. can. 1380, n. 5). Quamvis in calce harum normarum dicatur easdem valere et pro religiosis, sunt tamen qui docent religiosis licentiam S. Congregationis necessariam non esse ³.

589 1. - Novitii clerici regulariter novitiatum ne ingrediantur, nisi humanitatis curriculo confecto. Pius XI, 19 Martii 1924 (Vide can. 587) ¹.

2. - S. C. de Religiosis et de Seminariis, 2 Februarii 1941, Normas ediderunt de studiis religiosis peragendis. Huc tendunt hae Normae ut religiosorum studia, quantum fieri potest, programmati studiorum scholarum statalium conformentur, et ut alumni diplomata statalia de studiis peractis et de periculis superatis consequantur ².

590 « D. - I. Utrum parochi vel vicarii curati religiosi, examen, de quo in can. 130, § 1, subire teneantur coram Ordinario eiusve delegato, si coram Superiore religioso eiusve delegatis examen subierint, de quo in canone 590. — Et quatenus negative:

II. Utrum in casu negligentiae Superiorum religiosorum circa examen, de quo in citato canone 590, Ordinarius loci cogere possit religiosos istos ut examen, ad normam citati canonis 130, § 1, coram se suisve delegatis subeant.

R. - Ad I. Negative.

Ad II. Recurrendum esse in casu ad S. C. de Religiosis ». C. I., 14 Iulii 1922 ¹.

592 Secretaria Status, 15 Martii 1936, Superioribus Generalibus religionum utriusque sexus commendavit opera *Actionis Catholicae* ¹.

²) *A. A. S.*, XXIV, 74; Vermeersch, *Periodica*, XXI, 188. — ³) Cfr. *Commentarium pro religiosis*, XXI, 115.

Can. 589. — 1) Ex Epistola Apostolica Pii XI, 19 Martii 1924. — 2) *Il Monitore Ecclesiastico*, 1941, 34-36. Normae istae non sunt publicatae in *A. A. S.*, et solam Italianam respiciunt.

Can. 590. — 1) *A. A. S.*, XIV, 526; *Periodica*, XI, 126; *Ius Pontificium*, 1922, 84.

Can. 592. — 1) *Periodica*, XXV (1936), 209.

596 Si religiosus ad aliam transeat religionem, durante novitiatu tenetur habitum gestare religionis *ad quam* transit. S. C. de Religiosis, 14 Maii 1923 (Vide can. 557).

597 1. - S. C. de Religiosis, 22 Maii 1919, declaravit nil innovandum circa moniales in Gallia et Belgio, quae vota emittunt simplicia et Ordinariis locorum subduntur (Vide can. 488).

2. - S. C. de Religiosis, decreto 23 Iunii 1923, declaravit: « I. In Gallia et in Belgio moniales monasteriorum quae regulas Ordinum regularium profitentur, seu quarum vota ex instituto solemnia, quamvis vota dumtaxat simplicia emittant, esse vere moniales iuris pontificii ad sensum canonis 488, § 7, prout ceterae moniales in Ecclesia universa; II. Ea tamen monasteria Superioribus regularibus, salvo peculiari privilegio, minime esse subiecta, ideoque ad normam canonis 615 exemptione non gaudere, sed esse Ordinariis locorum iurisdictioni subiecta in iis quae canones Ordinariis ipsis circa moniales attribuunt; III. Nihil vero obstare in praesenti quominus, si quod monasterium id postulaverit, vota solemnia, servata clausurae papalis lege, moniales emittere queant, dummodo id ab Apostolica Sede obtineant » ¹.

3. - S. C. de Religiosis, 6 Februarii 1924, promulgavit Instructionem *Nuper edito* de clausura monialium votorum solemnium. In ipsa multa de clausura statuuntur et minute determinantur sensu forte aliquatenus severiore quam in ipso Codice. Prohibetur e. gr. exitus postulantis e monasterio ad caeremoniam vestitionis peragendam ².

4. - S. C. de Religiosis, 9 Novembris 1926, declaravit moniales etiam in locis ubi vota emittunt tantum simplicia non posse ab uno ad aliud monasterium transire, nisi ad normam can. 632 (Vide can. 632).

5. - Edita sunt 16 Iulii 1931, a S. C. de Religiosis, Statuta pro sororibus externis monasteriorum monialium. In quibus statutis quaedam pro his sororibus statuuntur circa clausuram ³.

597-600 « D. - An lege clausurae papalis, de qua in canonibus 597-600, comprehendantur etiam moniales, quarum vota, quamvis ex instituto deberent esse solemnia, tamen in aliquibus locis ex praescripto Sedis Apostolicae sunt simplicia.

R. - Negative, ratione indulti apostolici adhuc in vigore manentis ». C. I., 1 Martii 1921 ¹.

Can. 597. — 1) *A. A. S.*, XV, 357. — 2) *A. A. S.*, XVI, 96. *Instructio* prodit in *Commentario Officiali* etiam italicae, gallice, et hispanicae. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, XIII, 63. — 3) *Apollinaris* (1931), IV, p. 345; *Commentarium pro religiosis*, XII (1931), 409, ubi etiam habetur *Commentarium Statutorum*.

Can. 597-600. — 1) *A. A. S.*, XIII, 177; *Periodica*, X, 325; *Ius Pontificium*, 1923, 128.

8 — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

600 S. C. de Religiosis, rescripto anni 1936, ad Card. Ordinarium Genuensem, declaravit editione Statutorum pro Sororibus externis monasteriorum monialium 16 Iulii 1931, quibus praescribitur ut sorores externae extra clausuram monasterii habitent, abrogatam esse quamlibet particularem consuetudinem qua permittebatur externas huiusmodi sorores intra clausuram degere ¹.

601 S. C. de Religiosis concedit aliquando monialibus institutionem collegii pro educatione puellarum, dispensando partialiter moniales collegio addictas a lege clausurae ¹.

606 S. Congregatio de Religiosis « mature perpenso dubio circa necessitatem recurrendi ad S. Sedem ut religiosi gravibus infirmitatibus afflicti possint degere extra domum propriae religionis, attentis omnibus ad rem facientibus, rescribendum censuit, prout rescribit: Provisum in can. 606, § 2 » ¹.

607 S. Congregatio de Religiosis, 5 Iunii 1946, Superiorissis religiosis misit litteras circulares circa itinera religiosarum in praesentibus circumstantiis. In ipsis praecipitur ut religiosae itinera ne suscipiant singillatim; ne religiosae sorores itinera suscipiant sine urgente necessitate; urgente autem necessitate, si longa sint itinera suscipienda, praevideatur et provideatur pro nocturna degentia ¹.

610 1. - « D. - Utrum vi canonis 610, § 2 quo praescribitur: *Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus virorum et etiam, quoad fieri possit, in religionibus mulierum*, Missa officio diei respondens debeat celebrari tantum in religionibus regularium et monialium vota solemnia habentium; an etiam in domibus religiosarum vota simplicia habentium, quibus ex constitutionibus a Sancta Sede approbatis est obligatio chori.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 20 Maii 1923 ¹.

2. - S. Rituum Congregatio, 2 Maii 1924, declaravit religiosos choro adstrictos non teneri ad plures missas conventuales quando plures a rubricis praecipuntur; seclusis legitima consuetudine aut religionis constitutionibus ².

Can. 600. — 1) Vide *Commentarium pro religiosis*, XVII (1936), 209; *Revue de Communautés Religieuses*, XIII (1937), 3; *Archiv für katolischen Kirchenrecht*, 113 (1933), 141 (Hilling).

Can. 601. — 1) Vide exemplum huiusmodi concessionum in *Commentarium pro religiosis*, 1935, 419, vel in *Periodica*, XXVI, 78.

Can. 606. — 1) Responsum privatum datum 25 Maii 1942 ad Procuratorem Generalem O. F. M. Cfr. *Acta O. F. M.*, LXI (1942), 125; *Analecta O. F. M. Cap.*, LVIII (1942), 141.

Can. 607. — 1) Cfr. Litteras apud *Il Monitore Ecclesiastico*, 1946, 153.

Can. 610. — 1) *A. A. S.*, XVI, 113; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 80; *Periodica*, XIII, 83; *Ius Pontificium*, 1924, 5. — 2) *A. A. S.*, XVI,

3. - S. Rituum Congregatio, 14 Maii 1926, declaravit:

a) Congregationes religiosas quae ad officium divinum recitandum tenentur, etsi id eveniat solummodo ratione ordinum sacrorum receptorum, si sub regimine unius praesidis generalis constitutae sunt, calendarium proprium habere debere pro officio recitando.

b) Praefatas Congregationes, sine speciali indulto, non posse addere in oratione *A cunctis* nomen Fundatoris.

c) Sacerdotes religiosos qui proprium habent Calendarium, si alicui ecclesiae addicti sint, tenentur recolare titularem suae ecclesiae cum octava ³.

4. - S. Poenitentiaria, 5 Decembris 1930, concessit monialibus aliisque piis mulieribus in communi viventibus indulgentiam plenariam pro recitatione officii divini coram Sanctissimo Sacramento ⁴.

5. - S. Poenitentiaria, decreto 31 Martii 1937, indulgentias pro recitatione divini officii coram Sanctissimo Sacramento, clericis in maioribus ordinibus constitutis olim concessas, ad clericos omnes, necnon ad novitios et studentes institutorum religiosorum quorumcumque extendit ⁵.

6. - S. Poenitentiaria, 14 Decembris 1937, declaravit supradictum responsum, 31 Martii 1937, non esse applicabile religiosis mulieribus ⁶.

613 « D. - An verba canonis 613, § 1, *exclusa in posterum qualibet communicatione*, ita intelligenda sint ut revocata fuerint privilegia a religionibus ante Codicem I. C. per communicationem acquisita et pacifice possessa.

R. Negative ». C. I., 30 Decembris 1937 ¹.

615 1. - S. C. de Religiosis, 22 Maii 1919, declaravit nihil innovandum esse circa moniales in Gallia et Belgio, ubi hae subiectae sunt Ordinariis locorum (Vide can. 488).

2. - S. C. de Religiosis, 9 Novembris 1926, declaravit moniales non posse de sola Ordinarii loci licentia transire de domo ad aliam domum etiam in locis ubi vota solum emittunt simplicia et subiectae sunt Ordinariis locorum (Vide can. 632).

616 « D. - Utrum parrocho an cappellano, ad normam canonis 1230, § 5, competat ius funerandi moniales ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptas iuxta canonem 615.

248; Pauwels, in *Periodica*, XIII, 119, ubi notatur obligationem quidem non adesse, facultatem vero concedi plures missas conventuales celebrandi. V. Scheigman, in *Nederlandsche katolieke Stemmen*, 1935, p. 7. — 3) *A. A. S.*, XVIII, 320; Pauwels, in *Periodica*, XV, 166. — 4) *A. A. S.*, XXIII, 23. — 5) *A. A. S.*, XXIX, 284; *Periodica*, XXVI, 513. — 6) *Periodica*, XXVII, 261.

Can. 613. — 1) *A. A. S.*, XXX, 73; *Periodica*, XXVII, 157; *Apollinaris*, XI, 178; *Revue des Communautés Religieuses*, XIV (1938), 65 sq. (Creusen); *Ius Pontificium*, XVIII (1938), 138; *Theologisch praktische Quartalsschrift*, 91 (1938), 539.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 31 Ianuarii 1942 ¹.

621 « D. - Utrum canon 621, § 1 intelligendus sit tantum de religiosis mendicantibus stricto sensu dictis; an etiam de illis, qui latiori sensu tales appellantur, uti sunt Fratres Ordinis Praedicatorum. — Et quatenus affirmative ad primam partem: An dicti Mendicantes indigeant Ordinarii licentia, si velint stipem petere in dioecesi pro aedificatione, ornatu, etc., suarum ecclesiarum.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; quod vero attinet ad licentiam ab Ordinario obtinendam provisum in citato canone 621, § 1 ». C. I., 16 Octobris 1919 ¹.

622 1. - S. C. pro Ecclesia Orientali *Monitum*, 2 Aprilis 1929, in Commentario officiali edidit, in quo declaratur certos viros orientales in Occidente apud Latinos quaeritantes eleemosynas missarum non obtinuisse a se necessariam licentiam stipem petendi ¹.

2. - S. C. pro Ecclesia Orientali, decreto *Non raro*, 7 Ianuarii 1930, de clericis orientalibus in Americam se conferentibus, infra relati decreti 7 Ianuarii 1930, observantiam iterum inculcat ².

3. - S. C. pro Ecclesia Orientali, decreto *Saepenumero*, 7 Ianuarii 1930, plura decernit de clericis orientalibus eleemosynas, pecuniam vel Missarum stipendia colligentibus seu corrogantibus extra orientales regiones et dioeceses. Licentia ad collectas faciendas in Ecclesia latina omnino necessaria, generatim clericis orientalibus a Sancta Sede denegabitur et solum per exceptionem concedetur. Et in hoc casu exceptionalis ipsa Sacra Congregatio Episcopos locorum singillatim et expresse certiores faciet de licentia data. At is qui licentiam obtinuit ea uti nequit sine consensu Episcopi; nec Ordinarii locorum permittere poterunt collectas facere orientalibus qui licentiam Sanctae Sedis non obtinuerint. Pariter nec Ordinarii nec rectores ecclesiarum stipes missarum orientalibus dare queunt; et si de facto dederint, ipsi de missis respondere debent. Decretum tamen hoc non afficit orientales qui in proprio territorio orientali versantur ³.

4. - S. C. pro Ecclesia Orientali, monito 20 Iulii 1937, praeter alia in ipso monito contenta, in memoriam revocat observantiam can. 622, § 4, de non admittendis clericis orientalibus ad colligendas eleemosynas missarum in territoriis ritus Latini sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis. Admonet autem eadem Sacra Congregatio: « Si aliquando, propter adiuncta omnino peculiaris vel

Can. 616. — 1) *A. A. S.*, XXXIV, 50.

Can. 621. — 1) *A. A. S.*, XI, 478; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 81; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 68.

Can. 622. — 1) *A. A. S.*, XX, 107. — 2) *A. A. S.*, XXII, 106. — 3) *A. A. S.*, XXII, 108.

stipendiorum missarum collectam permittere iudicaverit, ipsa Sacra Congregatio Episcopos locorum singillatim et expresse certiores faciet de hac licentia ac de ratione tributae concessionis. Nullus ideo Ordinarius, extra casum quo ipsemet a S. Sede, vel directe vel per Legatum Romani Pontificis praemonitus fuerit, ullo modo concedere poterit vel permittere ut quaelibet collecta a clericis orientalibus in sua ditione fiat. — Quod si fecerint, ipsi respondere tenentur de Missarum celebratione, et pro modo culpa, de auxilio praestito quoad pecuniam et stipendia seu intentiones Missarum collecta » (Vide can. 804) ¹.

625 1. - Benedictus XV, 19 Iunii 1921, *Apostolicum mandatum*, Brevi *Pro benedictione*, dedit omnibus Abbatibus Ordinis Sancti Benedicti. In ipso, praemissa declaratione quod Abbates Ordinis S. Benedicti benedicendi sunt benedictione in Pontificali Romano contenta et quae auctoritatem apostolicam requirit, quaeque pro abbatibus exemptis a iurisdictione Episcoporum semper adhibita fuit, omnibus Ordinariis locorum semel pro semper generale mandatum concedit ad benedicendos Abbates Ordinis Sancti Benedicti confederati. Mandatum autem datur Episcopo dioecetano respectivo, excepto casu quo is absit vel impediatur aut consensum dederit; quibus in casibus mandatum valet pro omnibus Episcopis cum Sede Apostolica communionem habentibus ¹.

2. - « Cum can. 625 C. I. C. dicatur Abbates regulares frui privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo coloris violacei, quaeritur: Cuiusnam coloris debeat esse pileolus Abbatum regularium; nempe utrum coloris nigri, an coloris habitus regularis proprii Ordinis. — Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, rescribendum censuit: Affirmative ad primam partem, iuxta decretum generale 1311, ad VIII, diei 27 Septembris 1659; et quoad secundam partem provisum in prima » 31 Iulii 1929 ².

627 « Die 2 Decembris 1920, in Audientia S. Pontificis, declaratum est canonem 627, § 2, valere quoque, durante munere, de Praefecto Apostolico » ¹.

630 1. - Ad iudicium ferendum circa bona quae dicenda sint religioso obvenire intuitu parociae et quae intuitu religionis, videri utiliter poterunt quae in Decisione S. Romanae Rotae 18 Fe-

1) *A. A. S.*, XXIX, 342.

Can. 625. — 1) *A. A. S.*, XIII, 416; *Periodica*, X, 341. — 2) Ex *Periodica*, XVIII, 244.

Can. 627. — 1) Ita Vermeersch-Creusen, *Epitome*, 13, 729, p. 476. Eximitur igitur Praefectus Apostolicus religiosus a potestate Superiorum et vi voti obedientiae uni Romano Pontifici subiecitur.

bruarii 1919, et 16 Augusti 1921, necnon in sententia Signaturae Apostolicae 6 Aprilis 1920 discussa sunt ¹.

2. - Responso C. I., 25 Iulii 1926 ad IV definitur ius Ordinarii loci circa bona paroecciarum religiosarum.

631 I. - « D. - An vi canonum 631, § 3, 535, § 3, n. 2, 533, § 1, n. 3 et 4, loci Ordinarius ius habeat exigendi rationes de administratione fundorum legatorumque paroecciae religiosae, de qua in canone 1425, § 2.

R. - Affirmative, firmis praescriptis canonum 630, § 4 et 1550 », C. I., 25 Iulii 1926 ¹.

2. - Eadem norma hoc canone statuta de praevalentia decreti Ordinarii loci in casu conflictus valet et pro locis Missionum. Instructio S. C. de Propaganda Fide, 8 Decembris 1929 (Vide canonem 296) ².

632 S. C. de Religiosis, 9 Novembris 1926, ad dubia: « I. Utrum moniales monasteriorum, in quibus vota dumtaxat simplicia emittuntur iuxta canonem 488, n. 7 Codicis I. C. et decretum S. C. de Religiosis sub die 23 Iunii 1923, e proprio ad aliud huiusmodi monasterium sui iuris et eiusdem Ordinis transire queant sola Ordinarii vel Ordinariorum auctoritate; II. Utrum eadem moniales ab Ordinario vel Ordinariis e proprio ad aliud monasterium, uti supra, de ipsarum et utriusque communitatis consensu, transferri queant saltem ad tempus, ita ut in novo monasterio, dum ibidem commorantur, iuribus gaudere et officiis fungi valeant ut moniales de familia ». Respondit: « Ad I. Negative, et servetur canon 632 Codicis I. C.; Ad II. Negative, sine praevia Apostolicae Sedis licentia » ¹.

633 S. C. de Religiosis, 14 Maii 1923, ad dubium: « Religiosus, qui in quadam religione professus, obtento indulto apostolico, ad aliam religionem transit, teneturne ad habitum novitiorum religionis *ad quam* suscipiendum et gestandum perdurante novitiatu in nova religione? ». Respondit: « Affirmative » ¹.

634 « D. - Utrum suffragium Capituli in admittendo religioso, de quo in canone 634, ad professionem solemnem aut simplicem perpetuam, habeat vim deliberativam, an tantum consultivam.

Can. 630. — 1) *A. A. S.*, XII, 183; XIV, 239; XII, 252.

Can. 631. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 393; *Periodica*, XV, 132; *Ius Pontificium*, 1926, 135. — 2) *A. A. S.*, XXII, 111.

Can. 632. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 490; *Revue des Communautés Religieuses*, III (1927), 33; *Periodica*, XV, 230.

Can. 633. — 1) *A. A. S.*, XV, 289; *Periodica*, XII, 67 et XII, (16); *Ius Pontificium*, 1923, 130.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 14 Iulii 1922 ¹.

637 Specialis facultas dimittendi religiosum durante servitio militari ante vota perpetua conceditur a Decreto *Inter reliquas*, VIII, et a responso S. C. de Religiosis 15 Iulii 1919 ad 2. b (Vide can. 574).

638 « D. - Utrum verba *loci Ordinarius*, de quibus in canone 638, designent Ordinarium loci commorationis religiosi, an Ordinarium loci domus principis.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 24 Iulii 1939 ¹.

639 I. - Religiosus qui obtinuit rescriptum pro saecularizatione aut dispensatione a votis potest illud recusare, etsi iam executorialiter decretum datum fuerit. S. C. de Religiosis, 1 Augusti 1922 (Vide can. 56 et 640).

2. - « D. - Utrum qui indultum exclaustationis ab Ordinario loci obtinuerunt, teneantur conditionibus apposis in canone 639.

R. - Affirmative, salva Ordinarii potestate concedendi exclaustro ob rationes particulares facultatem retinendi habitum religiosum ». C. I., 12 Novembris 1922 ¹.

640 I. - S. C. de Religiosis, 1 Augusti 1922, ad dubium: « An religiosus, qui saecularizationis indultum aut simplicium votorum dispensationem impetravit, possit primum aut alteram recusare cum a locali Superiore eiusdem notitiam accipit, quamvis Superior generalis in scriptis iam executorialiter decretum rescripti emisit ad normam canonis 56 C. I. C. ». Respondit: « Affirmative, dummodo Superiores graves rationes in contrarium non habeant, quo in casu ad S. Congregationem referant » ¹.

2. - « D. - Utrum canon 640, § 1 comprehendat omnes, qui saecularizationis indultum obtinuerint sive a Sede Apostolica sive ab Ordinario loci.

R. - Affirmative ». C. I., 12 Novembris 1922 ².

Can. 634. — 1) *A. A. S.*, XIV, 528; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 81; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 123.

Can. 638. — 1) *A. A. S.*, XXXI, 321.

Can. 639. — 1) *A. A. S.*, XIV, 662; *Periodica*, XI, 184; *Ius Pontificium*, 1922, 129.

Can. 640. — 1) *A. A. S.*, XIV, 501; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 84. Cfr. etiam *Rassegna di morale e diritto*, III (1937), 59; *Periodica*, XI, 150; *Ius Pontificium*, 1922, 90. — 2) *A. A. S.*, XIV, 662; *Periodica*, XI, 184; *Ius Pontificium*, 1922, 129.

FRANCISCAN LIBRARY

General

Canaan, Conn.

641 1. - Can. 641 non est applicabilis sodalibus societatum qui non vota sed iusiurandum servitii emittunt in aliqua societate. Canon iste respicit solummodo religiosos stricte dictos. S. C. Concilii, 15 Iunii 1933¹.

2. - « D. - Utrum verba canonis 641, § 2: *Episcopus potest probationis tempus prorogare*, intelligenda sint tantum de prorogatione expressa, an etiam de prorogatione tacita.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 27 Iulii 1942².

642 1. - « D. - Utrum prohibitiones, de quibus in canone 642, obstant quominus religiosi officia vel beneficia adipiscantur, tantum si ad saeculum post promulgationem Codicis sint regressi; an etiam eos complectantur, qui iam ante promulgationem Codicis extra religionem venia pontificia versabantur, non obstante canone 10.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 24 Novembris 1920¹.

2. - Religiosi saecularizati nequeunt esse consultores dioecesani. C. I., 29 Ianuarii 1931 (Vide can. 423).

643 S. C. de Religiosis, 2 Martii 1924, ad dubium: « Utrum religio, in qua dos non pertingit ad rationabile subsidii caritativi aestimationem, omni obligatione erga religiosam discedentem liberetur ex simplici dotis restitutione; an e contrario supplere teneatur id quod iuxta can. 643, § 2 defecerit ad aequum subsidium caritativum constituendum ». Respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, facto verbo cum SS.mo »¹.

646 1. - De absolutione apostatarum et fugitivorum occasione iubilaei videri potest Bulla Pii XI, 25 Decembris 1925, IX, X¹.

2. - « D. - An declaratio facti, de qua in canone 646, § 2, requiratur ad hoc ut religiosus ipso facto habendus sit tamquam legitime dimissus.

R. Negative ». C. I., 30 Iulii 1934².

3. - Praescriptum can. 672, § 1, quo praecipitur dimissos a votis

Can. 641. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 234; *Revue des Communautés Religieuses*, X (1934) 113; *Ius Pontificium*, 1934, 227. — 2) *A. A. S.*, XXXIV, 241; *Analecta O. F. M. Cap. LVIII*, 113 sq.; *Commentarium pro religiosis*, XI, 59 et XXII, 239-245.

Can. 642. — 1) *A. A. S.*, XII, 575; vide *Ius Pontificium*, 1923, p. 119; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 84; *Periodica*, X, 252; *Ius Pontificium*, 1923, 119.

Can. 643. — 1) *A. A. S.*, XVI, 165; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 61; *Periodica*, XIII, 69; *Ius Pontificium*, 1924, 73.

Can. 646. — 1) *A. A. S.*, XVI, 337. — 2) *A. A. S.*, XXVI, 491; *Revue des Communautés Religieuses*, X (1934), 180; *Nouvelle Revue Théologique*, 61 (1931), 1080; *Periodica*, XXIII, 147; *Ecclesiastical Record*, 91, 198; *Irish ecclesiastical Record*, 1931, 638.

non solutos ad religionem redire et a Superioribus recipiendos esse, non extenditur ad dimissos de quibus in can. 646. C. I., 30 Iulii 1934 (Vide can. 672).

647 1. - « In quibusdam Institutis votorum simplicium vota emittuntur sub hac vel simili conditione apposita: *donec in congregatione vivam*, ita ut alumnus, sive sponte discedat sive a Superioribus dimittatur, ipso facto a votis liber evadat. Hinc quaeritur:

D. - In dimissione alumnorum, qui similem professionem emisserunt, debentne servari canones 647 et 648 de dimissione religiosorum qui vota temporanea emisserunt, vel canon 649 et sequentes de dimissione eorum qui vota perpetua emisserunt?

R. - Pro iis, qui vota iam emisserunt sub hac conditione, servantur canones 646, 647 et 648 ». C. I., 1 Martii 1921¹.

2. - S. C. de Religiosis, 20 Iulii 1923, ad dubium: « Cum in canone 647, § 2 sancitum sit ut religioso professo votorum temporariorum, qui a Superioribus dimissionis decretum recipit, sit facultas recurrendi ad Apostolicam Sedem, et, pendente recursu, dimissio nullum iuridicum habeat effectum, quaeritur: Quale spatium temporis concedatur ad recursum interponendum quoad effectum suspensivum? ». Respondit: « Tempus utile ad interponendum recursum quoad effectum suspensivum, de quo in canone 647, § 2, esse decem dierum ab intimatione decreti religioso dimisso facta, iuxta normam traditam in similibus casibus, ut canonibus 1465, § 1, et 2153, § 1 et 2 »; additis praeterea ad rem normis².

3. - Societas Iesu in dimittendis solemniter professis, iure comuni regitur; in dimittendis vero simpliciter professis ius proprium speciale servare potest, ita tamen ut etiam praescriptum can. 647, § 2 servet circa dimissionis causas, et dimittendo plena detur respondendi facultas (can. 650, § 3) atque responsa ad Praepositum Generalem fideliter referantur ac tandem recursus pateat ad Sedem Apostolicam in suspensivo. C. I., 29 Iunii 1928³.

648 « D. - Utrum vota religiosa simplicia perpetua ex parte votantis emissa ante promulgationem Codicis in religionibus votorum solemnium, sive virorum sive mulierum, sint moderanda quoad modum dimissionis religiosorum et quoad effectus dimissionis a iure antiquo vigente ante Codicem.

R. - Affirmative ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

Can. 647. — 1) *A. A. S.*, XIII, 177; *Periodica*, X, 325; *Ius Pontificium*, 1923, 126. — 2) *A. A. S.*, XV, 457; *Periodica*, XII, 101; *Ius Pontificium*, 1923, 134. — 3) Responsum non promulgatum in *A. A. S.*, vide apud Schaefer, *De Religiosis*, ed. III, n. 587, p. 1011.

Can. 648. — 1) *A. A. S.*, XI, 476; *Ius Pontificium*, 1903, p. 9; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 85.

660 D. - Quid si religiosus fugitivus monitione vel citatione attingi nequeat?

R. - Satis provisum est per canones, qui contra fugitivos et apostatas poenas statuunt ¹.

669 Dimissio religiosorum votorum simplicium perpetuorum in Societate Iesu solutionem a votis continet. C. I., 21 Iunii 1918 ¹.

672 « D. - An praescriptum canonis 672, § 1 extendatur etiam ad religiosos ipso facto dimissos ad normam canonis 646.

R. - Negative ». C. I., 30 Iulii 1934 ¹.

673-680 « D. - An societatibus clericalibus sine votis applicentur canones 2386, 2387, 2389, 2410, 2411, 2413.

R. - Affirmative quoad canones 2386, 2387, 2389, quatenus sodales vitam communem degant; quoad canonem 2410, quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad ordines suis subditis; quoad primam partem canonis 2411, salvis quoad reliqua constitutionibus; et quoad canonem 2413 ». C. I., 2-3 Iunii 1918 ¹.

681 « D. - In canone 681 praescribitur ut in dimissione alumnorum societatum sine votis serventur canones 646-672, qui de dimissione religiosorum agunt. Cum vero hi canones diversa praescribant, pro diversitate casuum votorum temporaneorum aut perpetuorum, quaeritur: Ad quemnam casum referri debeat praescriptio praedicti canonis 681, cum in eo agatur de alumnis qui nulla vota emittunt?

R. - Si vinculum quo adstringuntur sodales societatis sine votis est temporale, serventur canones qui agunt de dimissione religiosorum qui vota temporaria emiserunt; si sit perpetuum, serventur canones de dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt ». C. I., 1 Martii 1921 ¹.

Can. 660. — Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*; cfr. illud apud Vermeersch-Creusen, *Epitome*, I, n. 757; cfr. etiam *Antonianum*, 1942, 223-230.

Can. 669. — 1) Responsum non promulgatum in *A. A. S.*; cfr. apud Schaefer, *De Religiosis*, ed. III, n. 596, p. 1023; aut apud Vermeersch-Creusen, *Epitome*, I, n. 820.

Can. 672. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 494; *Periodica*, XXIII, 147; *Ecclesiastical Review*, 91, 498.

Can. 673-680. — 1) *A. A. S.*, X, 346; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, p. 88; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 55.

Can. 681. — 1) *A. A. S.*, XIII, 117; *Periodica*, X, 325.

TITULUS XVIIbis

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

681 bis 1. - Pius XII Constitutione Apostolica *Provida Mater*, 2 Februarii 1947, legem condidit et promulgavit de *Statibus canonicis Institutisque saecularibus christianae perfectionis acquirendae*.

Sunt autem Instituta seu Instituta saecularia « societates, clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis acquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur » (Art. I). Non sunt religiones proprie dictae, quia non habent vota publica, nec vitam communem seu commorationem sub eodem tecto, in quo differunt et a societatibus in communi viventium sine votis (Art. II). Habent tria vota religiosa privata (Art. III). Possunt esse iuris dioecesani aut pontificii, ut religiones, atque a S. Congregatione de Religiosis pendent (Art. IV-VII). Quamvis vitam communem sub eodem tecto haec Instituta non habeant, unam tamen vel plures domos communes habere debent pro residentia Superiorum, pro exercitiis spiritualibus peragendis, pro institutione accipienda et complenda, atque pro infirmis sodalibus recipiendis et curandis (Art. III). Regimen Institutorum saecularium regimen religionum imitatur (Art. IX) ¹.

2. - S. C. de Religiosis, decreto 25 Martii 1947, specialem Commissionem iuris peritorum instituit, « quae S. Congregationi in illis omnibus assideat, quae ad legislationem Instituta saecularia quoquo modo respicientem et ad ipsorum Institutorum approbationem atque evolutionem spectant » ².

683 S. C. de Religiosis, 25 Martii 1927, ad dubium: « An expediat concedere facultatem dandi benedictionem et consecrationem virginum mulieribus in saeculo viventibus ». Respondit: « Negative, et nihil innovetur » ¹.

684 1. - S. C. S. Officii, decreto 4 Iulii 1919, declaravit *Instructiones* S. C. S. Officii 16 Septembris 1864 circa participationem catholicorum cuidam Societati Londini erectae ad procurandam, uti aiebant, christianitatis unitatem applicandas esse et a fidelibus servandas etiam quod ad eorumdem participationem conventibus quibuscumque comitiisque publicis vel privatis ab acatholicis indictis,

Can. 681 bis. — 1) *A. A. S.*, XXXIX, 114-124. — 2) *A. A. S.*, XXXIX, 131-132.

Can. 683. — 1) *A. A. S.*, XIX, 138.

qui finem sibi praestituunt unionem procurandi omnium coetuum christianorum nomen sibi vindicantium ¹.

2. - S. C. S. Officii, 18 Iulii 1919, ad dubium: « An doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi possint cum doctrina catholica, ideoque an liceat nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere ». Respondit: « Negative in omnibus » ².

3. - S. C. S. Officii, in Epistola ad locorum Ordinarios directa, 5 Novembris 1920, ipsos Ordinarios hortatur ut fideles admoneant de vitandis associationibus iuvenilibus in quibus curatur corpus, singulis sociis cuiusvis religionis profitendae facta libertate. Inter has societates evitandas nominat praesertim eam quae appellatur *Young men christian association* — sub sigla Y. M. C. A. ³.

4. - S. C. Concilii in causa *Corrienten. iurisdictionis*, 13 Novembris 1920, ad dubium: « An et quo ambitu societas S. Vincentii a Paulo Ordinario loci potestati subsit iuxta quae in lib. II, part. 3, tit. XVIII, XIX, C. I. C. praecipuntur », respondit: « Ad mentem ». Ac mentem esse significavit ut scriberetur ad Episcopum sibi competere ius et officium vigilandi, et curandi ne quid ibi contra fidem et mores attentetur, atque corrigendi et reprimendi abusus, si qui irreperint.

Atque hac responsione S. Congregatio approbavit votum Consultoris qui demonstravit in Ecclesia esse, commendari, et indulgentiis ditari societates laicas quae scilicet legibus can. 689 et sequentibus non subsunt, sibi statuta condunt et soli vigilantiae Ordinariorum subiacent ⁴.

5. - S. C. S. Officii, 8 Iulii 1927, ad dubium: « An liceat catholicis interesse vel favere acatholicorum conventibus, coetibus, concionibus aut societatibus, quae eo spectant ut omnes christianum nomen utcumque sibi vindicantes uno Religionis foedere consocientur ». Respondit: « Negative, atque standum omnino decreto ab hac ipsa S. Congregatione, die 4 Iulii 1919 edito, *de participatione catholicorum societati ad procurandam christianitatis unitatem* » ⁵.

6. - S. C. S. Officii, decreto, 25 Martii 1928, consociationem vulgo *amici Israel* abolendam statuit ⁶.

7. - S. C. Consistorialis, 4 Februarii 1929, declaravit non expedire quod clerici nomen dent societatibus *Rotary Club*, aut earundem coetibus intersint ⁷.

8. - Huc referuntur etiam plurima documenta Summi Pontificis

Can. 684. — 1) *A. A. S.*, XI, 309; *Periodica*, X, 35. Cfr. etiam dubium sub hoc can. 684, n. 5. — 2) *A. A. S.*, XI, 317; cfr. *Periodica*, X, 36, 37. — 3) *A. A. S.*, XII, 593; *Periodica*, X, 183. — 4) *A. A. S.*, XIII, 135; *Periodica*, X, 293. — 5) *A. A. S.*, XIX, 278; cfr. etiam decretum 4 Iulii 1919 sub hoc can. 684, 1. — 6) *A. A. S.*, XX, 1033; *Periodica*, XVII, 63. — 7) *A. A. S.*, XXI, 12; *Periodica*, XVIII, 198.

Pii XI quibus *Actio catholica* commendatur, praecipitur, ab hostibus defenditur et normis ditatur: inter plura haec citantur:

a) Allocutio Pii XI, 23 Maii 1923 ⁸.

b) Epistola *Paterna sane*, 2 Februarii 1926 ⁹.

c) Epistola Pii XI, 13 Novembris 1928 ¹⁰.

d) Sermo Pii XI, 24 Decembris 1929 ¹¹.

e) Chirographus Pii XI, 26 Aprilis 1931 ¹².

f) Litterae encyclicae *Non abbiamo*, Pii XI, 29 Iunii 1931 ¹³.

g) Epistola Pii XI, 10 Novembris 1933 ¹⁴.

h) Instructio Card. Secretarii Status, 15 Martii 1936, ad Superiores Ordinum et Congregationum religiosarum utriusque sexus de promovenda *Actione catholica* ¹⁵.

i) Epistola Pii XII ad Cardinalem Piazza 11 Octobris 1946 data, qua approbantur statuta Actionis Catholicae Italicae ¹⁶.

692 « D. - An canon 692 ita intelligendus sit ut: *ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus*, necessaria quoque sint pia opera ad id legitime praescripta. R. - Affirmative ». C. I., 4 Ianuarii 1946 ¹.

696 Canon 696 agit de determinatis dimissionis causis, praemissa monitione, servatis propriis statutis et salvo recurso ad Ordinarium. Haec omnia propria sunt ordinis administrativi, sicut ad ordinem administrativum pertinet dimissio ex iusta causa. Actus dimissionis potest utique ad iudicem deferri, sed tantummodo ad nullitatem obtinendam ex neglectis formis lege aut decreto praecceptis. S. Rota, 27 Aprilis 1928 ¹.

698 1. - S. C. de Religiosis, 22 Martii 1922, declaravit scapulare Tertii Ordinis cum numismate benedicto substitui non posse ¹.

2. - S. Rituum Congregatio, 8 Maii 1925, proposito sibi dubio: « An vincula sacri scapularis, quibus coniungi solent binae parvi habitus partes possint valide et licite fieri ex qualibet decenti materia, dummodo partes scapularis ita disponantur, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat ». Rescripsit: « Affirmative iuxta decreta, praesertim decretum S. Congregationis indulgentiarum diei 29 Augusti 1864 » ².

3. - S. Rituum Congregatio, 8 Iunii 1925, proposito sibi dubio: « An panniculi S. Scapularis possint valide et licite protegi a sudore

8) *A. A. S.*, XV, 245. — 9) *A. A. S.*, XVIII, 175. — 10) *A. A. S.*, XX, 384. — 11) *A. A. S.*, XXI, 766. — 12) *A. A. S.*, XXIII, 145. — 13) *A. A. S.*, XXIII, 285. — 14) *A. A. S.*, XXVI, 628. — 15) *Periodica*, XXV, 209. — 16) *A. A. S.*, XXXVIII, 822-824.

Can. 692. — 1) *A. A. S.*, XXXVIII, 162; *Periodica*, XXXV, 182.

Can. 696. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XX, 137 et sqs.

Can. 698. — 1) *A. A. S.*, XIV, 353; cfr. etiam *Periodica*, XI, 81. — 2) *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIX, 196.

quibusdam sacculis (borsette) ex qualibet decenti materia confectis, dummodo sacculi non sint assuti etc., panno seu inseparabiles ab eo, sed potius sint faciliter mobiles, et dummodo vincula scapularis uniantur panniculis et non directe sacculis, et mediante sacco panniculis ». Rescripsit: « Nihil obstat »³.

4. - Moderator piae unionis potest delegare alium ad benedicendum et imponendum numisma. S. C. Concilii, 9 Februarii 1928 (Vide can. 199).

701 1. - S. C. de Religiosis, 30 Martii 1925, interrogata utrum insignia de quibus in can. 701, § 3, sint solummodo habitus magnus an etiam parvum scapulare respondit esse tantum habitum magnum et ad iam alias edita responsa remisit. Declaravit pariter vexillum Tertiariorum supplere posse crucem de qua in can. 706¹.

2. - S. R. Rota, 4 Maii 1926, ex quasi-possessione praecedentiam Tertio Ordini Praedicatorum adiudicavit prae Tertio Ordine franciscali in casu particulari (Vide can. 106).

3. - S. C. Concilii, 13 Aprilis 1935, declaravit in casu sibi proposito, confraternitatem quae ad gradum archiconfraternitatis evehitur, gaudere a die qua facta est archiconfraternitas praecedentia super omnes confraternitates, iis non exclusis quae ante ipsam ut confraternitates erectae fuerant et antea supra ipsam praecedentia gaudebant².

707 S. C. Concilii, 25 Iunii 1930, *Instructiones* dedit pro Confraternitatibus in Italia in regimine concordatario¹.

711 1. - « D. - I. Utrum, vi canonis 711, § 2, locorum Ordinarii stricte teneantur erigere in qualibet paroecia confraternitatem Ss.mi Sacramenti, an eius loco possint, secundum peculiaria adiuncta, instituere piam unionem vel sodalitatem Ss.mi Sacramenti.

II. Utrum archiconfraternitati Ss.mi Sacramenti in Urbe erectae, de qua in canone 711, § 2, ipso iure aggregatae sint tantum confraternitates Ss.mi Sacramenti proprie dictae, an etiam piae uniones aliaeque sodalitates Ss.mi Sacramenti.

R. - Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 6 Martii 1927¹.

³) *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIX, 196.

Can. 701. — 1) Responsum hoc non fuit promulgatum in *A. A. S.*, quod ideo forte factum est quia de interpretatione Codicis agitur quae est de competentia Commissionis. Responsum refert Sartori ad hunc can. 701. Si verum est Codicem materiam praecedentiae totam non valei, praesertim si ius novum aliquid mutavit. — 2) *A. A. S.*, XXIX, 33; *Periodico*, XXVI, 189; *Apollinaris*, X, 26.

Can. 707. — 1) *A. A. S.*, XXII, 410.

Can. 711. — 1) *A. A. S.*, XIX, 161; *Periodica*, XVI, 56; *Ius Pontificium*, 1927, 5.

2. - Archiconfraternitas Doctrinae christianae de Urbe ditatur nova indulgentia plenaria. S. Poenitentiaria, 2 Martii 1932².

3. - Decretum S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1935, de catechetica institutione impensius curanda praeter alia haec statuit: « In singulis paroeciis, praeter Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti, *sodalitium doctrinae christianae*, idque ceterorum princeps, ad normam can. 711, § 2, instituitur, omnes quot sunt idonei catechismo docendo et fovendo complectens, ludimagistros in primis, puerorum erudiendorum disciplinam callentes » (Vide can. 1329)³.

4. - Sacra Poenitentiaria, die 21 Decembris 1939, vi facultatum a Sanctissimo D. Pio Papa XII sibi tributarum « Summarium indulgentiarum et privilegii a Summis Pontificibus venerabili archiconfraternitati Doctrinae christianae in ecclesia S. Mariae de Planctu Urbis canonice erectae necnon confraternitatibus ipso iure eidem aggregatis concessorum ex authenticis documentis excerptum, revisum et recognitum, approbat, itemque tamquam unicam syllogem Indulgentiarum et privilegiorum, hucusque ab Apostolica Sede Archiconfraternitati, de qua supra concessorum, habendum esse declarat atque imprimi et publicari permittit »⁴.

714 « D. - An vi canonis 714 confraternitas de licentia Ordinarii loci immutare possit proprium habitum vel insignia, quin amittat iura et privilegia praesertim praecedentiae et indulgentiarum.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 24 Iunii 1939¹.

718 1. - Circa ius quod competere posset Confraternitatibus faciendi processiones utiliter conferri poterit decisio S. Romanae Rotae 3 Februarii 1922¹.

2. - S. C. Rituum, 31 Maii 1930, circa ius quod sibi vindicare conabantur confraternitates processionaliter procedendi ad visitanda sepulera feria VI in Parasceve, respondit in singulis casibus standum esse mandatis Ordinarii loci².

731 S. C. S. Officii proposita fuere sequentia dubia:

« 1. - Cum frequentius recurrant casus, in quibus non uniti *orthodoxi* christiani petant, quando orthodoxus minister adiri non possit, auxilium catholici sacerdotis, praesertim in morbo gravi, licetne orthodoxum hominem aegrotum precibus, provocando ad actum contritionis, adiuvare et, si explicite postulaverit, ei sacramenta conferre?

2. - Adversatur sensui catholici sacerdotis orthodoxum fratrem

2) *A. A. S.*, XXIV, 249. — 3) *A. A. S.*, XXVII, 145. — 4) *A. A. S.*, XXXII, 58, 59.

Can. 714. — 1) *A. A. S.*, XXXI, 321.

Can. 718. — 1) *A. A. S.*, XIV, 395. — 2) *A. A. S.*, XXII, 361.

in Christo sine ullo ecclesiastico funere relinquere. Sed committere defunctum orthodoxum ministro protestantico ut funus ecclesiasticum perficiat catholico sensui adversatur. Quomodo tunc procedendum?

3. - Orthodoxi parentes filios suos baptizandos offerunt. Sacerdos orthodoxus attingi nequit. Licetne puerum (non in ecclesia) in sacristia baptizare et eius nomen in registro non in serie ordinaria nominum sed seiunctim inscribere? ».

Ipsa vero Congregatio, 29 Octobris 1941 respondit: « Sacerdos catholicus effusa caritate illos schismaticos ad Ecclesiam reducere conetur quos commendatos sibi in Domino Ordinarii et parochi habere iubentur. Infirmos paterne viset et, praesertim si in periculo mortis fuerint, eos ad orationem, ad contritionem de peccatis et ad submissionem voluntati divinae excitet (can. 1350 § 1).

Schismaticis autem, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare nisi prius, erroribus reiectis Ecclesiae reconciliati fuerint (731 § 2). Etiam cum in periculo mortis constituuntur, requiritur ut meliore quo fieri potest modo, pro rerum et personarum adiunctis, saltem implicite errores reiciant et fidei professionem faciant.

Iis autem qui bona fide errant et iam sunt sensibus destituti, ea sacramenta conferri poterunt sub conditione, praesertim si conicere liceat eos implicite saltem suos errores reiecisse.

Semper autem curandum est ut scandalum et vel suspicio interconfessionalismi evitentur. Quo minus autem est periculum in mora, eo magis explicita retractatio errorum et fidei catholicae professio exigere debent.

Quod ad sepulturam standum est Rituali Romano, tit. VI, c. 2, de iis quibus neganda est sepultura (Cod. I. C. can. 1240). Sacerdos tamen sine veste sacra ullove ritu sacro coram cadavere domi exposito preces privatim fundere, officii civilis causa, funus sequi et in coemeterio item privatim preces apud tumulum fundere poterit, remoto, si periculum adsit, scandalo.

Pueri autem a parentibus schismaticis obliti ut baptizentur, extra mortis periculum a sacerdote catholico generatim baptizandi non sunt, nisi probabilis spes effulgeat catholicae educationis (can. 751) ¹.

734 Cum occasione belli variis de causis, pluribus in locis olivarum oleum ad Sacrum Chrisma, Catechumenorum atque Infirmorum Oleum conficiendum, congrua quantitate vix haberi posset, S. Rituum Congregatio huic difficultati occurrere intendens, statuit, ut in dioecesibus, ubi novum oleum debita quantitate comparari nequeat, confectis de more novis Saeris Oleis, vetus Chrisma et Catechumenorum atque Infirmorum Oleum usque ad consummationem

Can. 731. — 1) Decretum hoc non fuit promulgatum in *A. A. S.*; illud legere poteris apud *II. Monitore ecclesiastico*, 1942, 114-115.

adhiberi posset. Quae concessio pro anno 1944 tantummodo facta est. S. C. Rituum, 28 Ianuarii 1944 ¹.

750 « An probari possit consuetudo renuendi baptismum pueris et puellis, infidelium filiis, qui scholas catholicas missionis frequentant et bene de religione edocti, baptismum petunt, eorum parentibus consentientibus, licet post baptismum, in suam familiam paganam redeuntes, permultis periculis sint expositi ». S. C. S. Officii, 20 Martii 1930, respondit: « Negative, idest consuetudo renuendi baptismum pueris et puellis infidelium filiis, de quibus agitur, probari nequit, ideoque baptismus tuto illis conferri potest » ¹.

751 Pueri a parentibus schismaticis obliti, extra mortis periculum a catholico sacerdote generatim baptizandi non sunt nisi spes adsit catholicae educationis. S. C. S. Officii, 15 Novembris 1941 (Vide supra can. 731).

752 S. C. S. Officii, ad subveniendum Ordinariis in casibus in quibus independenter a bona voluntate coniugum, speciales circumstantiae obstant baptismum et catholicae educationi proles ad Ordinarios Japoniae misit solutionem aliquorum dubiorum recentem a se datam.

Huiusmodi dubia eorumque solutio haec sunt: « 1° Utrum Missionarii baptizare possint parentes catechumenos, quorum proles maior natu non vult converti; aut qui super prolem minorem iuxta mores terrae omne ius amiserunt, quia eam tradere tenentur parentibus suis paganis necnon mahumetanis, qui impediunt educationem catholicam et hac de causa ipsi (coniuges) conversionem aut educationem catholicam universae proles promittere non possunt. — 2° Utrum missionarii in matrimonium coniungere possint catholicos qui iuxta morem terrae unam aut aliam prolem nascituram parentibus aut tutoribus paganis necnon mahumetanis tradere tenentur qui educationem catholicam impedire praevidentur. — 3° Utrum valide dispensari possit super impedimento disparitatis cultus cum iis qui super maiores natu potestatem amiserunt, aut qui iuxta mores terrae unam aliamque prolem nascituram parentibus aut tutoribus paganis necnon mahumetanis tradere tenentur, qui educationem catholicam impedire praevidentur, et propter hoc contrahentes educationem catholicam universae proles promittere non possunt ». Quibus dubiis S. C. S. Officii, 21 Aprilis 1938 ita respondit: « Ad I et II, affirmative, dummodo partes paratae sint facere quod in se est ad fovendam conversionem et obtinendam catholicam educationem uni-

Can. 734. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 60.

Can. 750. — 1) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Vide *Apolinaris*, VII (1934), 278.

9 — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

versae prolis. — Ad III. Affirmative, quoad primam partem (seu quoad casus in quibus proles catholica iam est natu maior); quoad secundam partem (seu in aliis casibus) affirmative, dummodo partes paratae sint facere quod in se est ad obtinendam catholicam educationem universae prolis »¹.

755 Usus salivae in administratione Baptismi omittitur quotiescumque rationabilis causa munditiei tuendae et morbi vitandi verificatur. S. C. Rituum, 14 Ianuarii 1944¹.

756 C. I., 16 Octobris 1919, resolvit baptizatum contra ius in alieno ritu, pertinere ad ritum in quo baptizari debuisset (Vide can. 98).

758 Invalidus declaratus est baptismus ita administratus: mulier baptizanda sine ulla cooperatione ministri in aquam descenderat et minister formam sacramenti pronuntiaverat. Sacra Congregatio de Sacramentis, 17 Novembris 1916¹.

765 I. - « Ex canone 765, n. 5 C. I. C., ut quis sit Baptismi patrinus, oportet baptizandum in actu Baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat, vel statim levet, seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis; et ex canone 768 patrinus cum baptizato contrahit spiritualem cognationem, quae quidem ex canone 1079 matrimonium irritat. Iam vero, uti apud nos moris est, qui patrinum agere vult, nemini mandatum confert expressum, sed, nisi per se officio illo perfungatur patrinus, baptizans vel baptizandi parentes aliam personam invitant, ut pro patrino absente agat. Hinc dubia: I. An ex tali agendi modo patrinus absens contrahat cognationem spiritualem, et inde exoritur impedimentum canonis 1097; — et si negative: II. Quidnam a patrino faciendum sit ut agere valeat per procuratorem, nimirum: a) an debeat conferre determinatae personae mandatum speciale; b) an vero sufficiat ut edat, sive scripto sive voce, mandatum generale pro persona per parentes vel per baptizantem determinanda; immo: c) an sufficiat mandatum generale praesumptum pro quavis persona? ». S. C. de Sacramentis 24 Iulii 1925 respondit: « Ad I. Si patrinus, agnoscens huiusmodi consuetudinem, eidem sese conformare intendat, et aliunde patrinus ipse esse possit ad normam canonis 765: affirmative; At II. Provisum in I. Attamen praedicta consuetudo est reprobanda: I. quia indubitanter constare debet, patrinum in facie Ecclesiae proprium munus suscepisse, quod

Can. 752. — 1) *Sylogae*, n. 206 bis, p. 561. Responsa haec referuntur etiam et publici iuris facta sunt in *Commentarium pro religiosis*, XIX (1938), 74, sub datatione 19 Februarii 1938 (?). Responsis adduntur *Adnotationes* a S. C. Officii datae.

Can. 755. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 28-29.

Can. 758. — 1) *A. A. S.*, VIII, 478; *Il Monitore ecclesiastico*, 1917, 86.

per dictam consuetudinem manet incertum et aequivocum; 2. quia patrinus suum munus suscipere debet cum plena notitia et conscientia inde exorientis obligationis ad mentem canonis 769, quod excludere videtur praefata consuetudo, quippe quae redigit patrini officium ad quemdam inanem ritum; 3. quia ex tali recepto more facultas fere demitur parochi conditiones explorandi, quae a canonibus 765 et 766 requiruntur, ut quis valide et licite munus suscipiat »; addita ad rem instructione diei 25 Novembris 1925 de qua statim¹.

2. - S. C. de Sacramentis, 25 Novembris 1925, *Instructionem* promulgavit de munere patrini. In ipsa ostenditur qualiter a Sancta Sede semper monitum sit patrilinos teneri ad religiosam institutionem filiorum curandam. Hac ratione semper exclusi sunt a munere patrini certae personae quae muneri huic implendo idonei videntur. Insistitur ut, si mandato designetur patrinus, mandatum determinatae detur personae quae apta sit et bene determinata ita ut iudicare possit parochus utrum qualitatibus a iure requisitis fulgeat. Praecipitur pariter ut patrini de munere patrinorum eiusque vera ratione edoceantur. Instructio haec adnectitur supra relato responso eiusdem S. Congregationis diei 24-29 Iulii 1925².

768 I. - « D. - Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in canone 768, a praefata Pentecostes die *ipso facto* cesset quoad omnes effectus, an tantum desinat esse impedimentum ad matrimonium.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 2-3 Iunii 1918¹.

2. - Cognatio spiritualis contrahitur etsi quis per procuratorem patrino fungatur. S. C. de Sacramentis, 24 Iulii 1925 (Vide can. 765).

769 S. C. de Sacramentis, Instructione 25 Novembris 1925, inculcat obligationes patrinorum erga filios spirituales (Vide can. 765).

773 Codex conatui laicizandi caeremonias ecclesiasticas plurimum resistit. S. C. de Sacramentis, 18 Decembris 1925, 30 Aprilis et 3 Maii 1926 (Vide can. 822)¹.

774 I. - Si fons baptismalis marmoreus haberi nequeat, ex lateribus coctis ipse conficiatur. S. C. de Propaganda Fide, 14 Martii 1922.

Can. 765. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 43; *Periodica*, XV, 42; *Ius Pontificium*, 1926, 12; *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1936, 340. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 44; *Periodica*, XV, 43 et sqs.; *Nouvelle Revue Théologique*, 53 (1926), 386; *Ius Pontificium*, 1926, 12.

Can. 768. — 1) *A. A. S.*, X, 346; *Periodica*, X, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 53.

Can. 773. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 388.

2. - Benedictio fontis fieri potest etiam in paroeciis filialibus; nec tolerari potest consuetudo benedicendi aquam baptismalem semel dumtaxat in anno. S. C. Concilii, 10 Iunii 1922 (Vide can. 462).

3. - « D. - Utrum ecclesia, quae ante Codicis iuris canonici promulgationem fruebatur legitimo iure exclusivo fontis prae aliis paroecialibus ecclesiis, illud conservet cumulativum cum iisdem ecclesiis, quae ex praescripto canonis 774, § 1 ius fontis obtinent.

R. - Canonem 774, § 1 ita intelligendum esse ut ecclesia, quae ius fontis habet cumulativum cum aliis totius civitatis ecclesiis paroecialibus, illud obtineat etiam prae ecclesiis paroecialibus noviter in civitate erectis cum fonte baptismali. At ius fontis cumulativum in posterum obtineri nequit ex consuetudine, quae corruptela dicenda est.

Ecclesia vero quae ante Codicis promulgationem habebat ius fontis exclusivum prae aliis ecclesiis paroecialibus, post Codicis promulgationem erectoque in iisdem ecclesiis fonte ad praescriptum citati canonis, non nisi ius cumulativum obtinet, salvo praescripto canonis 778 ». C. I., 12 Novembris 1922¹.

776 S. C. de Sacramentis, 22 Iulii 1925, ad dubium: « Utrum sit iuri conformis praxis iuxta quam infantes, qui non versantur in periculo mortis, sed non sine periculo ad ecclesiam transferri possunt, domi sollemniter (i. e. cum omnibus caeremoniis etiam ablutionem praecedentibus) baptizantur a parocho aliove sacerdote de parochi licentia; nam ad ministrum necessitatis et in specie ad obstetricem non potest recurri nisi in necessitate stricte dicta, scilicet cum positive timetur periculum ne infans moriatur (S. C. S. Off., 11 Ianuarii 1899), et non nisi in eadem necessitate omittuntur caeremoniae ablutioni praeviae (S. C. Rituum, 17 Ianuarii 1914; Cod. I. C., canone 776, § 1) ». Respondit: « Esse iuri conforme quod, si infans non versatur in periculo mortis, sed sine periculo ad ecclesiam ad normam canonis 775 transferri nequit, Ordinarius, vi canonis 776, § 1, n. 2, permittere potest, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in aliquo casu extraordinario, quod domi baptismus sollemniter administratur; aestimare autem casus extraordinarii gravitatem est remissum prudentiae et conscientiae ipsius Ordinarii in singulis casibus »¹.

777 « D. - An verbum *illegitimi* canonis 777, § 2 omnes omnino comprehendat illegitime natos, etiam adulteros, sacrilegos ceterosque spurios, ita ut liceat parentum ipsorum cognomina exscribere in adnotatione collati baptismi.

R. - Nomina parentum ita inserenda esse ut omnis infamiae vi-

Can. 774. — 1) *A. A. S.*, XIV, 662; *Periodica*, XI, 184; *Ius Pontificium*, 1922, 129.

Can. 776. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 452; *Periodica*, XIV, 107; *Ius Pontificium*, 1925, 69.

tetur occasio: in casibus vero peculiaribus recurrendum esse ad S. C. Concilii ». C. I., 14 Iulii 1922¹.

778 1. - S. C. Concilii propositis dubiis: « 1° Quis debet actum baptismi redigere in casu quo in ecclesia cathedrali infans baptizetur qui domicilium in alia paroecia habet; vicarius-parochus ecclesiae cathedralis, an parochus domicilii baptizati? — 2° Si redigere debet vicarius parochus ecclesiae cathedralis, quamnam vim et extensionem habent verba can. 778: *certiorem reddat?* ». Respondit: « Bene consideratis verbis canonis citati evidens videtur actum baptismi redigendum esse a parocho baptizante, cui onus incumbet de collato baptismo monendi parochum domicilii ». S. C. Concilii, 31 Ianuarii 1927¹.

2. - Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, 2 Octobris 1941, aliquibus dubiis sibi propositis a Curia Taurinensi respondens determinat ubinam facienda sit registratio baptismorum extra paroeciam et praesertim in clinicis privatis collatorum, ubi parturientes occasione proximi partus recipi consueverunt. Ut norma generalis statuitur baptismos adnotandos esse in ecclesia ubi revera baptismus confertur et etiam, si agitur de domicilio habentibus, in libro baptizatorum paroeciae ubi domicilium habet baptizandus².

781 Numquam licet ad administrandam Confirmationem chrisma ab Episcopis haereticis aut schismaticis accipere. Instructio S. C. de Sacramentis, 20 Maii 1934, II, 3 (Vide can. 782)¹.

782 1. - S. C. de Sacramentis, 25 Ianuarii 1924, declaravit non recedendum esse a praxi severiore a S. Sede servata in concedenda facultate administrandi confirmationem simplici sacerdoti¹.

2. - S. C. de Sacramentis, 20 Maii 1934, edidit *Instructionem*, pro simplici sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante. Per hanc *Instructionem* quaedam additamenta afferuntur *Instructioni* in Appendice Ritualis Romani editionis typicae anni 1925 impressae. In ipsa declaratur, praeter alia plura, mentem esse Sanctae Sedis, quotiens necessitas occurrit delegandi simplicem sacerdotem, ut sacerdos sit in aliqua dignitate constitutus et insignibus fruatur Protonotariorum Apostolicorum. Descri-

Can. 777. — 1) *A. A. S.*, XIV, 528; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 123.

Can. 778. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, XL, 142; *The Irish ecclesiastical Record*, 1935, p. 534. — 2) Dispositiones istae non fuerunt in *A. A. S.* promulgatae nec proinde stricto pro omnibus obligatoriae sunt; eas legere poteris apud *Perfice Munus*, 1942, 5-6; vel apud *Il Monitore ecclesiastico*, 1942, 65-66.

Can. 781. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 18.

Can. 782. — 1) Responsum refertur in *Instructione* eiusdem S. Congregationis 20 Maii 1934, de qua infra.

bitur deinde in eadem Instructione ritus a simplici sacerdote privilegio fruente adhibendus dum Sacramentum administrat ².

3. - S. C. de Disciplina Sacramentorum, 14 Septembris 1946, decretum edidit « De Confirmatione administranda iis qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti », quod decretum vim habere coepit a die prima Ianuarii 1947. Decreto additur disciplina Codicis servanda in conferenda Confirmatione vi eiusdem decreti; itemque ritus servandus a sacerdote in hoc casu Confirmationem conferente. Vi huius Decreti ex generali indulto S. Sedis tamquam ministris extraordinariis facultas conferendi Confirmationem tribuitur parochis proprio territorio gaudentibus exclusis personalibus et familiaribus, nisi et ipsi proprio, licet cumulativo, fruuntur territorio; item vicariis, de quibus in can. 471, atque vicariis oeconomicis; itemque sacerdotibus, quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et officiis. Tales ministri Confirmationem valide et licite conferre valeant per se ipsi, personaliter, fidelibus tantummodo in proprio territorio degentibus, personis non exceptis in locis commorantibus a paroeciali iurisdictione subductis; non exclusis seminariis, hospitibus, valetudinariis aliisque omne genus institutis etiam religiosis quoquo modo exemptis (can. 792) dummodo hi fideles *ex gravi morbo in vero mortis periculo sint constituti, ex quo decessuri praevideantur*. Si huiusmodi mandati limites iidem ministri praetergrediantur, probe sciant se perperam agere et sacramentum nullum conficere. Hae autem facultate uti possunt, dummodo Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur quominus Confirmationem per se ipse conferre valeat, nec alius Episcopus licet titularis tantum sine gravi incommodo ipsi suffici queat ³.

786 Confirmandi, sicut et patrini, vestibus sint induti simplicibus et ad modestiam compositis. Mulieres vero Sacramentum suscepturae et quae matricularum officium exercebunt in ecclesiam ne accedant vanis indutae ornamentis aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia. *Instructio* S. C. de Sacramentis, 20 Maii 1934, II, 10 (Vide can. 782) ¹.

788 1. - « D. - An canon 788 ita intelligendus sit ut Sacramentum confirmationis in Ecclesia latina ante septimum circiter aetatis annum conferri non possit nisi in casibus, de quibus in eodem canone. R. - Affirmative ». C. I., 16 Iunii 1931 ¹.

²) *A. A. S.*, XXVII, 12; *Periodica*, XXIV, 29; *Nouvelle Revue Théologique*, 62 (1935), 402; *Apollinaris*, VIII (1935), 41; *The ecclesiastical Review* (1935), 661. — ³) *A. A. S.*, XXVIII, 349-358.

Can. 786. — 1) *A. A. S.*, XXVII, 12.

Can. 788. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 353; *Revue des Communautés Religieuses*, VII (1931),

2. - S. C. de Sacramentis, 30 Iunii 1932, ad dubium: « An consuetudo antiquissima in Hispania et alicubi vigens ministrandi Sacramentum confirmationis infantibus ante usum rationis servari possit ». Respondit: « Affirmative, et ad mentem. Mens est ut ubi Sacramenti confirmationis administratio differri potest ad septimum circiter aetatis annum, quin obstant graves et iustae causae, ad normam canonis 788, contrariam consuetudinem inducentes, fideles sedulo edocendi sunt de lege communi Ecclesiae latinae, praemissa sacrae Confirmationis administrationi illa catechesis instructione, quae tantum iuvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, prout experientia docet ». Simulque « declarat eadem S. Congregatio, equidem opportunum esse et conformius naturae et effectibus Sacramenti confirmationis, pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Confirmationis sacramentum, quod est veluti complementum Baptismatis et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti (S. Thomas, part. III, quaest. 72, art. 2); non tamen censendi sunt prohiberi quominus ad eandem Mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis Confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt » ².

793 Multa quae habentur in Instructione S. C. de Sacramentis, 25 Novembris 1925, de patrinis in baptisate, valent quoque de patrinis confirmationis (Vide can. 765).

796 Mulieres immodeste vestitae non sunt admittendae ad officium matrinae. *Instructio* S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1930, IX (Vide can. 1262, et can. 786) ¹.

798 S. C. Concilii, 8 Februarii 1919 reiecit recursum canonici sacristae qui ex consuetudine a saeculis vigente praetendebat ius exclusivum conficiendi et custodiendi librum confirmatorum. Recursus reiectus est quia, cum can. 798 inducat ius novum, nulla ab eius observantia exemptio valet et ius commune introducendum est ¹.

804 1. - Rectores ecclesiarum et parochi sacerdotes ne admittant ad celebrandum in sua ecclesia nisi veste de qua in can. 811, § 1, induantur. S. C. Concilii, 28 Iulii 1931 ¹.

2. - S. C. pro Ecclesia Orientali, monito 20 Iulii 1937, de normis servandis a clericis ritus orientalis extra fines proprii patriarchatus peregrinantibus, praeter alia non pauca revocat in memoriam dispo-

178 sq. (Creusen); *Periodica*, XXI, 38; *Ius Pontificium*, 1931, 253. — 2) *A. A. S.*, XXIV, 271; *The ecclesiastical Review*, 98 (1938), 160; *Periodica*, XXI, 276.

Can. 796. — 1) *A. A. S.*, XXII, 26.

Can. 798. — 1) *A. A. S.*, XI, 280.

Can. 804. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 336.

sitionem can. 804, § 1, vi cuius nullus sacerdos ritus Orientalis ad Missae celebrationem extra proprium patriarchatum admitti potest nisi exhibeat authenticas et adhuc validas litteras commendatitias S. C. pro Ecclesia Orientali (Vide can. 622) ².

806 1. - S. Rituum Congregatio, 26 Ianuarii 1920, declaravit sacerdotes qui ex indulto apostolico ob debilitatem visus aliamve causam Missam votivam celebrant quotidie, posse die Nativitatis Domini et Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, ter Missam eandem votivam dicere, servatis servandis ¹.

2. - S. Rituum Congregatio, 12 Ianuarii 1921, edidit *Instructio-nem*, de sacerdote caecutiente circa Missarum celebrationem eidem ex indulto apostolico concessam. In ipsa declaratur indultum concedi pro Missa quotidiana defunctorum et pro Missa de Beata Maria Virgine. Conditions appositae in conscientia obligant. Si clausula apponatur *dummodo orator non sit omnino caecus*, non valet indultum si orator caecus fiat, sed novum indultum petendum erit. Indulto concesso pro caeco orator uti nequit sine sacerdote assistente. Missa votiva de Beata Maria Virgine dicenda a caecutiente est quae inter votivas quinto loco assignatur, quovis anni tempore. At potest etiam alias pro tempore variare. Missa de Beata Maria Virg. dicenda est semper quando prohibentur Missae defunctorum. In triduo Maioris Hebdomadae sacerdos caecutiens a Missa dicenda abstinere debet. Si Missa votiva celebretur pro re gravi, dicitur *Gloria*, *Credo* et *unica oratio*. Praeter hunc casum *Gloria* dicitur quando esset dicendum iuxta calendarium ecclesiae in qua celebratur; in Missa iubilaei propriae ordinationis; infra Octavas B. M. Virginis in ecclesiis ubi celebratur. Secunda et tertia oratio non adduntur, si ea die in aliis Missis non adduntur, secus secunda oratio erit de Spiritu Sancto, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. *Credo* dicitur quando dicendum esset in Missa diei, in Missa iubilari propriae ordinationis. Ultimum Evangelium est semper Sancti Ioannis. In Missa defunctorum quae diei potest quotidiana locum teneat Missae in qua unica dicenda sit, secus tres orationes dicentur ².

3. - Pius XI, Litteris Apostolicis 7 Martii 1924, praeter alia privilegia, concedit ut Ordinarii favore eorum qui congressibus eucharisticis participant, iis scilicet qui participantibus substituti sunt, concedere possint binationem etiam diebus non festis. Citatae Litt. n. 3 (Vide can. 821) ³.

4. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 1 Februarii 1933, dedit *Instructionem* liturgicam pro presbyteris ritus Byzantini binantibus ⁴.

²) *A. A. S.*, XXIX, 342.

Can. 806. — 1) *A. A. S.*, XII, 122; *Periodica*, X, 213. — 2) *A. A. S.*, XIII, 154; *Periodica*, X, 308. — 3) *A. A. S.*, XVI, 154. — 4) *A. A. S.*, XXVI, 181.

5. - Concedit quandoque Sancta Sedes binationem, ex specialibus causis, pro diebus non festis. Exemplum habes in concessione facta a S. C. de Sacramentis 13 Ianuarii 1938 ⁵.

6. - Concessit aliquando S. C. de Sacramentis binationem pro prima feria sexta mensis ⁶.

808 1. - S. C. S. Officii, 22 Martii 1923, Litteras ad Ordinarios locorum misit de ieiunio eucharistico ante Missam. In ipsis declaratur, ob difficultates varias quae occurrere facile nostris diebus possunt, praesertim ubi penuria est sacerdotum, S. Sedem paratam esse ad legem ieiunii pro sacerdotibus in certis casibus et sub diversis conditionibus mitigandam. Sancta Sedes adeunda erit ob causas determinatas et vel ipsa directe vel per habituales facultates Ordinariis datas dispensabit. Privata autem devotio aut utilitas non sunt causae sufficientes ad dispensationem obtinendam ¹.

2. - S. C. S. Officii, 16 Novembris 1923, ad dubium: « An sacerdotes, dispensati a ieiunio eucharistico ante secundam Missam sumere possint ablutionem in prima ». Respondit: « Affirmative » ².

3. - Indultum *Commissionis pro Russia*, 25 Novembris 1929, dat, praeter alia, Episcopis facultatem celebrandi Missam sero, praemisso ieiunio eucharistico quatuor horarum ³.

4. - Die 1 Iulii 1931, Supr. S. C. S. Officii Notarius, Angelus Subrizi, aliquas normas dedit ad postulandam dispensationem a ieiunio eucharistico pro sacerdotibus ⁴.

813 1. - S. C. Rituum, 4 Augusti 1922, ad dubia: « I. An liceat coetui fidelium adstanti sacrificio Missae, simul et coniunctim respondere, loco ministri, sacerdoti celebranti; II. An probandus sit usus, quo fideles Sacro adstantes elata voce legant *Secreta*, *Canonem* atque ipsa verba *Consecrationis*, quae, paucissimis in *Canone* verbis exceptis, iuxta rubricas secreto dici debent ab ipso sacerdote ». Respondit: « Ad I. Ad Rev. mum Ordinarium iuxta mentem. Mens autem est: Quae per se licent, non semper expediunt ob inconvenientia quae facile oriuntur, sicut in casu, praesertim ob perturbationes quas sacerdotes celebrantes et fideles adstantes experiri possunt cum detrimento sacrae actionis et rubricarum. Quapropter expedit ut servetur praxis communis, uti in simili casu pluries responsum est. Ad II. Negative, neque permitti potest fidelibus adstantibus quod a rubricis vetitum est sacerdotibus celebrantibus, qui *Canonis* verba se-

⁵) *Commentarium pro religiosis*, XIX (1938), 3; *Il Monitore Ecclesiastico*, L, 136. V. alias concessiones in *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, 114 (1934), 132 et sub die 19 Septembris 1936; *ibidem*, 117 (1937), 209. — 6) Cfr. exemplum apud Bouscaren, II, ad can. 806.

Can. 808. — 1) *A. A. S.*, XV, 151; *Periodica*, XII, 31. — 2) *A. A. S.*, XV, 585; *Periodica*, XII, 143. — 3) Vide Bouscaren, II, ad can. 821. — 4) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, 112 (1932), 151 s.; *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1933, p. 211.

creto dicunt, ut sacris Mysteriis maior reverentia concilietur, et in ipsa Mysteria fidelium veneratio, modestia et devotio augeantur; ideoque mos enunciatus, tamquam abusus, reprobandus est, et, sicubi introductus sit, omnino amoveatur »¹.

2. - S. Rituum Congregatio, rescripto 30 Novembris 1935, ad Archiepiscopum Genuensem rescripsit ad iudicium Ordinarii pertinere determinare in singulis casibus utrum usus in nonnullis locis vigens quo populus alta voce cum sacerdote recitat in Missa *Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus* et *Agnus Dei* sustineri in praxi possit².

815 1. - S. C. de Sacramentis, 7 Decembris 1918, ad dubium: « An probari possit praxis adhibendi, pro Ss.mo Eucharistiae Sacramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas ». Respondit: « Negative et servetur praescriptum Ritualis romani (Tit. IV, cap. I, *De SS.mo Eucharistiae Sacramento*) et Codicis iuris canonici, can. 815 et 1272 »¹.

2. - In sacrificio Missae adhiberi potest vinum ex musto, sulphurato per additionem anhydridis sulphurosae vel metabisulphiti potassici. S. C. S. Officii, 2 Augusti 1922².

3. - S. C. de Sacramentis, 26 Martii 1929, dedit Instructionem ad Ordinarios de quibusdam vitandis atque observandis in sacrificio Missae conficiendo et in Eucharistiae Sacramento asservando et distribuendo. In hac Instructione praemittitur sollicitudo Ecclesiae de frequenti usu Communionis Eucharisticae, de abusus circa ipsam Eucharistiam vitandis. Specialis cura adhibenda est in materia paranda quae ad conficiendum sacrificium et Sacramentum Eucharisticum requiritur. Materia invalida declaratur vinum ex pomis, vel ex uva sed permixtum aqua maiori vel pari quantitate. Si panis aut vino aliqua materia admisceatur minori quantitate at notabili, materia Sacramenti erit dubia et proinde non adhibenda. Si vinum sit valde debile ebulliri poterit ne corrumpatur et ebullitum adhiberi poterit. Vino nimis debili, ut conservetur addi poterit alcohol seu spiritus, dummodo ipse spiritus ex uvis sit confectus non ex aliis materiis, vel cum uvis uvae dissicatae admiscendae erunt. Cavendum etiam est ne vinum sacrificio destinato nimis in vase parvo relinquatur in sacristia ubi substitui possit cum aqua aut acescere. Ut certa materia habeatur, vinum et panis sacrificii ab illis comparentur qui optime edocti sint et vinum ipsi ex vitis fructu, panem ex tritico conficiunt, quavis fraude remota. Maxima cura habenda est de fragmentis hostiarum consecra-

Can. 813. — 1) *A. A. S.*, XIV, 505; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 504; *Sal Terrae*, 1936, 441; *Periodica*, XXV, 57* et sq. — 2) *Periodica*, XXV, 43 et 57* et sq., ubi alla documenta S. R. C. in *A. A. S.* non promulgata afferuntur hac de re, nempe: rescriptum in *Mantuana*, 18 Februarii 1921; in *Pisauren.*, 25 Februarii 1921; in *Mechlin.*, 27 Aprilis 1921.

Can. 815. — 1) *A. A. S.*, XI, 8; *Periodica*, X, 59. — 2) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 103, p. 155; *Il Monitore ecclesiastico*, XXV, 289.

tarum. Antequam ad altare hostiae consecrandae afferantur fragmenta amoveantur. Corporale mundum omnino sit ut fragmenta hostiae discerni possint a fragmentis cerae. Ad impediendum ne fragmenta in terram decidant in communionem fidelium adhibeatur parva patina metallica subter mentum apponenda. Curandum etiam est ut altare a vento protegatur ne fragmenta spargantur. Feria V et VI maioris hebdomadae Sanctissimum Sacramentum asservetur in calice et altari bene parato sine statuibus aut imaginibus Sanctorum. Eucharistia pro communionem infirmorum in his diebus asservetur in sacello prope ecclesiam, vel si sacellum non habeatur, in loco decenti domus parochialis ab usibus domesticis libero, in tabernaculo obserato et cum lampade. Si id fieri nequeat in ipso sepulcro eucharistia asservetur, et postea in aliqua cappella remota ecclesiae. Ordinarii ea statuunt quibus supradicta ad praxim deducantur; curent ut in suis dioecesibus personae designentur conficiendis hostiis et parando vino sacrificii destinatae; advigilent ut fragmenta ante consecrationem amoveantur; curent ut particulae recenter confectae consecrentur et frequenter renoventur; in distribuenda communionem linteo et patina metallica adhibeantur. Monentur etiam ecclesiarum rectores ut munda servent altaria et lintamina³.

4. - S. Rituum Congregatio interrogata utrum in communionem fidelium iuxta Instructionem 26 Martii 1929, de qua supra, acolythus metallicam *patinam* subter mentum communicantium tenere possit, 19 Septembris 1930, respondit id Instructionem citata non prohiberi, dummodo sufficienti cura id fiat⁴.

818 1. - « Utrum, attenta Constitutione Apostolica *Incrumentum altaris sacrificium*, diei 10 Augusti 1915, in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, liceat canere Missam pro defuncto praesente cadavere ». S. Rituum Congregatio, 10 Ianuarii 1919, respondit: « Affirmative, iuxta rubricas et decreta. Missa autem sit una ex tribus Missis quae dicuntur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum: et orationi Missae addatur oratio pro defuncto sub unica conclusione »¹.

2. - Sacerdotes celebrantes in Oratoriis sororum Tertiariarum tenentur se conformare Calendario Ordinis quo utuntur ipsae Sorores tertiariae. S. Rituum Congregatio, 4 Iunii 1920, ubi remittitur ad decretum 28 Februarii 1914².

3. - « Ad maiorem declarationem et explicationem statuit (S. R.

3) *A. A. S.*, XXI, 631; *Periodica*, XVIII, 305. — 4) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Cfr. illud apud Bouscaren, *l. c.*, II, ad can. 815, qui illud refert ex *Ami du clergé*, 1931, 89.

Can. 818. — 1) *A. A. S.*, XI, 143; *Periodica*, X, 79. — 2) *Periodica*, XXVI (1937), 38. Cfr. etiam rescriptum S. R. C., 4 Iunii 1934, circa sorores tertii Ordinis Sancti Dominici, apud Bouscaren, *l. c.*, II, ad can. 818, p. 83.

Congregatio): quod in novis editionibus *Gradualis Romani*, titulo et numero... *De ritibus servandis in cantu missae*, n. 88, ponatur: *Finita praefatione chorus prosequitur SANCTUS etc. usque ad BENEDICTUS QUI VENIT etc. exclusive: quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus et cum aliis adorat. Elevato Sacramento, chorus prosequitur cantum BENEDICTUS*». S. R. Congregatio, 14 Ianuarii 1921³.

4. - S. Rituum Congregatio, 12 Ianuarii 1921, dedit *Instructionem* de Missarum celebratione pro sacerdotibus caecutientibus qui ex indulto apostolico celebrant (Vide can. 806)⁴.

5. - S. Rituum Congregatio, 25 Octobris 1922, declaravit signum campanulae a ministro in Missa etiam sollemni et cantata dandum esse. Quodsi alicubi signum aliud substituat ex consuetudine signum campanulae id servari poterit. Insuper maxime expedit ut paulo ante consecrationem detur aliquod campanulae signum ad removendum inconveniens quo aliqui de longinquo in templo sistant sine reverentia etiam ad praecipuas divinatorum officiorum actiones⁵.

6. - « I. Summus Pontifex Pius X s. m. die 18 Maii 1907, indulgentias christifidelibus concessit qui devote sacram Hostiam aspexerint cum in Missae sacrificio elevatur, additis in ipsa oculorum elevatione verbis: *Dominus meus et Deus meus!* Hinc quaeritur:

1° An fideles Missae adstantes, in sacrae Hostiae elevatione, clara et elevata voce verba *Dominus meus et Deus meus* proferre possint.

2° An ipse celebrans idem agere valeat, submissa tamen voce ». S. R. Congregatio, 6 Novembris 1925, respondit:

« Ad I. Quoad primam partem, negative in omnibus, ad mentem caeremonialis Episcoporum lib. II, cap. VIII, n. 70 et Decreti generalis n. 3827 ad III, diei 22 Maii 1894.

Quoad secundam partem, negative, iuxta canonem 818 Codicis iuris canonici et rubricas missalis romani »⁶.

7. - Inter facultates extraordinarias concessas, 23 Decembris 1927, a S. C. Concilii Ordinariis Mexicanis est facultas celebrandi, in casibus extraordinariae necessitatis, et etiam permittendi ut alii celebrent, ad Sacras Species parandas infirmis et moribundis administrandas, adhibitis saltem stola et superpelliceo benedictis, si id convenienter fieri possit et loco altaris utendi panniculis lineis benedictis ad alios profanos usus non convertendis, ante Crucem et, si haberi possunt, duas candelas, observatis ritibus saltem in substantialibus⁷.

8. - « An Missae de Sancto Fundatore vel de Sancta Fundatrice cuiuslibet Congregationis vel instituti, quae ad divinum officium re-

3) *A. A. S.*, XIII, 157; *Periodica*, X, 313. — 4) *A. A. S.*, XIII, 154. — 5) *A. A. S.*, XIV, 557. — 6) *A. A. S.*, XVIII, 21; *Periodica*, XV, 56. — 7) Vide Bouscaren, *l. c.*, *Supplement*, 1938, ad can. 66.

citandum non tenentur, iisdem gaudeat privilegiis liturgicis ac Missae aliorum Sanctorum, qui ab aliqua Congregatione, ad officium recitandum obstricta, recoluntur sub ritu duplici primae classis cum octava communi, ad mentem novarum rubricarum Breviarii Romani ». S. Rit. Congregatio, 23 Decembris 1932, respondit: « *Affirmative* »⁸.

9. - S. C. S. Officii interrogata utrum sacerdotes germanici servitio militari subiecti, altari portatili carentes, durante bello « uti possint altari atque suppellectili ecclesiarum confessionis vulgo dictae *orthodoxae*, quousque absit possibilitas ecclesiam catholicam adeundi vel uti altari portatili », respondit: *Negative* et ad mentem ». 3 Maii 1941⁹.

821 1. - Etiam in Missa mediae noctis Nativitatis Domini potest sacra Communio fidelibus ministrari. C. I., 10 Iulii 1919¹.

2. - Pius XI, 7 Martii 1924, indulget iis qui Congressibus Eucharisticis participant, inter alia, privilegium incipiendi Missam ante horam solitam (Vide can. 1275).

3. - S. C. de Sacramentis, 22 Aprilis 1924, interrogata an expediat facultatem concedere litandi media nocte in Congressibus Eucharisticis et aliis solemnitatibus, pro Congressibus Eucharisticis remisit ad Litteras Pii XI, 7 Martii 1924, pro aliis vero casibus declaravit facultatem concedi posse ab ipsa Sacra Congregatione: a) In casibus tantummodo extraordinariis; — b) at Missa ne incipiatur ante dimidiam horam post mediam noctem. — c) Sacrae supplicationes nocturnae durent tres horas. — d) Periculum quodlibet irreverentiae amoveatur².

4. - Indultum Commissionis pro Russia, 25 Novembris 1929, permittit Missae celebrationem etiam sero (Vide can. 822)³.

5. - Media nocte Nativitatis Domini potest in Missa etiam S. Communio ministrari fidelibus. C. I., 16 Martii 1936 (Vide can. 867).

6. - « Beatissime Pater, Ordinarii locorum Belgii, ad solium Sanctitatis Vestrae provoluti, humillime petunt facultatem permittendi Sacerdotibus sibi subditis celebrationem Missae horis postmeridianis, diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ut operarii, qui mane laborare coguntur, Communionem recipere possint; cum aliqua mitigatione legis servandi ieiunium eucharisticum ».

Ex Audientia SS.mi Feria V, die 28 Ianuarii 1947

« SS.mus D. N. D. PIUS, Div. Prov. Papa XII, praehabito voto Em.morum Patrum Sancti Officii et audito Cardinali Praefecto S. C. de Disciplina Sacramentorum atque attentis extraordinariis huius temporis circumstantiis, benigne annuit pro gratia, qua Ordinarii lo-

8) *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 45 (1933), 120. — 9) *Il Monitore ecclesiastico*, 1942, p. 60. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, XXXVI, 21, 2. — 2) *A. A. S.*, XVII, 100. — 3) *Cfr.* Bouscaren, II, ad can. 821.

corum Belgii permittere valeant Sacerdotibus sibi subditis Missae celebrationem horis postmeridianis, diebus dominicis aliisque festis de praecepto tantum, ut operarii qui mane laborare coguntur praecepto de audiendo Sacro satisfacere et S. Communionem recipere possint, servato ieiunio ante Missam vel S. Communionem per quatuor horas quoad cibum solidum, et per unam horam potum, *exclusis omnino alcoholicis aliisque quomodocumque inebriantibus*.

Idque ad annum, si tamdiu expositae extraordinariae huius temporis circumstantiae perduraverint, quo exeunte Rev.mi Ordinarii de concessis dispensationibus accuratam relationem ad S. Officium mitent »⁴.

822 1. - « D. - Utrum facultas celebrandi Missam in domo privata sit ab Ordinario, ad normam canonis 822, § 4, interpretanda restrictive.

R. - Affirmative ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

2. - S. C. de Sacramentis, 26 Iulii 1924, ad dubia sibi ab aliquibus Ordinariis locorum proposita respondens declaravit causam iustam et rationabilem de qua in canone 822 ad celebrandum extra ecclesiam non haberi, si celebratio petatur occasione profanae commemorationis aut ad festa politica cohonestanda, item a fortiori si celebratio natura sua insinuatum aliquid superstitiosum vel pro recto sensu religioso periculosum habeat. In his casibus iusta causa non existit et loci Ordinarius moneat eos quorum interest de defectu causae.

Quod si oratores insistant speciales rationes invocantes, Ordinarius petitiones ad S. C. de Sacramentis remittat².

3. - S. C. de Sacramentis, 30 Aprilis 1926, ad dubium: « Utrum Ordinarius vi canonis 822, § 4, permittere possit Missae celebrationem domi, praesente cadavere in loco vulgo *camera ardente* ». Respondit: « Negative, nisi agatur de casu aliquo extraordinario, exstante iusta et rationabili causa; et hoc etiam in casu, dummodo cadaveris expositio fiat servato debito decore, ac in eodem loco nihil adsit quod sit alienum a sanctitate divini Sacrificii ». Eadem Sacra Congregatio declaravit casum extraordinarium et iustam ac rationabilem causam de qua in can. 822, § 4 haberi occasione obitus Episcopi residentialis seu Ordinarii, aut personae e principe familia, aut aliter insignis ob merita et benefacta in Ecclesiam vel in Rempublicam, vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos, itemque personae huiusmodi privilegio apostolico iam ornatae; dummodo semper debitae exsequiae expleantur in ecclesia. Tunc Ordinarius permittere potest unius aut alterius Missae sed non plus quam trium Missarum

4) Cfr. *Il Monitore ecclesiastico*, 1917, 111-112.

Can. 822. — 1) *A. A. S.*, XI, 478; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 70. — 2) *A. A. S.*, XII, 370.

celebrationem, abrogato indulto S. Rituum Congregationis 29 Aprilis 1894 et contrariis quibuscumque minime obstantibus³.

4. - S. C. de Sacramentis, Instructione 26 Martii 1929, praeter multa alia, statuit ut, si missa sub dio celebretur, ad praecavendam fragmentorum dispersionem, curetur quod altare ubi Missa celebratur, tribus e lateribus tabulis tegatur, vel tentorium adsit super altare obductum et ad tria eius latera descendens in formam aediculae, quo ipsum altare a ventis protegatur, vel alia ratione id fiat consentanea cum reverentia tanto mysterio debita⁴.

5. - Commissio pro Russia, 25 Novembris 1929, Episcopis et administratoribus in Russia concessit indultum permittendi Missae celebrationem et sacrae Communionis receptionem post meridiem et etiam sero, observato ieiunio eucharistico quatuor horarum⁵ (Cfr. etiam can. 818, 7).

6. - Per nuntium apostolicum Germaniae a Sancta Sede concessa est facultas celebrandi in navi aerea *Hindenburg* occasione itineris a nave facti a Germania in Americam 23 Maii 1936⁶.

823 Nec militibus sacerdotibus durante bello permissum fuit missam celebrare in antimensiis confessionis orthodoxae. S. C. S. Officii (Vide can. 818, 9).

824 1. - S. C. Concilii, 10 Novembris 1917, approbavit decisionem Episcopi qui statuerat: « Si diebus festis abrogatis exsequiae vel nuptiae fiant et parochus Missam exsequialem vel pro sponsis celebrare debet, stipendium usitatum pro Missa privata tantum nobis tradendum est; in omnibus aliis casibus vero stipendium integrum sive manu oblatum sive ex fundatione statutum nobis transmittendum est ». S. Congregatio approbavit quidem decisionem at clausulam adiecit: « nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum »¹.

2. - S. C. Concilii, 8 Maii 1920, ad dubia: « I. An loci Ordinarius, vi indulti apostolici, adigere valeat presbyteros ut Missam binatam vel pro populo dispensatam applicent in favorem piae causae; II. An tolerari possit quod favore causae piae exigatur eleemosyna taxae dioecesanae dumtaxat, relicto cappellaniae redditu, taxam excedente, sacerdoti ex apostolico indulto Missam iteranti vel pro populo dispensatam celebranti in casu ». Respondit: « Ad I. Affirmative; Ad II. Si legitime sit designata eleemosyna, quum ea tota cedere debeat favore piae causae: negative, salva tamen Ordinarii facultate aliquid

3) *A. A. S.*, XVIII, 388; *Periodica*, XV, 160; *Ius Pontificium*, 1926, 136. — 4) *A. A. S.*, XXI, 631. — 5) Bouscaren, *l. c.*, II, ad can. 821, p. 87. — 6) Bouscaren, *l. c.*, II, ad can. 822.

Can. 824. — 1) *A. A. S.*, X, 368.

assignandi sacerdoti celebranti, ratione incommodi vel laboris. Si vero eleemosyna non sit legitime statuta: affirmative, seu cedere in casu favore causae piaee dumtaxat eleemosynam taxae dioecesanae, facta item Ordinario facultate aliquid tribuendi eidem sacerdoti celebranti, ratione incommodi vel laboris »².

3. - « D. - Utrum per canonem 824, § 2 Codicis abrogata censi debeant ea, quae S. C. Concilii statuerat sub die 15 Octobris 1915 in responsione ad III, de retributione non recipienda, ne ratione quidem extrinseci incommodi, in secunda et tertia Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum; an vero ea adhuc in suo vigore permaneant.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 13 Decembris 1923³.

4. - S. C. Concilii, 13 Novembris 1937, propositis dubiis: « I. An expediat indultum apostolicum concedere ut parochi, in propria ecclesia Missam iteranti, tribuatur aliquod emolumentum ex redditibus legatorum. — II. An sustineatur dispositio dioecesana, vi cuius sacerdotes, Missam binatam applicantes, eleemosynam tantummodo dioecesanam Curiae tradere teneantur ». Respondit: « Ad I. Negative, seu non expedire. Ad II. Negative »⁴.

828 S. C. Concilii, 9 Iulii 1921, declaravit Ordinarios monere debere fideles ad auferendos certos abusos circa accumulatas intentiones Missarum (Vide can. 836).

831 S. C. Concilii, 15 Iunii 1918, ad petitionem sibi porrectam reducendi onera Missarum respondit, potius taxam Missarum manualium augendam esse (Vide can. 841)¹.

833 S. C. Concilii, 16 Aprilis 1921, ad dubium: « An et quomodo retineri possit excessus eleemosynae Missarum in casu ». Respondit: « Prout proponitur: negative, et ad mentem. Mens est ut in casu exterioris sollemnitatis in Missarum celebratione, vel quando hae committantur loco funeris, Episcopus praefigat modicam taxam, non autem ex eleemosynis Missarum desumendam, in compensationem pro parochis et rectoribus, monitis super hoc oblatores »¹. Agebatur in casu de parochi qui petebat utrum aliquid retinere posset de eleemosynis Missarum Pro Novendialibus aut Gregorianis, a se acceptatis et aliis transmissis. S. C. non admittit aliquid retineri a parochi etsi Gregorianae loco funeris offerantur (Vide etiam can. 840).

²) A. A. S., XII, 536; *Periodica*, X, 196, 6. — ³) A. A. S., XVI, 116; *Periodica*, XIII, 81, 88; *Ius Pontificium*, 1924, 115. — ⁴) A. A. S., XXX, 101; *The Ecclesiastical Review*, 98 (1938), 564; *Ius Pontificium*, XVIII (1938), 139.

Can. 831. — 1) A. A. S., X, 504. Cfr. etiam S. C. Consistorialis Litt. circular., 29 Iunii 1919.

Can. 833. — 1) A. A. S., XIII, 532; *Il Monitore ecclesiastico*, 1922, vol. 34, p. 50.

836 S. C. Concilii, 9 Iulii 1921, ad dubia: « I. Utrum liceat, consentientibus oblatores, componere duas vel plures intentiones Missarum cantatarum, ita ut una Missa cantata celebretur ad intentionem unitam in ecclesia oblatores, ceterae vero ad intentionem unitam legendae tradantur sacerdotibus exteris; II. Utrum liceat, consentientibus oblatores, duas vel plures Missas cantatas ita coniungere, et una tantum Missa cantetur cum maiore sollemnitate ad intentionem ex oblati compositam, pro qua stipendium iuxta taxam dioecesanam sumatur, ceterum vero impendatur pro piis operibus ». Respondit: « Ad mentem. Mens est ut Ordinarius prudenter studeat relatam praxim submovere; et, ad normam canonis 836 C. I. C., fideles moneantur per tabellam in sacrario, loco patenti positam, non omnes Missas cantatas ob effluentem earum numerum in ecclesia parochiali celebrari posse, sed alibi superexstantes mitti pro celebratione »¹.

838 S. C. Concilii, 19 Februarii 1921, ad dubium: « An et quomodo dispositio Concilii provincialis N. (quae prohibet Missas celebrandas dare extra uniuscuiusque dioecesis ambitum absque Ordinarii permissione) sustineatur in casu ». Respondit: « Quoad Missas fundatas, vel ad instar manualium, vel manuales datas intuitu causae piaee: Affirmative; in reliquis servetur canon 838 C. I. C. »¹.

840 1. - S. C. Concilii, 10 Ianuarii 1920, examinata pactione qua parochi suis Vicariis praeter habitationem et alimenta, menstruum summam tradunt imposita vicariis obligatione celebrandi ad intentionem parochi, qui sibi stipendia retinet, declaravit propositam consuetudinem remunerandi vicarios tolerari posse et ad mentem. Administrator apostolicus operam navet ut in praxi ponatur statutum dioecesanum vi cuius parochi cooperatores suis mercedem solvant 25 ponderum, adiecto quotidie Missae stipendio integro iuxta taxam, ita ut honorarium menstruum summae 50 ponderum coaequetur¹.

2. - S. C. Concilii, 19 Februarii 1921, declaravit non sustineri dispositionem Concilii provincialis qua prohibetur transmissio stipendiorum Missarum manualium extra uniuscuiusque dioecesis ambitum, licet sustineatur prohibitio eadem relate ad Missas fundatas, ad instar manualium aut manualium datarum intuitu causae piaee (Vide can. 838)².

3. - S. C. Concilii, 16 Aprilis 1921, respondit non licere retentionem alicuius partis stipendiorum parochi vel rectori ecclesiae ex eo quod eidem parochi onus incumbat quaerendi celebrantem pro no-

Can. 836. — 1) A. A. S., XIII, 501; *Periodica*, X, 354.

Can. 838. — 1) A. A. S., XIII, 228; *Periodica*, l. c., X, 294.

Can. 840. — 1) A. A. S., XII, 70. *Periodica*, X, 191, ita resolutionem interpretantur ut vicarii semper obtineant stipendium suarum missarum, et simul ipsis cautum sit de 50 ponderibus mensuris, etsi stipendia missarum ad 25 pondera non ascendant; *Nouvelle Revue Théologique*, 47 (1930), 567; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 32, p. 108-110. — 2) A. A. S., XIII, 228.

10 — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

vendiali Missarum aut pro Missis gregorianis, cum onus istud ad ipsum officium parochi pertineat; nec ex eo quod parochus onus incumbat complendi Missas novendiales aut gregorianas, istud enim onus non ei sed uni sacerdoti incumbit qui stipendia accepit (Vide can. 833) ¹.

4. - S. C. Concilii, 9 Iulii 1921, quaedam statuit circa cumulationem intentionum missarum (Vide can. 836).

841 S. C. Concilii, 15 Iunii 1918, declaravit ex cumulatis stipendiis quorum missae non poterant tempestive celebrari, quia sacerdotes pinguiora stipendia facile recipiebant, non posse fundari cappellanas, ita ut quivis sacerdos ad ipsas celebrans, reducto missarum numero, pinguius stipendium acciperet. Singuli enim oblatores stipendiorum ad sacra pro sua definita intentione ius habent et causa gravior requiritur ut Sancta Sedes ex thesauro Ecclesiae suppleat in casu. Ordinarii autem pro futuro provideant elevando taxam missarum manualium ¹.

845 1. - S. C. Rituum, 8 Maii 1925, ad dubium: « An, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXIX, n. 5), Episcopus manum sive anulum ad osculum praebere debeat, dum Communionem administrat ». Respondit: « Osculum manus sive annuli, in casu, remittendum esse prudenti iudicio Episcopi » ¹.

2. - Inter extraordinarias facultates Ordinariis Mexicanis concessas a S. C. Concilii 23 Decembris 1927, praeter alia, conceditur Ordinariis ut possint, quotiens clericus haberi nequeat, uti pio laico qui bona gaudeat reputatione, ad administrandum sacrum Viaticum infirmis et moribundis. Qui sacras Species in vase deferat benedicto ex quo persona infirma propriis manibus sacras Species ad se communicandam recipiat. Quodsi infirmus id facere non possit, ipse laicus qui Communionem detulit eandem administret et postea suas manus purificet ².

3. - « D. - An diaconus, sacram Communionem ad normam canonis 845, § 2 ministrans, possit et debeat in fine ritus benedictionem manu impertire iuxta Rituale romanum, tit. IV, cap. II, n. 10.

R. - Affirmative ». C. I., 13 Iulii 1930 ³.

846 Etiam in Missa media nocte celebrata in Nativitate Domini licet Sacram Communionem administrare. C. I., sine datione (Vide can. 821) ¹.

³) A. A. S., XIII, 532; *Il Monitore ecclesiastico*, 1922, vol. 34, p. 50.

Can. 841. — 1) A. A. S., X, 504.

Can. 845. — 1) A. A. S., XVII, 265; *Revue des Communautés Religieuses*, I (1925), 164. — 2) Cfr. Bouscaren, l. c., *Supplement*, 1938, ad can. 66, III. — 3) A. A. S., XXII, 365; *Apollinaris*, III, 570; *Periodica*, XIX, 345; *Ius Pontificium*, 1930, 231.

Can. 846. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIV, 371. Quae datio affertur in eodem *Periodico*, XXXVI, 21, et est 10 Iulii 1919. Cfr. etiam C. I. 16 Martii 1936, ad can. 821 et 867.

847 S. C. de Sacramentis, 5 Ianuarii 1928, ad dubium: « An iudex causae iustae et rationabilis, prout ex Codice iuris canonici can. 847 requiritur ut sacra Communionem privatim ad infirmos deferatur, sit quilibet sacerdos ministrans vel tantum Ordinarius loci ». Respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, addita tamen mente, quae sequens est: Si ex communi experientia et opinione nullum in dioecesi aut in aliquo particulari loco adsit inconveniens pro privata delatione sacrae Communionis ad infirmos, ab Ordinario cavendum est ne per regulas nimis praefinitas aut generales praecipientes publicam delationem, vel per reservationem sibi factam dandi veniam in singulis casibus deferendi privatim Sacramentum Eucharistiae, praepediatur infirmis solatium Communionis etiam quotidianae » ¹.

848 1. - Ius parochi exclusivum deferendi infirmis sacram Communionem cessat, si, iudicio Ordinarii, ratio sacram Communionem privatim deferendi existit. Tunc cuilibet sacerdoti ius competit sacram Communionem deferendi ex can. 849, § 1. S. C. Concilii, 5 Ianuarii 1928 (Vide can. 847) ¹.

2. - Authentice declaratum est ius et officium deferendi eucharisticum Viaticum et ministrandi Extremam Unionem religiosis et novitiis etiam extra domum religiosam spectare ad Superiores religiosos ad normam can. 514; non item relate ad ceteros de quibus in eodem canone quando extra religiosam domum versantur. C. I., 16 Iunii 1931 (Vide can. 514).

849 S. Rituum Congregatio, 9 Ianuarii 1929, edidit Instructionem in qua continetur brevior et facilior ratio administrandi sacram Communionem pluribus infirmis praesertim in hospitalibus. Quando Communionem ministranda est pluribus infirmis in eadem domo sed distinctis in cubiculis degentibus minister « in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante infirmorum communionem dicendas iuxta Rituale Romanum, tit. IV, cap. 4; in aliis cubiculis dicat tantummodo preces: *Misereatur tui... Indulgentiam... Ecce Agnus Dei... semel Domine non sum dignus... accipe frater (soror)... vel Corpus Domini nostri...* et in ultimo cubiculo addat versum: *Dominus vobiscum* cum suo responsorio et cum sequenti oratione plurali numero dicenda: *Domine Sancte...* ibique si qua particula consecrata superfuerit, benedictionem eucharisticam impertiatur ac tandem reliquas preces praescriptas ab Ecclesia de more persolvat » ¹.

Can. 847. — 1) A. A. S., XX, 81; *Nouvelle Revue Théologique*, 55 (1928), 300; *Ius Pontificium*, 1928; *Periodica*, XVII, 30.

Can. 848. — 1) A. A. S., XX, 81.

Can. — 849. — 1) A. A. S., XXI, 75; *Periodica*, XVIII, 112; *The Ecclesiastical Review* 97 (1937), 588, et 98 (1938), 478.

854 1. - « D. - Utrum usus rationis de quo in can. 854, § 2, 3, 5; 859, § 1, et 906 is intelligatur qui ad mortale peccatum requiritur, an sufficiat qui requiritur ad peccatum veniale committendum.

R. - Usus rationis pro Sancta Communione indicatur clare in can. 854, § 2, 3; pro praecepto confessionis annuae est qui indicatur in can. 906 ». Praeses C. I., 24 Februarii 1920 ¹.

2. - Huc spectat responsum S. C. de Sacramentis, 30 Iunii 1932, de non differenda administratione primae Communionis ratione nondum receptae Confirmationis (Vide can. 788) ².

855 1. - Iudicium de emendatione et poenitentia et de reparatione scandali dati a peccatore publico Ordinario loci, si quaestio oriatur, deferendum est. Ita in casu contestato resolvit S. C. Concilii, 18 Novembris 1922 (Vide can. 886).

2. - Mulieres immodeste vestitae a sacra Communione arcendae sunt. Instructio S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1930, IX (Vide can. 1262).

856 S. C. de Sacramentis, 8 Decembris 1938, *Instructionem* reservatam communicavit cum Ordinariis locorum et religiosis de vitandis abusibus in usu communionis generalis praesertim in collegiis, ubi talis communio facile aditum aperire potest communionibus sacrilegis ¹.

858 1. - Pius XI, sacerdotibus adoratoribus concessit ut, si quando infirmi sint nec valeant ex medici attestazione ieiunium naturale servare, ad sacram Communionem more laicorum accedere valeant de consilio confessarii, etiam quotidie, postquam sumpserint aliquam medicinam aut aliquid per modum potus, praemonito Ordinario loci eiusque venia obtenta et fidelium remota admiratione. S. C. de Sacramentis, 29 Martii 1926, ad septennium ¹.

2. - « D. - Utrum mensis, de quo in can. 858, § 2, mathematice sumendus sit, an potius moraliter ».

« R. - Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ». C. I., 24 Novembris 1927 ².

3. - Inter facultates extraordinarias pro Mexico concessas 23 Decembris 1927 est facultas communicandi non servato ieiunio (Vide can. 845).

4. - Die 15 Decembris 1936 S. C. de Sacramentis Episcopo Be-

Can. 854. — 1) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 101 (1924), 68. — 2) *A. A. S.*, XXIV, 271.

Can. 856. — 1) *Instructio* non fuit promulgata in *A. A. S.*, eam legere poteris apud *Il Monitore ecclesiastico*, 1939, 254-252; *Commentarium pro religiosis*, XX, 203, et XXI, 69 sqs.

Can. 858. — 1) *Periodica*, XVI, 87, et 88 ubi etiam variae declarationes eiusdem indulti habentur. — 2) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Vide apud *Periodica*, XXIII, 234*.

rolinensi concessit ad triennium ut veniam dare posset aliquid sumendi per modum potus vel medicinae ante SS. Eucharistiam, fidelibus sexagesimum annum attingentibus necnon mulieribus praegnantibus, *bis vel ter in hebdomada* ³.

859 « D. - Utrum pueri, qui etsi septimum aetatis annum nondum expleverunt, tamen ob aetatem discretionis, seu usum rationis, ad primam Communionem admissi iam fuerint, teneantur duplici praecepto confessionis saltem semel in anno et Communionis semel in anno, saltem in Paschate.

R. - Affirmative ». C. I., 3 Ianuarii 1918 ¹.

863 S. C. de Sacramentis, 8 Decembris 1938, dedit *Instructionem* de non commendanda communionem generali praesertim in collegiis (cfr. can. 856).

866 Impune doceri potest fideles rituum orientalium mortaliter peccare et praecepto paschalis Communionis non satisfacere, si ritu latino communicent ¹. Verum de hac responsione haec scribit Cicognani ²: « Non constat de illa plenaria quae dicitur habita die 14 Aprilis 1924. Constat ex adverso de alio coetu plenario S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 26 Ianuarii anni 1925 celebrato, in quo ad nonnulla dubia discussa circa interpretationem can. 866, declaratum fuit *tum orientales tum latinos praecepto communionis paschalis satisfacere, si alieno ritu communicent* ».

867 1. - « D. - Utrum vi can. 867, § 4, absque indulto apostolico Communio distribui possit petentibus in missa, quae celebratur in nocte Nativitatis Domini in ecclesiis paroecialibus et conventualibus, quotiescumque iudicio saltem Ordinarii adsit rationabilis causa id faciendi.

R. - Affirmative ». C. I., a. 1920 ¹.

2. - « D. - An can. 867, § 4, collatus cum can. 821, § 2, ita intelligendus sit ut sacra Communio distribui possit in Missa, quae sive iure sive apostolico indulto celebratur media nocte Nativitatis Domini.

R. - Affirmative, nisi loci Ordinarius iustis de causis in casibus particularibus id prohibuerit ad normam can. 869 ». C. I., 16 Martii 1936 ².

³) Non publicat. in *A. A. S.*; et invenitur in *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, 117 (1937), 209; et etiam *ibidem*, 116 (1936), 498.

Can. 859. — 1) Apud *Il Monitore ecclesiastico*, XXX, 112; *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 99, p. 62; Hilling, *l. c.*, 62. Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*

Can. 866. — 1) S. C. Ecclesiae Orientalis, 14 Aprilis 1924; *Il Monitore ecclesiastico*, XXXVII (1925), 103. — 2) *Commentarium ad lib. I Cod.*, p. 339.

Can. 867. — 1) Responsum refertur in *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 103, 170; et sub datatione 10 Iulii 1919, *Il Monitore ecclesiastico*, XXXVI (1924), 21, 2. Vide etiam C. I. 16 Martii 1936 infra in hoc canone. — 2) *A. A. S.*, XXVIII, 176; *Apollinaris*, IX, C. I. 16 Martii 1936 infra in hoc canone. — 3) *Revue des Communautés Religieuses*, XII (1936), 121; *Commentarium pro religiosis*, 1936, 133.

3. - Operariis Belgicis qui diebus festis laborare coguntur permissum est 28 Ianuarii 1947, ad annum ut praecepto audiendi Sacrum satisfacere possint et sacram Communionem sumere, iisdem diebus festis horis pomeridianis (Cfr. can. 821).

869 S. C. de Sacramentis, 5 Ianuarii 1928, ad dubia: « I. An fideles in montanis pagis habitantes, quoties ad infirmos sacra Eucharistia deferatur, possint sacra Synaxi refici in loco sacro, vel etiam, cum agatur de re tam sacra, in loco decenti et honesto qui in itinere exstet, non valentes ea die ecclesiam petere; II. Num sacra Communio et Confessionis sacramentum administrari possint iis, qui in domo infirmi versantur; III. An administrari debeant in enunciatis circumstantiis iis, qui aetate sunt proveci vel morbo laborant ». Respondit: « Ad I. Affirmative, ad normam canonis 869, iuncto canone 822, § 4, seu dummodo Ordinarius loci id concedat ad normam citatae praescriptionis, scilicet pro singulis casibus et per modum actus; Ad II et III. Quoad Communionem: provisum in primo; quoad confessionem: Affirmative, servatis servandis ad normam can. 910, § 1, 2 et 909, § 1, 2 »¹.

873 1. - Sacerdos ritus Orientalis non potest valide et licite audire confessiones et absolvere poenitentes in ecclesiis exclusive subiectis Ordinariis ritus latini, nisi obtenta facultate ab Ordinario ritus latini. S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Augusti 1932¹.

2. - Sacerdos ritus latini nec valide nec licite potest confessiones audire aut absolvere poenitentes in ecclesia aut oratorio subiectis iurisdictioni exclusivae Ordinarii ritus graeco-byzantini, nisi facultatem expresse ab hoc Ordinario obtinuerit. S. C. de Propaganda Fide, 2 Decembris 1932².

874 « D. - Utrum, ad normam canonum 199, § 1 et 874, § 1, parochi, vicarii parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati, possint sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas, aut saltem iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad normam canonis 878, § 1 fuerit circumscripta; an ad id egeant speciali facultate seu mandato Ordinarii loci.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

2. - S. Poenitentiaria, 22 Februarii 1941, decretum promulgavit circa iurisdictionis concessionem sacerdotibus qui in peculiaribus custodiae locis detinentur. Tenor decreti est huiusmodi: « Ut facilius spirituali eorum saluti prospiciatur qui nunc temporis in peculiaribus

Can. 869. — 1) *A. A. S.*, XX, 79.

Can. 873. — 1) *Sylloge*, n. 173, p. 444. — 3) *Sylloge*, n. 175, p. 448.

Can. 874. — 1) *A. A. S.*, XI, 477; *Periodica*, X, 99; *Ius Pontificium*, 1923, 10.

custodiae locis a publica auctoritate detinentur, S. Poenitentiaria sacerdotibus, qui eandem vitae rationem participiant, apostolica auctoritate, concedit facultatem confessionem sacramentalem eorum omnium audiendi, qui vel in iisdem conditionibus versantur vel pro suo munere in iisdem locis commorantur, dummodo praedicti sacerdotes iurisdictionem ad confessiones excipiendas a proprio Ordinario iam habuerint neque eadem privati fuerint »².

882 « D. - An absolutio in periculo mortis secundum canonem 882 limitetur ad forum internum, an extendatur etiam ad forum externum.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 28 Decembris 1927¹.

2. - S. C. Consistorialis, 8 Decembris 1939, promulgavit indicem facultatum « quae a Sanctissimo Domino nostro Pio Divina Providentia Papa XII Vicariis Castrensibus seu Cappellanis maioribus, quocumque vocantur nomine, in omnibus nationibus aut regionibus in quibus status belli aut militum ad arma convocatio adest vel forte aderit conceduntur, habitualiter subdelegandae suis Cappellanis Militaribus aliisque, si velint, sacerdotibus utriusque cleri ratione militiae sibi subditis, dummodo idoneis et dignis, in favorem tum ipsorum sacerdotum et clericorum tum militum aliorumque fidelium exercitum terrae, maris et aëris comitantium, atque perdurante praesenti bello dumtaxat valiturae »².

3. - D. - Circa absolutionem modo generali militibus impertiendam imminente aut commisso proelio (cfr. Indicem Facultatum S. C. Consistorialis, 8 Decembris 1939, n. 14): « Quid faciendum si aliquando circumstantiae tales sint ut praevideatur moraliter impossibile aut valde difficile fore ut milites turmatim absolvi possint imminente aut commisso proelio ».

S. Poenitentiaria respondit: « In praedictis circumstantiis, iuxta Theologiae Moralis principia, licet, statim ac necessarium iudicabitur, milites turmatim absolvere. Sacerdotes autem sic absolventes ne omitant poenitentes docere absolutionem ita receptam non esse profuturam, nisi rite dispositi fuerint eisdemque obligationem manere integram confessionem suo tempore peragendi ». 10 Decembris 1940³.

4. - S. Poenitentiaria, 25 Martii 1944, sequentem *Instructionem* promulgavit circa Sacramentalem absolutionem generali modo pluribus impertiendam: « Ut dubia et difficultates removeantur in interpretanda et exsequenda facultate impertiendi in quibusdam rerum adiunctis absolutionem sacramentalem generali formula seu communi

2) *A. A. S.*, XXXIII, 73.

Can. 882. — 1) *A. A. S.*, XX, 61; *Nouvelle Revue Théologique*, 55 (1928), 287 sq.; *Apolinaris*, I, 102; *Periodica*, XVII, 41; *Ius Pontificium*, 1928, 3. — 2) *A. A. S.*, XXXI, 710-713. — 3) *A. A. S.*, XXXII, 571.

absolutione, sine praevia peccatorum confessione a singulis Christifidelibus peracta, Sacra Poenitentiaria opportunum ducit haec quae sequuntur declarare atque edicere:

I. Sacerdotes, licet ad confessiones sacramentales excipiendas adprobati non sint, facultate fruuntur absolvendi generali modo atque una simul:

a) Milites imminenti aut commisso proelio, prout in mortis periculo constitutos, quando, sive prae militum multitudine sive prae temporis angustia, singuli audiri nequeunt.

Si tamen rerum adiuncta eiusmodi sint, ut vel moraliter impossibile, vel admodum difficile videatur milites absolvere imminenti aut commisso proelio, tunc licet eos absolvere statim ac necessarium iudicabitur ⁴.

b) Cives et milites instante mortis periculo, durantibus hostilibus incursionibus.

II. Praeter casus in quibus agitur de mortis periculo, non licet sacramentaliter absolvere plures una simul, aut singulos dimidiate tantum confessos, ratione tantum magni concursus poenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae (cfr. Prop. 59 ex damnatis ab Innocentio XI die 2 Martii 1679): licet vero si accedat alia gravis omnino et urgens necessitas, gravitati praecepti divini integritatis confessionis proportionata, verbi gratia si poenitentes — secus nulla sua culpa — diu gratia sacramentali et sacra Communione carere cogantur.

Decernere autem si militum aut captivorum aut civium turma in tali necessitate inveniatur, locorum Ordinariis reservatur, ad quos praevis recurrere tenentur Sacerdotes, quoties id possibile sit, ut licite eiusmodi absolutionem impertiant.

III. Absolutiones sacramentales pluribus una simul a Sacerdotibus arbitrio suo impertitae, extra casus de quibus in n. I, vel non obtenta praevia Ordinarii licentia, licet hic adiri potuerit, iuxta dicta in n. II, utpote abusus habendae sunt.

IV. Antequam Sacerdotes sacramentalem absolutionem impertiant, quantum rerum adiuncta permittant, de his quae sequuntur Christifideles commonere debent:

a) Necessarium scilicet esse ut se quisque poeniteat admissorum suorum et a peccatis abstinere proponat. — Convenit etiam Sacerdotes opportune monere poenitentes, ut contritionis actum externo aliquo modo ostendant, si possibile sit, verbi gratia percutiendo pectus.

b) Atque omnino necesse esse ut, qui absolutionem turmatim acceperint, in primo deinceps suscipiendo Poenitentiae Sacramento, gravia singula peccata sua rite confiteantur, quae non antea confessi fuerint.

V. Sacerdotes aperte fideles doceant eos graviter prohiberi, ne,

⁴) Cfr. *Responsum* huius S. Poen. Ap., 10 Dec. 1940; *A. A. S.*, XXXII, 571.

quamvis sibi conscii sint culpae mortalis, nondum in confessione recte accusatae et remissae, et obligatio integre lethalia peccata confitendi urgeat ex lege sive divina sive ecclesiastica, de industria declinent huic obligationi satisfacere, occasionem exspectantes, qua absolutio turmatim detur.

VI. Meminerint vero locorum Ordinarii ut de hisce normis gravissimoque officio tunc Sacerdotes commonefaciant cum iisdem facultatis usum permittant, in peculiaribus rerum adiunctis, sacramentalem absolutionem generali formula una simul impertiendi.

VII. Si tempus suppetat, haec absolutio sueta atque integra formula in plurali numero impertienda est; secus vero haec brevior formula adhiberi potest: — Ego vos absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » ⁵.

883 1. - « D. - I. Utrum adverbium *obiter* canonis 883, § 2 ita intelligendum sit ut sacerdos rite praeditus facultate, iuxta § 1 eiusdem canonis, audiendi confessiones, possit, quoties navis in portu maneat, terram adire ibique in ecclesia vel sacello confessiones excipere eorum, qui confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere, etiam a casibus Ordinario loci reservatis, per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies, si tamdiu navis in portu maneat.

II. Utrum id possit per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies dictus sacerdos, quoties ad idem iter prosequendum unam navem relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc navem tamdiu exspectare debeat.

III. Utrum in utroque casu idem possit dictus sacerdos etiam ultra triduum.

R. - Ad I et II. Affirmative.

Ad III. Negative, si loci Ordinarius facile adiri possit ». C. I., 20 Maii 1923 ¹.

2. - « D. - An sub nomine *Ordinarii*, de quo in canone 883, § 1, veniant etiam Superiores maiores religionis clericalis exemptae.

R. - Negative ». C. I., 30 Iulii 1934 ².

886 S. C. Concilii, 18 Novembris 1922, propositis dubiis: « I. Supposita emendatione et difficultate separationis, potestne Episcopus et debet hos propinquos concubinarios prohibere, ne ad Communionem accedant, donec separentur, ut scandalum reparent: aut potius exigere debet scandalum reparationem alio praedicto modo (publica menstrua communione per annum, quin separentur). — II. Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad alteram, quid

⁵) *A. A. S.*, XXXVI, 155-156.

Can. 883. — 1) *A. A. S.*, XVI, 114; *Periodica*, XIII, 84; *Ius Pontificium*, 1924, 65. — 2) *A. A. S.*, XXVI, 494; *Revue des Communautés Religieuses*, X (1934), 182; *Nouvelle Revue Théologique*, 61 (1934), 1082; *Apollinaris*, 1935, 60; *Periodica*, XXIII, 147; *Ius Pontificium*, 1934, 224.

missionarii facere possint et debeant in similibus casibus ». Respondit: « Standum iudicio Ordinarii ». Agebatur in casu de muliere quae cum propinquo in publico vivebat concubinato, quae a confessario admissa fuit ad Communionem reluctante paroco, qui ad Ordinarium recurrit. Ordinarius statuit admittendam non esse ad Communionem nisi a propinquo separata scandalum prius reparasset ¹.

888 S. C. S. Officii, 22 Novembris 1922, propositis dubiis: « I. An tolerari possit, confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae illamque suadere promiscue omnibus poenitentibus, qui timent, ne proles numerosior nascatur. — II. An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad poenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad mortalia peccata praecavenda. — III. An carpendus sit confessarius qui in circumstantiis sub II copulam dimidiatam poenitenti aliunde notam suadet vel poenitenti interroganti, num hic modus licitus sit, respondit simpliciter licere absque ulla restrictione seu explicatione ». Respondit: « Ad I. Negative. Ad II. Affirmative. Ad III. Affirmative » ¹.

889 « Quamvis ipsa naturalis prudentia doceat casus occultos ad forum conscientiae pertinentes litteris clausis et reticitis partium nominibus Sacrae Poenitentiariae vel Eminentissimo Cardinali Poenitentiario maiori directe esse proponendos; non desunt tamen conscientiarum moderatores qui per litteras apertas, procuratorum (vulgo *agenti*) manu tradendas, eos exponere non vereantur. — Ad tam grave inconveniens omnino e medio tollendum Sacra Poenitentiarum omnes et singulos ad quos spectat, expressis verbis, monitos vult ne quid simile in posterum audeant; sed ut huiusmodi litteras ceterasque omnes quae pro opportunis declarationibus vel supplementariis informationibus exhibendis postea sint addendae, directae ad sacram ipsam Poenitentiarum vel ad Eminentissimum Cardinalem Poenitentiarum maiorem aut per publica epistolarum diribitoria (vulgo *posta*), aut, si procuratorum ope uti eis placeat, sub peculiari involucro bene clauso mittere velint ». S. Poenitentiarum, 1 Februarii 1935 ¹.

893 « D. - Utrum, ad normam canonis 893, § 1 et 2, peregrinus teneatur reservationibus loci, in quo degit. R. - Affirmative ». C. I., 24 Novembris 1920 ¹.

Can. 886. — 1) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 103, p. 162; Hilling, l. c., p. 63.

Can. 888. — 1) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 103, p. 156.

Can. 889. — 1) *A. A. S.*, XXVII, 62.

Can. 893. — 1) *A. A. S.*, XII, 575; *Periodica*, X, 249; *Ius Pontificium*, 1923, 7.

894 Ad frangendam quorundam sacerdotum contumaciam absolventium adhaerentes factioni *Action française*, de mandato Pii XI Sacra Poenitentiarum « statuit ac decernit peccatum confessariorum sacramentaliter absolventium quos quomodocumque noverint factioni *Action française* actu adhaerentes quique ab ipsis, uti tenentur, moniti, ab ea se retrahere renuant, Sanctae Sedi reservari. Huius reservationis ea vis est ut in illis quoque casibus, in quibus iuxta canonicas dispositiones quaevis reservatio cessat, onus adhuc remaneat praedictis sacerdotibus ad Sacram Poenitentiarum recurrenti, sub poena excommunicationis specialiter Sanctae Sedi reservatae, intra mensem a die obtentae sacramentalis absolutionis, vel postquam convaluerint si aegroti, et standi eius mandatis ». S. Poenitentiarum, 16 Nov. 1928 ¹.

900 « D. - I. Utrum quaevis reservatio, de qua in canone 900, sit tantum ratione peccati an etiam ratione censurae. II. Utrum canon 900 agat de reservatione casuum ab Ordinariis tantum, an etiam a Sancta Sede statuta. R. - Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 10 Novembris 1925 ¹.

906 C. I., 3 Ianuarii 1918, declaravit pueros infra septennium ad primam Communionem iam admissos teneri, quia usu rationis pollentes, ad praeceptum annuae confessionis (Vide can. 859) ¹.

909 « D. - Utrum canonis 909, § 2: *sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa*, pro mulieribus tantum, an generaliter pro poenitentibus uti forma propria audiendi confessiones in ecclesiis et publicis oratoriis sit servanda. R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, firmo tamen praescripto canonis 910, § 2 ». C. I., 24 Novembris 1920 ¹.

910 S. C. de Sacramentis, 5 Ianuarii 1928, declaravit licitum esse administrare Sacramentum Poenitentiae fidelibus in montanis pagis habitantibus etiam extra ecclesias in loco decenti et honesto cum eo ad infirmos sacra Communionem defertur (Vide can. 869).

912 1. - « An liceat Episcopis communicare presbyteris suae ditionis habitualiter potestatem benedicendi rosaria etc. de qua in can. 349, § 1, n. 1 cum applicatione indulgentiarum, observatis ritibus

Can. 894. — 1) *A. A. S.*, XX, 398; *Periodica*, XVII, 247; XVIII, 30 et XVIII, 248, ubi de eadem re refertur responsum aliud Sacrae Poenitentiarum 2 Martii 1929.
Can. 900. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 583; *Periodica*, XIV, 185; *Ius Pontificium*, 1926, 82.
Can. 906. — 1) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 99, p. 62; Hilling, l. c., p. 62.
Can. 909. — 1) *A. A. S.*, XII, 576; *Apollinaris*, I, 407 sqs.; *Periodica*, X, 249; *Ius Pontificium*, 1923, 121.

ab Ecclesia praescriptis ». S. Poenitentiaria, re mature considerata, respondendum censuit: « Negative ». 18 Iulii 1919 ¹.

2. - Episcopi nequeunt communicare, *ne per modum quidem actus*, cum sacerdotibus facultates adnectendi indulgentias rosariis, etc. et erigendi *Vias Crucis*. S. Poenitentiaria, 10 Novembris 1926 (Vide can. 349) ².

3. - Archiepiscopus Catanensis S. Poenitentiariae sequens dubium proposuit: « Utrum clausula *dummodo sit adprobatas ad recipiendas sacramentales confessiones* quae invenitur in aliquibus facultatibus applicandi indulgentias obiectis religiosis, intelligenda sit de sacerdotibus tantum, qui ad recipiendas fidelium *utriusque sexus* confessiones adprobatas sint, an etiam de illis qui ad christifidelium unius tantum sexus confessiones recipiendas adprobatas sint ». Sacra autem Poenitentiaria, 2 Martii 1942, respondit: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam » ³.

913 1. - S. Poenitentiaria, 20 Martii 1933, de expresso mandato Pii XI, edidit decretum de facultatibus indulgentias piis operibus aut devotionis obiectis adnectendi deque analogis quibusdam indultis tantum directe a S. Poenitentiaria in posterum concedendis. In ipso decreto quae sequuntur habentur: « Concessionem omnes et singulae piis fidelium associationibus cuiuscumque nominis vel naturae, etsi forte sacerdotibus tantum constantibus, quovis loco aut tempore seu modo vel titulo hucusque factae, largiendi privatis sacerdotibus facultates et indulta quae sequuntur, nempe benedicendi devotionis obiecta eisque indulgentias apostolicas aut Sanctae Birgittae, ut aiunt, adnectendi, — benedicendi coronas easque (quamque pro suo modo) indulgentias ditandi — benedicendi crucifixos ad lucrandas indulgentias pro *Viae Crucis* exercitio pro legitime impeditis adnexas necnon ad plenariam in mortis articulo indulgentiam acquirendam — impertiendi benedictionem papalem in fine concionum — concedendi indultum, quod dicunt, altaris privilegiati personalis, praesenti decreto revocantur; abrogantur atque omnino abolentur ita ut ab huius ipsius decreti divulgationis die omni prorsus vi careant omnique efficacia destituantur. — Qui, igitur, sacerdotes hac vel illa ex supra recensitis facultatibus aut hoc vel illo ex supra memoratis indultis post hac augeri cupiant, non nisi directe atque immediate a Sacra Poenitentiaria desideratam gratiam se obtinere posse sciant, oblatis toties quoties peculiaribus proprii Ordinarii ad rem litteris commendatitiis. — Quod vero ad privilegia attinet quibusdam Ordinibus vel Congregationibus religiosis concessas benedicendi coronas easque ditandi indulgentias — adnectendi crucifixis indulgentias *Viae Crucis*, in aliquibus rerum adiunctis etiam absque stationum percursu lucrificandas

Can. 912. — 1) *A. A. S.*, XI, 332; *Periodica*. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 500. — 3) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*; legitur apud *Il Monitore ecclesiastico*, 1942, 80.

— Stationes *Viae Crucis* erigendi, haec ipsis manent, ea tamen lege ut in posterum membra eorumdem Ordinum vel Congregationum uti eisdem valeant tantum personaliter, non autem ita ut ea concedere quoque possint aliis sacerdotibus ad eosdem Ordines vel Congregationes non pertinentibus: hi enim omnes facultates usui talium privilegiorum necessarias tantummodo a Sacra Poenitentiaria, modo superius indicato, obtinere poterunt » ¹.

2. - S. Poenitentiaria, responso 2 Martii 1937, declaravit decreto 20 Martii 1933, quo revocantur facultates generales concessae certis fidelium associationibus adnectendi indulgentias certis devotionis obiectis non revocari facultates sacerdotibus ante diem 20 Martii 1933 iam de facto concessas; revocari vero easdem facultates seu potius non concedi easdem illis clericis qui ante diem 20 Martii 1933 erant quidem adscripti societatibus quae illis indultis gaudebant, sed sacerdotio eodem tempore nondum erant initiati ².

914 1. - S. Poenitentiaria, 25 Aprilis 1922, declaravit Episcopum non posse delegare suis presbyteris facultatem, quam habet vi can. 914, impertiendi bis in anno in sua dioecesi benedictionem papalem cum indulgentia plenaria. — Item declaravit Episcopum non posse delegare eandem facultatem impertiendi benedictionem papalem quam oraliter obtinuerit a Romano Pontifice, nisi Romanus Pontifex expresse facultatem etiam fecerit subdelegandi ad hoc presbyteros ¹.

2. - « D. - An Episcopus, plures habens regendas dioeceses, in earum altera benedictionem papalem Paschati Resurrectionis adnexam, de qua in canone 914, iure proprio in aliam diem transferre possit.

R. - Negative ». C. I., 17 Februarii 1930 ².

3. - S. Poenitentiaria, 4 Martii 1932, declaravit indulgentiam plenariam adnexam benedictioni papali solemnem quam ipsemet Romanus Pontifex certis diebus Romae impertitur, non acquiri ab illis qui praesentes Romae physice non sunt, quamvis praesentes adsint moraliter et caeremoniam sequantur *radiotelephonico* instrumento (Vide etiam decretum S. Poenit. 15 Iunii 1939 in hoc can. 914, infra) ³.

4. - Decretum, De benedictione papali ope radiophonica accepta: « Iam pridem multisque ex partibus supplices ad Sanctam Sedem libelli pervenerunt, per quos postulabatur ut qui Apostolica Benedictione a Summo Pontifice Urbi et Orbi solemnibus occasionibus impertita una cum plenissima admissorum venia praesentes frui ne-

Can. 913. — 1) *A. A. S.*, XXV, 170; *Periodica*, XXII, 106; *The Ecclesiastical Review*, 1909, 371. — 2) *A. A. S.*, XXIX, 58; *Periodica*, XXVI, 351.

Can. 914. — 1) *Ecclesiastical Review*, 67, 70; Bouscaren, *l. c.*, I, ad can. 914. — 2) *A. A. S.*, XXII, 195; *Apollinaris*, III, 246; *Periodica*, XIX, 269; *Ius Pontificium*, 1930, 143. — 3) *Cfr.* Bouscaren, *l. c.*, II, ad can. 925.

quirent, possent tamen plenariam Indulgentiam adipisci, si ope radiophonica eandem Benedictionem pia devotaque mente acciperent.

Iamvero, re mature studioseque perpensa, infra scriptus Cardinalis Poenitentiarius Maior, in Audientia die 10 currentis mensis et anni habita, causam eiusmodi Beatissimo Patri decernendam proposuit. Augustus Pontifex vero, relatione audita ab eodem Cardinali facta, ac valde percipiens ut ea, quae progrediens aetas per humanarum disciplinarum studia invexerit, salutem animarum procurandae inserviant, decernere ac statuere dignatus est ut cum praesentes tum ii qui quovis spatio absentes, ope tamen radiophonica, Benedictionem a Summo Pontifice Urbi et Orbi impertitam pie devotaque accipiant, plenariam Indulgentiam, suetis conditionibus, lucrari possint ».

Mandavit autem Sanctitas Sua ut praesens Decretum publici iuris fieret.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis.

Datum Romae, ex aedibus S. Poenitentiariae, die 15 Iunii 1939⁴.

5. - « Facultas impertiendi benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, de qua in can. 914 Cod. I. C., ita adaugetur, ut Episcopis ter in anno, Abbatibus autem, Praelatis *nullius*, Vicariis ac Praefectis Apostolicis bis in anno eam impertire liceat ad normam eiusdem canonis ». Decretum S. Poenitentiariae, 20 Iulii 1942⁵.

915 Sacra Rituum Congregatio, 12 Martii 1940, promulgavit ritum Benedictionis Papalis super populum elargiendae servandum a sacerdotibus, quibus a S. Sede huiusmodi facultas indulta est.

Ritus iste est idem qui invenitur in Rituali Romano, Titulo VIII, cap. 32¹.

916 1. - S. Poenitentiaria propositis sibi dubiis: « 1° - An privilegium altaris applicari possit pluribus defunctis pro quibus Missa celebratur. - 2° - An recipi queant onera perpetua missarum ad altare privilegiatum celebrandarum »; die 3 Iulii 1917 respondit: « Ad 1°: Negative, prout iam decisum fuit a S. Congregatione indulgentiarum, decretis dierum 29 Februarii 1864 et 19 Iunii 1880. - Ad 2°: Recipi possunt, dummodo numerus Missarum, tam fundatarum quam adventitiarum, sit talis, et ei commode satisfieri possit »¹.

2. - Pius XI in sua Constitutione *Auspicientibus Nobis* concessit sacerdotibus pro toto anno 1929 privilegium personale altaris privilegiati, sequentibus verbis: « Praeterea, ad fovendam toto hoc anno cleri in sacro litando pietatem, singulis sacerdotibus tribuimus, fruentium usque ad diem 31 mensis Decembris huius anni, privilegium per-

4) *A. A. S.*, XXXI, 277. — 5) *A. A. S.*, XXXIV, 240.

Can. 915. — *A. A. S.*, XXXII, 199-201.

Can. 916. — 1) *A. A. S.*, IX, 140; *Periodica*, IX, 68.

sonale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie possint, Missae sacrificium celebrando, uni animae in purgatorio detentae applicare ». Const. Pii XI, 6 Ianuarii 1929².

3. - Privilegium in supra citata Constitutione Pii XI concessum ita intelligendum est « sacerdotes Sacrum litantes, in quolibet Missae sacrificio plenariam indulgentiam lucrari et applicare possint, independentem a Missae applicatione, uni animae, in purgatorio detentae ab ipsis ad libitum designatae ». S. Poenitentiariae, 8 Martii 1929³.

4. - Pius XII Motu Proprio, 12 Maii 1942, occasione iubilaeae celebrationis sui Episcopatus singulis sacerdotibus, Eucharisticum Sacrificium celebrantibus, altaris privilegiati facultatem ad annum, id est a die 13 Maii anni 1942 usque ad diem 13 Maii 1943, tribuit⁴.

5. - « D. - Utrum privilegium personale, in Motu Proprio *Summo solatio*, 12 mensis Maii vertentis anni, sacerdotibus concessum, intelligendum sit ad tramitem Declarationis S. Poenitentiariae Apostolicae 8 Martii 1929 (*A. A. S.*, XXI, 168), ita ut sacerdotes, sacrum litantes, in quolibet Missae Sacrificio plenariam indulgentiam lucrari et applicare possint independentem a Missae applicatione, uni animae, in Purgatorio detentae, ab ipsis ad libitum designatae ». S. Poenitentiaria, 10 Iunii 1942, respondit: « Affirmative »⁵.

6. - Pius XII per S. Poenitentiariam indultum 12 Maii 1942 concessum prorogare dignatus est ad integrum diem 29 Iunii 1943⁶.

917 S. Poenitentiaria, decreto diei 31 Octobris 1934 auctoritate Pii Pp. XI indulsit: « 1. ut, durante Commemorationis omnium fidelium defunctorum octavario, Missae omnes in quocumque altari et a quocumque sacerdote celebratae habeantur tamquam privilegiate, pro anima tamen cui applicantur; 2. ut fideles omnes qui, eodem octavario durante, coemeterium pie ac devote visitaverint et, vel mente tantum, pro defunctis exoraverint, lucrari valeant, suetis conditionibus, singulis diebus indulgentiam plenariam, sed defunctis ipsis tantum applicabilem; 3. ut fideles omnes qui, ut supra, coemeterium visitaverint et pro defunctis exoraverint, quovis anni die lucrari valeant indulgentiam partialem septem annorum; hanc quoque tamen applicabilem tantum ipsis defunctis »¹.

919 1. - S. Poenitentiaria, decreto 22 Februarii 1929, authenticam collectionem precum et piarum operum indulgentiis ditatorum ab anno 1899, promulgavit¹.

2. - S. Poenitentiaria, decreto 31 Decembris 1937, promulgavit

2) *A. A. S.*, XXI, 5 et sqs. — 3) *Il Monitore ecclesiastico*, 1929, 65-66; *A. A. S.*, XXI, 168. — 4) *A. A. S.*, XXXIV, 153. — 5) *A. A. S.*, XXXIV, 210. — 6) *A. A. S.*, XXXV, 158.

Can. 917. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 606.

Can. 919. — 1) *A. A. S.*, XXI, 200; *Periodica*, XVIII, 171.

collectionem indulgentiarum cui titulus: « *Preces et pia opera in favorem omnium Christifidelium vel quorundam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita* ». Collectio confecta est de mandato Summi Pontificis et ab eodem Summo Pontifice Pio XI, in audientia 11 Decembris 1937 approbata et confirmata est atque, *abrogatis generalibus indulgentiis in eadem collectione non relatis*, ipsa tantum uti authentica declarata est ².

922 1. - S. Poenitentiaria, 18 Februarii 1921, ad dubia: « Cum festum, cui adnexa sit aliqua indulgentia, legitime quidem transfertur, sed ad tempus tantummodo et absque sollemnitate ac externa celebratione, quaeritur: I. Utrum indulgentia cesset vel maneat diei affixa; — et quatenus negative ad primam partem: II. Utrum maneat etiam cum festum transfertur ob occursum feriae VI in Parasceve ». Respondit: « Circa I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; Circa II. Affirmative » ¹.

2. - S. Poenitentiaria, 14 Decembris 1937, dubio: « Utrum ad lucrandas indulgentias alicui festo translato adnexas necessaria sit sollemnitas ac celebratio ecclesiastica, etsi extraliturgica, an sufficiat civilis tantum sollemnitas et externa celebratio ». Respondit: « Affirmative ad primam partem; negative ad secundam » ².

3. - S. Poenitentiaria, 10 Martii 1941, decretum edidit circa pietatis exercitia per mensem agenda. In hoc decreto habentur: « Eo fere modo, quo de pio exercitio per mensem agendo in honorem S. Ioseph a S. Congregatione de Indulgentiis die 18 mensis Iulii 1877, statutum est (Cfr. *Preces et Pia Opera Indulgentiis ditata*, ed. 1938, n. 428 sub nota), quotiescumque opportunum ducitur pia id genus exercitia, in ecclesiis vel publicis aut (pro legitime utentibus) semipublicis oratoriis per mensem publice peracta, die festo absolvere, qui non sit postremus eiusdem mensis dies, idque vel ex eo quod christifidelibus facilius evadat ad sacram confessionem et ad sacram Synaxim sub fine pii huius exercitii accedere, vel ex alia iusta causa, tum idem exercitium incipere quovis die licet sive illius mensis, qui ex more celebratur, sive mensis antecedentis, ita tamen ut exercitium per triginta dierum spatium peragatur » ³.

923 1. - S. Poenitentiaria, 10 Iulii 1924, promulgavit normas concedendae et lucrandae indulgentiae Portiunculae. In isto decreto plura statuuntur, nempe: 1° Assisii die 2 Augusti indulgentia Portiunculae acquiri potest solum in sacello Portiunculae, in aliis ecclesiis solummodo restrictive et certis sub conditionibus. — 2° Concessionem indulgentiae Portiunculae factae antea in perpetuum inte-

²) Cfr. decretum *Quandoquidem*, 31 Decembris 1937, initio collectionis impressum. Collectio typis polyglottis edita, venit apud Editorem Marietti, Taurini.

Can. 922. — 1) *A. A. S.*, XIII, 165; *Periodica*, X, 320. — 2) *Periodica*, XXVII, 261. — 3) *A. A. S.*, XXXIII, 123.

grae remanent. — 3° Indulta temporaria eiusdem indulgentiae antea obtenta revocantur. — 4° Privilegium Portiunculae, si concedendum sit, concedendum erit ecclesiis, prae aliis, Beatae Virgini Angelorum, Sancto Francisco dicatis. — 5° Ecclesiae ut privilegium obtinere possint distare debent tria kilometra ab ecclesiis franciscalibus. — 6° Si Portiuncula concedatur oratorio semipublico, eius usus restringitur ad personas quae oratorio utuntur, seu in quarum commodum erectum est. — 7° Ordinarius et etiam rector ecclesiae quae Portiuncula gaudet, potest diem 2 Augusti cum dominica proxime insequenti substituere. — 8° Tempore quo indulgentia acquiri potest, in ecclesia venerationi exponatur aut reliquia aut saltem imago S. Francisci vel B. Mariae Virginis; publicae preces fiant pro Summo Pontifice et pro universa Ecclesia militante etc., et sacer ritus praemissis invocationibus B. Mariae Virginis Angelorum et S. Francisci atque litanis Sanctorum, benedictione eucharistica absolvatur. — 9° Conditiones ad lucrandam indulgentiam sunt: Confessio, Communio, visitatio ecclesiae cum recitatione saltem sexies *Pater, Ave, Gloria* ad mentem Summi Pontificis. — 10° Conditiones easdem adimplere debent qui privilegio gaudent indulgentiae Portiunculae ob recitationem sex *Pater, Ave, Gloria* ¹.

2. - S. Poenitentiaria, 13 Ianuarii 1930, proposito dubio: « An verba eiusdem decreti (10 Iulii 1924), sub n. IX, *saltem sexies Pater, Ave et Gloria* ita intelligenda sint ut haec ipsae preces modo praescriptivo solvi debeant, vel integrum sit christifidelibus alias aequivalentes recitare? ». Respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam » ².

3. - S. Poenitentiaria, responso 13 Ianuarii 1930, declaravit fideles qui indulgentiam Portiunculae die 2 Augusti in una ecclesia lucrati sunt, posse eandem iterum lucrari dominica insequenti in ecclesia ubi ipsa indulgentia ad insequentem dominicam translata sit ³.

4. - S. Poenitentiaria, decreto 5 Iulii 1930, declaravit recitationem sex *Pater, Ave, Gloria* requiri eodem iure ac pro indulgentia Portiunculae, etiam pro omnibus aliis indulgentiis analogis concessis nempe ad modum indulgentiae Portiunculae aliis ecclesiis aut Ordinibus religiosis ⁴.

5. - S. Poenitentiaria, decreto 18 Iulii 1935, declaravit, etiam in ipso Sacello S. Mariae Angelorum Assisii, requiri, ad acquisitionem Indulgentiae Portiunculae, recitationem sex *Pater, Ave, Gloria*, in ipso sacello. Quod si ob populi concursum id sine gravi incommodo servari nequeat, valeant fideles praedictas preces « incipere extra ipsum sacellum, prosequi per ipsum transeuntes, et absolvere post exitum » ⁵.

Can. 923. — 1) *A. A. S.*, XVI, 345; *Periodica*, XIII, 166. — 2) *A. A. S.*, XXII, 43; *Periodica*, XIX, 219. — 3) *A. A. S.*, XXII, 43; *Periodica*, XIX, 219. — 4) *A. A. S.*, XXII, 363; *Periodica*, XIX, 341; *Ius Pontificium*, 1930, 241. — 5) *A. A. S.*, XXVII, 315.

11 — A CORONATA, *Interpretatio authentica*.

6. - Sacra Poenitentiaria, decreto 1 Martii 1939, de mandato Pii XII, abrogavit n. V decreti « *Ut septimi pleni* » 10 Iulii 1924 et decrevit ut « Omnes ecclesiae cathedrales ac paroeciales, ac praeterea aliae ecclesiae aliaque oratoria, pro quibus in amplioribus praesertim paroeciis, ex prudenti locorum Ordinarii arbitrio, fidelium commodum id postulare videatur, a Sacra Poenitentiaria, per supplicem libellum ab Ordinario commendatum, Portiunculae privilegium obtinere possint »⁶.

7. - Sacra Poenitentiaria has normas statuit ad impetrandum Portiunculae privilegium: « Faveant Rever.mi Ordinarii sive parochis et ecclesiarum rectoribus sive Superioribus domuum religiosarum suae dioecesis quae sequuntur nota facere:

1° Petitiones ad indulgentiam Portiunculae die 2 Augusti obtinendam huic Sacro Tribunali mittendae sunt *tempestive*, scilicet non ultra diem 31 mensis Maii uniuscuiusque anni.

2° Nullam posthac rationem hoc Sacrum Tribunal habebit petitionum, quae ad eandem Portiunculae indulgentiam impetrandam per *telegraphum* missae fuerint »⁷.

8. - C. I., 19 Ianuarii 1940, declaravit confessarium, vi can. 935 posse commutare visitationem ecclesiae determinatae etiam pro indulgentia Portiunculae (Vide can. 935).

924 1. - S. Poenitentiaria, 18 Februarii 1921, ad dubium: « Utrum canon 924, § 2 C. I. C. ... abrogaverit decretum s. m. Alexandri VII, die 6 Februarii anno 1657 editum, a singulis Summis Pontificibus initio Pontificatus renovatum, et etiam die 5 Septembris anno 1914 a Ss.mo D. N. Benedicto div. Prov. Pp. XV confirmatum, quo expresse declaratur, indulgentias vulgo *apostolicas* coronis aliisve rebus sic adnecti ut ne transeant personam illorum, pro quibus huiusmodi res benedictae fuerint, vel illorum quibus ab istis prima vice fuerint distributae, atque ne pariter hae res commodari vel precario aliis tradi possint, indulgentias communicandi causa ». Respondit: « Affirmative »¹.

2. - S. Poenitentiaria, 21 Decembris 1925, declaravit: « coronas indulgentiis ditari posse..., dummodo non sint ex stamno, plumbo, vitro aliave simili materia, quae facile confringi vel consumi possit »². Verum si coronae sint ex vitro solido atque compacto benedici possunt³.

6) *A. A. S.*, XXXI, 226; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 51, 172. — 7) Sine datatione in *Il Monitore ecclesiastico*, 1939, p. 175.

Can. — 924. — 1) *A. A. S.*, XIII, 164; *Periodica*, X, 319. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 24; *Periodica*, XV, 69. Circa coronas ex vitro solido confectas cfr. *Periodica*, XI, 42; XIII, 205; XV, 68; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 36 (1924), 332. — 3) *A. A. S.*, XVIII, 24; *Periodica*, XI, 42; XIII, (205); XV, 78; Seraph. De Angelis, *De Indulgentiis*, Asti, 1946, n. 224, p. 140; Gougnard, *De Indulgentiis*, p. 20-21 in nota. Cfr. etiam responsum S. Poenitentiariae 20 Novembris 1923 ad Procuratorem Generalem *Piae Societatis Missionum*, apud *Periodica*, XIII, 205.

3. - S. Poenitentiaria, 22 Septembris 1942, declarationem edidit circa indulgentiam plenariam Crucifixis adnexam solummodo in mortis articulo lucrandam. In ipsa corrigitur opinio asseverantium indulgentiam plenariam adnexam esse illis Crucifixis ab infirmis lucrandam quotiescumque iidem, corde contrito unum ex his Crucifixis osculaverint, dum e contra iuxta declarationem S. Officii, 10 Iunii 1914⁴, et alteram S. Poenitentiariae, 23 Iunii 1929⁵, indulgentia plenaria huiusmodi Crucifixis annexa, necessariis positis conditionibus, solummodo in articulo mortis lucriferi potest⁶.

925 1. - Benedictus XV, in audientia 19 Octobris 1917, « concedere dignatus est ut indulgentias, quibus lucrandis recitatio precum una cum aliquo corporis actu iniungitur, quem mutilati peragere impares sunt, isti lucrari valeant fuis dumtaxat precibus ». S. Poenitentiaria, 22 Octobris 1917¹.

2. - S. Poenitentiaria, 25 Martii 1931, ex benigna concessione Pii XI, extendit indulgentias pio exercitio *Viae Crucis* concessas ad eos qui, absque gravi incommodo nequeunt exercitium peragere ne in forma quidem statuta a Clemente XIV, 26 Ianuarii 1773, si exercitium suppleant « vel osculando vel etiam tantum intuendo, cum affectu et animo contrito, in aliquem crucifixum ad hoc benedictum, eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitando brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam passionis et mortis Iesu Christi Domini Nostri »².

3. - Dubitationes de indulgentiis exercitio *Viae Crucis* concessis auferre volens Pius XI, in audientia 17 Iunii 1931, abrogatis quibusvis aliis, has decernit indulgentias lucrandas a fidelibus singulis vel in comitatu pium exercitium *Viae Crucis* peragentibus: plenariam toties quoties; aliam plenariam si eodem die quo memoratum pium exercitium peregerunt, vel etiam si infra mensem ab eodem decies peracto ad sacram Synaxim accesserint; indulgentiam partialem decem annorum totidemque quadragenarum pro singulis stationibus, si forte inceptum exercitium, quavis rationabili causa ad finem non perduxerint. S. Poenitentiaria, 20 Octobris 1931³.

4. - Fideles, qui ob nimiam affluentiam accedere non valent ad ecclesiam vel oratorium ubi missiones habeantur vel exercitia spiritualia a sacerdotibus Societatis Iesu praedicata, si concionibus assistant in alia ecclesia vel loco pio ubi easdem conciones audiunt ope *megaphoni*, acquirere possunt, aeque ac illi qui praesentes fuerunt in ecclesia ubi conciones habitae sunt, benedictionem papalem cum

4) *A. A. S.*, VI, 347. — 5) *A. A. S.*, XXI, 510. — 6) *A. A. S.*, XXXIV, 303.

Can. 925. — 1) *A. A. S.*, IX, 539; *Periodica*, 70. — 2) *A. A. S.*, XXXIII, 167; *Periodica*, XX, 260. — 3) *A. A. S.*, XXIII, 522; *Periodica*, XXI, 148, et 117*. Huc spectat etiam decretum S. Poenitentiariae 25 Martii 1931, *A. A. S.*, XXIII, 167, et decretum S. C. Indulgentiarum 16 Septembris 1859.

FRANCISCAN FATHERS

PONUS RIDGE, RFD #3, BOX #100

FRANCISCAN.COM

adnexa indulgentia plenaria ab eo impertita qui facultatem eam dandi habet, dummodo tamen benedictio impertiatur in utraque ecclesia vel loco ⁴.

5. - S. Poenitentiariae Apostolicae dubia quae sequuntur pro opportuna solutione proposita fuerunt:

I. Utrum norma decreti d. d. 6 Augusti 1757, quo statuitur ut pro pio exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat ac sistens in qualibet statione ibique recitans consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus, valeat tantum pro publico Viae Crucis exercitio in ecclesia peracto vel etiam quando a religiosis peragitur in suis oratoriis.

II. Utrum in circumstantiis, de quibus in decretis d. d. 27 Februarii 1901 et 7 Maii 1902, quando scilicet in oratoriis religiosorum ob angustiam loci omnes religiosi simul a statione ad stationem sine perturbatione procedere nequeunt, ipsi Indulgentias pio Viae Crucis exercitio adnexas lucrari possint, si unus tantum religiosus vel, respective, una tantum religiosa circumeat et ad quamlibet stationem suetas preces praelegat, ceterisque suo loco manentes, inibi pro qualibet statione exurgant et genuflectant.

III. Utrum in iisdem circumstantiis iam relatis pro religiosis et methodo ab ipsis servata, christifideles qui vitam communem agunt, de quibus in can. 929 C. I. C., Indulgentias pio Viae Crucis exercitio adnexas lucrari possint, si unus vir vel, respective, una mulier stationes Viae Crucis circumeat et suetas orationes recitet.

Et Sacra Poenitentiaria Apostolica die 25 Ianuarii vertentis anni respondendum censuit: Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II et III. *Affirmative*.

927 Episcopi possunt in suo territorio concedere indulgentias etiam religiosis exemptis et etiam in ipsorum religiosorum exemptorum ecclesiis, C. I., 6 Decembris 1930 (Vide can. 349).

929 S. Poenitentiaria, 20 Septembris 1933, definiuit quid significet visitare ecclesiam. (Cfr. can. 934, n. 10).

930 C. S. Officii, 9 Novembris 1922, propositis dubiis: « I. Utrum post can. 930 novi Codicis adhuc perseveret existentia altaris privilegiati pro agonizantibus et quatenus affirmative. — II. Quomodo est intelligenda indulgentia plenaria pro agonizantibus. — III. Utrum celebrans pro pluribus agonizantibus determinare debeat cui applicet indulgentiam plenariam. — IV. Quid in casu, quo sacerdos

¹) S. Poenitentiaria, 13 Aprilis 1935; *Apollinaris*, (1936), 187. — ⁵) S. Poenitentiaria 29 Martii 1946; *A. A. S.*, XXXVIII, 160.

neminem determinet ». Respondit: « Ad I. *Affirmative*. — Ad II. Indulgentiam esse intelligendam tamquam pro vivis per modum absolutionis. — Ad III. *Negative*. — Ad IV. Provisum in III » ¹.

931 1. - Proposita Sacrae Poenitentiariae quaestione de modo interpretandi Litteras Ap. 4 Aprilis 1927 ubi dicitur indulgentia concedi fidelibus *iuxta morem* sacrae Communione refectis; eadem S. Poenitentiaria, 13 Martii 1928, proponentem ad Commissionem Codici interpretando remisit ¹.

2. - S. Poenitentiaria declaravit etiam pro acquisitione indulgentiae Portiunculae sufficere ut confessio et communio fiant intra octiduum a die quo fiunt visitationes et alia opera ².

933 1. - S. Poenitentiaria, 17 Februarii 1922, promulgavit indulgentias apostolicas quas Pius XI in Audientia Maiori Poenitentiario impertita 17 Februarii 1922 se largitum declaravit ¹.

2. - S. Poenitentiaria, 14 Iunii 1922, ad dubium: « Cum indulgentiis apostolicis a S. mo D. N. Pio Papa XI die 17 Februarii 1922 benigne impertitis, praemittantur quaedam monita, quibus sub n. 4 edicitur ex expressa declaratione eiusdem S. mi D. N. per apostolicarum indulgentiarum concessionem nullatenus derogari indulgentiis a Summis Pontificibus iam alias concessis pro precibus, piis exercitiis vel operibus ibi recensitis, humillime quaeritur: Utrum per huiusmodi declarationem reipsa cautum sit, ad normam postremi incisi canonis 933, ut uno eodemque ex operibus in elencho indulgentiarum apostolicarum recensitis plures indulgentiae respective acquiri possint ». Respondit: « *Affirmative*, facto verbo cum SS. mo » ².

3. - S. Poenitentiaria, 11 Martii 1939, promulgavit *Indulgentias Apostolicas* quas Summus Pontifex Pius XII, in audientia eiusdem diei 11 Martii 1939 impertita Cardinali Poenitentiario Maiori, benigne concessit christifidelibus, qui aliquod pietatis vel religionis obiectum, a se vel a sacerdote potestatem habente benedictum, possident ac peculiaribus imperatis conditionibus satisfecerint. Inter monita concessionis addita haec inter alia leguntur: « Ut quis valeat indulgentias apostolicas lucrari, necesse est ut aliquam ex rebus benedictis ab ipso Summo Pontifice vel a Sacerdote facultate praedito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat » ³.

Can. 930. — 1) *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, vol. 103, p. 156; Hilling, *l. c.*, p. 66-67; *II Monitore ecclesiastico*, XXXV (1923), p. 261; *Periodica*, XII, 138.

Can. 931. — 1) Cfr. *Periodica*, XVII, 74. — 2) Sartori, *Enchiridion canonicum*, ad can. 931. Responsum publicatum est in *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, 1928, p. 117 sine datatione.

Can. 933. — 1) *A. A. S.*, XIV, 143; *Periodica*, XI, 41. — 2) *A. A. S.*, XIV, 394; *Periodica*, XI, 125. — 3) *A. A. S.*, XXXI, 132 sq.; cfr. etiam *Indulgentias Apostolicas* a Pio XI concessas initio sui pontificatus 17 Februarii 1922, apud *Periodica*, XI, 39 cum commentario.

934 1. - Benedictus XV, in audientia 19 Octobris 1917, « concedere dignatus est ut indulgentias, pro quibus lucrands recitatio precum una cum aliquo corporis actu iniungitur, quem mutilati peragere impares sunt, isti lucrari valeant fuis dumtaxat precibus ». S. Poenitentiaria, 22 Octobris 1917¹.

2. - S. Poenitentiaria, 21 Iulii 1919, ad dubium: « Quibusdam in locis consuetudo invaluit litanias lauretanas sic cantandi ut: 1. semel tantum recitetur *Kyrie eleison* (Kyrie eleison, Christe eleison, Christe audi nos, Christe exaudi nos); 2. invocationes mariales ternae coniungantur cum unico *ora pro nobis* (Sancta Maria, Sancta Dei Genitrix, Sancta Virgo virginum, ora pro nobis); 3. semel tantum pariter dicatur *Agnus Dei* (Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine, exaudi nos, Domine, miserere nobis). Attento canone 934, § 2 C. I. C., quaeritur: Utrum hac ratione fideles lucrari valeant indulgentias litaniiis adnexas ». Respondit: « Negative. Sanctitas vero Sua... relata sententiam confirmavit, et insuper declarari iussit, praedictam consuetudinem non esse approbandam, ideoque ab Ordinariis prudenter curandum ut, in locis ubi viget, submoveatur »².

3. - S. C. Rituum, 15 Octobris 1920, ad dubium: « An, attento decreto S. Poenitentiariae Apostolicae (Sectio de Indulgentiis) diei 21 Iulii 1919, circa indulgentias litaniiis marialibus adnexas, litaniae lauretanae cantari possint per trinas invocationes, respondente quartam fidei plebe ». Respondit: « Affirmative, seu litaniae lauretanae cantari possunt per trinas invocationes cum singulis respectivis *ora pro nobis*, populo quartam invocationem cum respectivo *ora pro nobis* respondente »³.

4. - « In recitatione Sanctissimi Rosarii, ad faciliorem mysteriorum meditationem, viget in quibusdam regionibus consuetudo addendi cuilibet salutationi angelicae, post verbum *Iesus*, brevem enuntiationem mysterii meditandi, ita ut dicatur, exempli gratia: *Benedictus fructus ventris tui Iesus, qui pro nobis sanguinem sudavit*. Attento autem canone 934, § 2 Codicis iuris canonici, iuxta quem indulgentiae alicui orationi adnexae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem, a quodam oratore privatim quaesitum fuit: Utrum praedicta consuetudo servari et propagari possit, integris manentibus indulgentiis Sanctissimo Rosario adnexis. Et die 27 Iulii 1920, haec Sacra Poenitentiaria respondit: Negative. — Cum autem huiusmodi responsura a praedicto oratore vulgatum fuisset, nonnulli Ordinarii Helveticae et Germanicae Ditionis exposuerunt, consuetudinem praedictam sic invaluisse in suis dioecesibus inde a remota aetate ut absque scandalo et perturbatione fidelium submoveri non possit, atque insuper s. m. Pium IX, anno 1859, pro locis ubi mos

Can. 934. — 1) *A. A. S.*, IX, 539; *Periodica*, IX, 70. — 2) *A. A. S.*, XII, 18; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 54. — 3) *A. A. S.*, XII, 548.

iam invaluerat, elementer indulsisse ut fideles tali ratione Rosarium recitantes valeant eiusdem indulgentias lucrari. — Itaque Sacra Poenitentiaria re mature perpensa censuit: 1) declarandum esse canonem 934, § 2 Codicis iuris canonici continere legem generalem, quae indultum pianum nullimode revocat; 2) Supplicandum Sanctissimo pro extensione eiusdem indulti, favore omnium qui iuxta praedictum morem in quibuslibet locis Sanctissimum Rosarium recitare consueverunt. — Facta autem de praemissis relatione Sanctissimo Domino nostro Benedicto Div. Prov. Papa XV ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiore, in audientia diei 21 huius mensis, Sanctitas Sua enuntiatam declarationem approbavit et indulti extensionem, uti supra, benigne concedere dignata est ». S. Poenitentiaria, 22 Ianuarii 1921⁴.

5. - « I. An in litaniiis lauretanis ita cantari possit prima tripla invocatio ad personas Sanctissimae Trinitatis, ut sacerdos cantet *Kyrie eleison, Christe eleison*, et populus respondeat: *Christe audi nos, Christe exaudi nos*. — II. An loco dicendi ter *Agnus Dei* in fine litaniarum, semel tantum dicatur: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine, exaudi nos Domine, miserere nobis* ». S. C. Rituum, 10 Novembris 1921, respondit: « Negative iuxta Decreta, et servetur integer ordo litaniarum cum indulgentiis adnexis adprobatus, nempe: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison* etc. usque ad finem »⁵.

6. - Ad acquisitionem indulgentiae Portiunculae necessarium est recitare sexies *Pater, Ave, Gloria*. S. Poenitentiaria, 10 Iulii 1924 et 13 Ianuarii 1930 (Vide can. 923).

7. - Pius XI, litteris apostolicis 4 Septembris 1927, indulgentiam plenariam concessit Rosarium mariale coram Sanctissimo Sacramento recitantibus⁶.

8. - S. Poenitentiaria, 29 Aprilis 1930, declaravit fideles ritus rutheni non lucrari indulgentias Rosarii eo quod saluatio angelica illa lingua differt a salutatione angelica ritus latini et quia additur in ipsa mentio mysterii; ex concessione autem Romani Pontificis indulgentiae Rosarii ad tales fideles extensae sunt⁷.

9. - Declaratio S. Poenitentiariae 29 Aprilis 1930, de qua supra, extensa est ad fideles byzantinos Slavicos ab eadem Sacra Poenitentiaria, 31 Ianuarii 1931⁸.

10. - Disputantibus nec in eadem sententiam convenientibus viris doctis circa sensum ac vim clausularum: *visitandi ecclesiam vel*

4) *A. A. S.*, XIII, 163; *Periodica*, X, 318. — 5) *A. A. S.*, XIII, 566; *Periodica*, X, 375. Cfr. etiam responsum eiusdem S. R. C. 6 Novembris 1925, ad VI, ubi statuitur in recitatione Litaniarum absque cantu iterari licere priores invocationes hoc modo: *Kyrie eleison, Kyrie eleison; Christe eleison, Christe eleison; Kyrie eleison, Kyrie eleison*. *A. A. S.*, XVIII, 21. — 6) *A. A. S.*, XX, 376; *Periodica*, XVI, 125, XVII, 74. — 7) *A. A. S.*, XXII, 292; *Periodica*, XIX, 297. — 8) *A. A. S.*, XXIII, 88; *Periodica*, 147.

oratorium publicum vel (pro legitime utentibus) semipublicum, et precandi ad mentem Summi Pontificis, quae indulgentiarum concessionibus non raro addi solent», Pius XI, «ad omnem in posterum dubietatem anxietatemque auferendam benigne declarare dignatus est per visitationem ecclesiae vel (ut supra) oratorii intelligi accessum ad hoc vel ad illam saltem cum intentione quadam generali seu implicita honorandi Deum in se vel in Sanctis suis, aliqua adhibita prece, et quidem prece praescripta, si aliqua imposita fuerit ab indulgentiae largitore, vel aliqua qualibet sive orali sive etiam mentali pro cuiusque pietate ac devotione; clausulae vero *precandi ad mentem Summi Pontificis* plane satisfieri adiiciendo ceteris operibus praescriptis recitationem ad eam mentem unius, ut aiunt, *Pater, Ave et Gloria*, relicta tamen libertate singulis fidelibus, ad normam can. 934, § 1, quamlibet aliam orationem recitandi iuxta uniuscuiusque pietatem aut devotionem erga Romanum Pontificem». S. Poenitentiaria, 20 Septembris 1933⁹.

11. - S. Poenitentiaria declaravit indulgentias adnexas precibus iaculatoriis acquiri posse, ceteris paribus, a fidelibus quibuscumque etiam per mentalem tantum earundem recitationem. S. Poenitentiaria, 7 Decembris 1933¹⁰.

12. - S. Poenitentiaria, 26 Novembris 1934, declaravit verba can. 934, § 2: *Indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem vel interpolationem* intelligenda esse non de quibuslibet additionibus, de tractionibus vel interpolationibus, sed de iis tantum quae earundem substantiam alterent¹¹.

13. - «Die 3 Iunii a. 1888 S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sequens Rescriptum emisit: — S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS.mo D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, benigne declarat, et quatenus opus est indulget, ut Salutatio Angelica prouti hucusque recitari consuevit apud Ruthenos necnon alios Christifideles ritus orientalis, quoties praescribatur uti conditio necessaria ad Indulgentias lucrificandas, aequae valeat ad huiusmodi effectum ut Salutatio Angelica quae recitatur a Christifidelibus Ecclesiae latinae. Contrariis etc.

Cum autem a quibusdam disceptatum fuerit de sensu huius Rescripti, S. Congregatio pro Ecclesia Orientali sequentia dubia Sacrae Poenitentiariae Apostolicae solvenda proposuit:

1. utrum Rescriptum adhuc vigeat;
2. utrum Rescriptum valeat tantum pro fidelibus rituum orientalium, aut etiam pro fidelibus ritus latini, qui recitant Salutationem Angelicam iuxta textum in ritibus orientalibus usitatum;
3. utrum Indulgentiae, recitationi Ss.mi Rosarii B. M. V. ad-

9) *A. A. S.*, XXV, 448; *Periodica*, XXII, 197. — 10) *A. A. S.*, 35; *Revue des Communautés Religieuses*, X (1934), 89; *Periodica*, X, 375. — 11) *A. A. S.*, XXVI, 643; *Ius Pontificium*, XIV (1934), 302; *Periodica*, XXIII, 166.

nexae, lucrificari possint ab omnibus, qui recitant Salutationem Angelicam iuxta textum in ritibus orientalibus usitatum.

S. Poenitentiaria Apostolica, die 21 Martii 1944, ad proposita dubia respondendum censuit:

- ad 1: affirmative;
- ad 2: negative ad primam partem, affirmative ad secundam;
- ad 3: affirmative, sed in publica recitatione nihil immutetur».

S. C. pro Ecclesia Orientali, 22 Aprilis 1944¹².

935 «D. - An confessarii, vi canonis 935, commutare possint visitationem ecclesiae determinatae, etiam ad lucrandas indulgentias *toties quoties et Portiunculae* nuncupatas.
R. - Affirmative». C. I., 19 Ianuarii 1940¹.

947 1. - «In plenario conventu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii habito feria IV die 31 Ianuarii 1917 proposito dubio: An administrato Sacramento Extremae Unctionis in casu necessitatis unica unctione in fronte adhibita, per verba: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen*, cessante periculo, singulae unctiones, ad tenorem decreti diei 31 Ianuarii 1907 supplendae, sub conditione adhibendae sint vel non: Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales... omnibus mature perpensis... respondendum decreverunt: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam». Datum Romae 9 Martii 1917; Romanus Pontifex approbavit 7 Februarii 1917¹.

2. - Decreto S. Rituum Congregationis 9 Augusti 1922, factae sunt hae additiones Rituali Romano: «Titulo V, cap. 1. De Sacramento Extremae Unctionis. — Post rubricam n. 20 sequens instructio addatur: 21. Quando pluribus simul infirmis hoc Sacramentum ministratur, sacerdos singulis aegrotis cruce pie deosculandam porrigat, omnes preces quae unctiones praecedunt, plurali numero semel recitet, unctiones cum respectivis formis super singulos aegrotos efficiat, omnes vero preces quae unctiones subsequuntur, plurali numero semel dicat. — Cap. II. Ordo ministrandi sacramentum Extremae Unctionis. — n. 7... mox dicat: *In nomine Patris... etc.* post verba: *per invocationem* addatur: *gloriosae et sanctae Dei Genitricis Virginis Mariae, eiusque inclyti Sponsi Ioseph et omnium etc.* (uti in oratione, tit. V, cap. 7, Proficiscere etc.)»².

3. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Iunii 1933, approbavit brevioram et brevissimam formulam administrandae Extremae Unctionis pro Coptis Patriarchatus Alexandrini³.

12) *A. A. S.*, XXXVI, 245.

Can. 935. — 1) *A. A. S.*, XXXII, 62.

Can. 947. — 1) *A. A. S.*, IX, 178; *Periodica*, VIII, 192. — 2) *A. A. S.*, XIV, 506.

— 3) *A. A. S.*, XXV, 335.

954 Pius XII, sua Constitutione Apostolica *Episcopalis consecrationis*, 30 Novembris 1944, de duobus Episcopis qui episcopali consecrationi adsunt, sequentia decernit atque statuit: « Licet ad episcopalis consecrationis validitatem unus tantummodo requiratur Episcopus idemque sufficiat, cum essentialia ritus perficiat, nihilominus duo Episcopi, qui ex vetere instituto, secundum *Pontificalis Romani* praescriptum, adsunt consecrationi, debent cum eodem consecratore, et ipsi consecratores effecti proinde consecretores deinceps vocandi, non solum utraque manu caput Electi tangere, dicentes *Accipe Spiritum Sanctum*, sed, facta opportuno tempore mentis intentione conferendi episcopalem consecrationem una simul cum Episcopo consecratore, orationem quoque *Propitiare* recitare cum integra sequenti Praefatione, itemque, universo ritu perdurante, ea omnia submissa voce legere quae consecrator legit vel canit, exceptis tamen precibus ad pontificalium indumentorum benedictionem praescriptis, quae in ipso consecrationis ritu sunt imponenda »¹.

955 1. - « Cum nonnulla ecclesiastica collegia seu Seminaria, quae alumnos ex dissitis civitatibus colligunt, antea actis temporibus, privilegio donata fuerint promovendi ad ordines alumnos sine litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, dumtaxat de consensu Superiorum ipsius collegii, vel de licentia Cardinalis Protectoris collegii et de consensu Rectoris, vel etiam cum litteris testimonialibus Rectoris, quaesitum est, utrum in praesenti, mutatis temporum et locorum adiunctis et Codice iuris canonici promulgato, memorata privilegia adhuc perseverent ». S. Congregatio Consistorialis, de mandato Benedicti XV, rebus mature perpensis, 8 Ianuarii 1920 respondit: « Memoratum privilegium, cessatis causis ob quas concessum est, cessare debere, et ius commune esse restituendum, incolumi tamen iure collegii S. C. de Propaganda Fide ab Urbano VIII, Brevi *Ad uberes*, diei 18 Maii 1638 concesso, aliorumque Seminariorum seu collegiorum promissionibus a S. C. de Propaganda Fide dependentium ». Benedictus XV resolutionem, 5 Novembris 1920, confirmavit, quae 6 Novembris 1920 promulgata est¹.

2. - C. I., 17 Februarii 1930, declaravit Episcopum alienum subditum sine legitimis proprii Episcopi dimissoriis ad primam tonsuram licite promovere non posse (Vide can. 111).

3. - C. I., 7 Decembris 1931, iam declaraverat, responso non promulgato, id quod postea declaravit 24 Iulii 1919, de quo hoc can. n. 4 (Vide can. 111).

4. - « D. - An Episcopus dioecesis, in cuius servitium laicus ad primam tonsuram a proprio Episcopo promotus fuerit, illi iure pro-

Can. 954. — *A. A. S.*, XXXVII, 131-132.

Can. 955. — 1) *A. A. S.*, XIII, 259; *Periodica*, X, 291,

prio et exclusivo ordines conferre aut litteras dimissorias dare valeat ad normam canonis 955, § 1, licet ipse in eadem dioecesi domicilium nondum acquisiverit.

R. Affirmative ». C. I., 24 Iulii 1939².

956 1. - « D. - Quisnam sit Episcopus proprius pro ordinatione illorum qui nullum domicilium habent.

R. - Prout dubium exponitur, est Episcopus loci in quo fit ordinatione, modo tamen ordinandus praevie acquirat domicilium cum iuramento ad normam can. 959 ». C. I., 17 Augusti 1919¹.

2. - Laicus per tonsuram incardinatur dioecesi in cuius servitium ordinatur. S. C. Concilii, 10 Martii 1923².

958 « D. - An vi canonis 310, § 2, conlati cum canone 958, § 1, n. 4, Provicarius apostolicus intra annum a sede vacante litteras dimissorias concedere possit.

R. - Affirmative ». C. I., 20 Iulii 1929¹.

973 1. - S. C. de Sacramentis, 27 Decembris 1930, promulgavit *Instructionem* ad Ordinarios locorum directa, de munere sedulo scrutandi mores candidatorum ante ordinationem (Vide can. 992).

2. - S. C. de Religiosis, 1 Decembris 1931, edidit *Instructionem* ad Supremos religionum et societatum clericalium Superiores, de formatione clericali et religiosa alumnorum (Vide can. 587).

3. - Etiam candidati ad ordines, qui societatibus Missionariorum adscripti sunt et ad S. C. de Propaganda Fide pertinent, emittere debent iusiurandum praescriptum ab Instructione Sacrae Congregationis de Religiosis 1 Decembris 1931, in forma praescripta pro religiosis. S. C. de Propaganda Fide, 27 Iunii 1933¹.

976 S. C. de Religiosis, 27 Octobris 1923, de mandato Pii XI, declaravit in quibuslibet dispensationibus super curriculo studiorum ad sacros ordines suscipiendos concessis modo generali, vel concedendis quovis modo, semper includi, etsi in rescripto id non declaratur, hanc conditionem: « Sacrae theologiae (dispensati vel dispensandi) operam sedulo dare pergant, saltem usque dum praescriptum quadriennium rite compleatur, vetito interim quocumque animarum

2) *A. A. S.*, XXXI, 321.

Can. 956. — 1) Responsum non fuit authentice promulgatum. Publicatum est in *Il Monitoro ecclesiastico*, XXXII (1920), 57. Responsum refertur sub datatione 3 Augusti ab Hilling, l.c., p. 70 ex *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, vol. 103, p. 169; Browne, in *The Irish Ecclesiastical Record*, 1936, p. 531, responsum interpretatur ut « canonis in se certi declarationem »; *Nouvelle Revue Théologique* (1920), 47, 372. — 2) *A. A. S.*, XVI, 51.

Can. 958. — 1) *A. A. S.*, XXI, 573; *Apollinaris*, III, 232 sqs.; *Periodica*, XVIII, 249; *Ius Pontificium*, 1929, 193.

Can. 973. — 1) *Sylloge*, n. 180, p. 454.

ministerio, idest, ne destinentur concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis; super quibus Superiorum conscientia graviter onerata remaneat, servatis ceteris etc.»¹.

984 1. - S. C. Sancti Officii, 14 Ianuarii 1918, declaravit rescissionem integrae manus dextrae non esse impedimentum ad recipiendum Sacramentum Ordinis a quo dispensari nequeat¹.

2. - S. C. de Sacramentis, 1 Iulii 1918, dispensavit, rogante Episcopo, candidatum ad sacros ordines recipiendos qui integrae manus dextrae cum arteriis rescissionem pati coactus erat, at ex medici et magistri caeremoniarum testimonio manu arte facta ritus Missae rite facere poterat².

3. - S. C. Concilii, 10 Februarii 1923 et 13 Iunii 1925, declaravit irregularitatem incurri ob duella academica germanica (Vide canonem 2351).

4. - S. C. de Religiosis, 28 Novembris 1924, declaravit non constare de irregularitate «ob solum defectum oculi sinistri, nulla existente deformitate vel exercitii difficultate»³.

5. - Filii per subsequens parentum matrimonium legitimati sunt considerandi legitimi ad normam can. 1117. C. I., 13 Iulii 1930 (Vide can. 1363)⁴.

6. - Datur quandoque dispensatio ab inquisitione de natalibus legitimis ordinandi, etiam modo generali, si ipsa inquisitio inutilis, vel nimis difficilis vel impossibilis sit. Exemplum huius dispensationis habetur in rescripto S. C. de Propaganda Fide ad Ordinarium Vicariatus Apostolici Bataviae, 7 Februarii 1938⁵.

985 Sectae atheisticae adscripti sunt considerandi ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt. C. I., 30 Iulii 1934 (Vide can. 542).

987 1. - S. C. Consistorialis, decreto 2 Ianuarii 1917, ad Ordinarios Italiae directo certas normas dedit de ordinatione clericorum occasione praesertim belli servitium militare obeuntium. Statuit autem, clericos servitio militari iam addictos vel illud mox adituros ad subdiaconatum nullo modo esse promovendos; clericos vero iam subdiaconos ad superiores ordines promoveri quidem posse, at tantummodo certis sub cautionibus et conditionibus¹.

Can. 976. — 1) *A. A. S.*, XV, 519; *Periodica*, XII, 155.

Can. 984. — 1) *A. A. S.*, XIII, 436. — 2) *A. A. S.*, XIII, 436; *Periodica*, X, 353. — 3) Vide *Analecta Ordinis Minorum Capuccinarum*, vol. 41 (1925), 37. — 4) *Periodica*, XIX, 345 ad III. — 5) *Sylloge*, n. 296, p. 560.

Can. 987. — 1) *A. A. S.*, IX, 15; *Periodica*, VIII, 155.

2. - «D. - I. Utrum, ad sensum canonis 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsitan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati. — Et quatenus negative:

II. Utrum praedicti non solum ad primam tonsuram et minores ordines, sed etiam ad maiores licite promoveri possint, servato tamen, quoadusque hoc bellum perduraverit, decreto *Ut ius certum*. (Decretum *Ut ius certum* est quod supra hoc can. sub datatione 2 Ianuarii 1917 refertur).

R. - Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo ». C. I., 2-3 Iunii 1918².

3. - «D. - Utrum, ad normam canonis 987, impeditis adnumerandus sit is, cuius pater vel mater tantum est acatholicus, alter parens catholicus. — Et quatenus affirmative: An etiam eo in casu, quo matrimonium mixtum datis cautionibus, cum dispensatione ab hoc vetito, contractum fuit.

R. - Affirmative in omnibus ». C. I., 16 Octobris 1919³.

4. - «D. - Utrum nomine *filiorum*, de quibus in canone 987, n. 1, intelligendi sint tantum descendentes in linea paterna usque ad primum gradum.

R. - Affirmative ». C. I., 14 Iulii 1922⁴.

992 1. - S. C. de Sacramentis, 27 Decembris 1930, edidit *Instructionem* de scrutinio ordinandorum. In ipsa plura decernuntur, videlicet: Praemittitur nostris diebus frequentiores esse causas propositas vi can. 249, § 3, ad petendam declarationem nullitatis ordinationis aut onerum ex ordinatione ortorum, ex non satis tempore apto explorata aut libera voluntate ordinandorum. Inculcatur Ordinariis observantia can. 973 quo moralis certitudo vocationis candidati requiritur in Ordinario ad promovendum candidatum. Ordinarii vigilent super qualitatibus admittendorum in Seminaria. Valde interest ut minus idonei a limine eiciantur. Scrutinia huc tendere debent ut causis in processibus contra ordinationem afferri solitis obvietur. Causae autem huiusmodi sunt intrinsecae, ut desiderium obtinendi honores, fugiendi labores manuales, fruendi privilegiis clericalibus etc.; aliae sunt extrinsecae, ut metus gravis candidatis incussus.

Duo scrutinia facienda sunt, alterum ante primam tonsuram, alterum ante Ordines maiores.

Duobus mensibus ante ordinationem seu tonsuram, candidatus petitionem sua manu exaratam exhibeat qua petit suam ordinationem et testatur de sua in hoc faciendo libertate. Moderator Seminarii

2) *A. A. S.*, X, 346; *Periodica*, IX, 149; *Ius Pontificium*, 1922, 22. — 3) *A. A. S.*, XI, 478; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 71. — 4) *A. A. S.*, XIV, 528; *Periodica*, XII, (11); *Ius Pontificium*, 1922, 124.

petitionem, cum attestatione suscepti Baptismatis et Confirmationis et sua personali informatione Episcopo praesentabit. Idem valet de collegiis Urbis et de Seminariis regionalibus, nisi moderator speciale mandatum Episcopi habeat ad faciendas alias investigationes de quibus infra.

Accepta petitione, Ordinarius Moderatori, et si hic desit vel aptus non sit quia in munere recens, alteri sacerdoti mandatum speciale det ad investigationem faciendam apud praefectos et magistros candidati etiam insimul convocatos vel singillatim, de pietate, modestia, castitate, profectu in studio, propensione ad sacras functiones etc. Moderator, factam investigationem scripto remittat ad Episcopum cum suo voto.

Episcopus mandabit praeterea parochi candidati investigationem de antea vita candidati, de vocatione, de pietate, de modo quo se gerit tempore feriarum, num impellatur a parentibus ad sacerdotium. Quam investigationem, si parochus sit candidati consanguineus, Episcopus alii sacerdoti committat. Quaerat praesertim Episcopus num aliquid abnorme ex parentibus in candidatum manasse conieci fas sit, praesertim in materia libidinis.

Deinde Episcopus iterum ad se Moderatorem Seminarii advocet ab eoque inquirat quid de candidati bona fide sentiat. Ubi id expedire videatur aliae etiam personae ab Episcopo interrogandae erunt. Demum Episcopus candidatum ipse per se vel per alium singulatim interroget eumque doceat quaenam sint onera ordinibus adnexa; utrum libere ea sumere intendat et paterne ei promittat auxilium ad animum libere sibi manifestandum.

Alterum scrutinium faciendum est ante Ordines maiores, eodem fere modo ac primum. Inquirendum erit praesertim de vita candidati in Seminario et de profectu in studiis. Si nihil obstet, candidatus scribere debet sua manu declarationem, iureiurando firmandam, qua fatetur se libere omnino ad sacros Ordines accedere et onera adnexa cognoscere. Quae declaratio repetenda erit pro singulis ordinibus. Si, ordine subdiaconatus recepto, candidatus amittat vocationem, vel appareat ipsum numquam vocationem habuisse, res ad Sanctam Sedem deferatur.

Instructioni adduntur tres moduli; primus est *Declaratio propria manu subscribenda a candidato in singulis sacris Ordinibus suscipiendis, iuramento coram Ordinario praestito*; alter, *Inquisitio ope parochorum peragenda*; tertius, *Interrogatorium aliis personis probis proponendum*¹.

2. - S. C. de Religiosis, 1 Decembris 1931, edidit *Instructionem de formatione clericali alumnorum ad sacerdotium vocatorum et de scrutinio ante ordinationem religiosorum faciendo* (Vide can. 587).

Can. 992. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 120; *Periodica*, XX, 255.

1001 S. C. de Sacramentis interrogata de modo servandi can. 1001, § 1 in casibus in quibus ordines sive maiores sive minores in brevi temporis spatio omnes vel plures conferuntur, 27 Aprilis 1928 respondit: « Stetur canoni 1001, § 1, idest si qui inter semestre, vel etiam spatio unius mensis ad plures ordines maiores promovendi sint, Ordinarius poterit exercitiorum spiritualium tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies. Si vero sacri ordines sive beneplacito apostolico, sive decreto Episcopi ad normam canonis 1006, § 3, gravi interveniente causa, servatis tamen servandis, praesertim canonibus 975-978, distinctis et subsequentibus vel proximis diebus, alicui conferantur, ita ut tempus non suppetat servandi praescriptum canonis 1001, § 1, praemissis semper sacro ordini, qui primus erit conferendus, spiritualibus exercitiis saltem per sex integros dies, ceteris ordinibus, si fieri poterit, iudicio Episcopi, ad normam canonis 1001, § 2, una saltem dies spiritualis recessus praemittatur »¹.

1002 S. C. S. Officii, rescripto 28 Ianuarii 1937, interrogata utrum ordinatio ad presbyteratum, in qua calix adhibitus non erat consecratus valida sit ita ut taliter ordinatus continuare possit Missae celebrationem. Respondit: Oratores acquiescant¹.

1006 « D. - An sub verbis *festo de praecepto*, de quibus in canone 1006, § 3, veniant etiam festa per Codicem in universa Ecclesia suppressa.

R. - Negative ». C. I., 15 Maii 1936¹.

1012 1. - Pius XI, Litteris Encyclicis *Casti connubii*, 31 Decembris 1930, totam doctrinam christianam de Sacramento matrimonii exposuit. Praemissa divina institutione matrimonii et eiusdem ad naturam Sacramenti elevatione, exponit Romanus Pontifex tria matrimonii christiani bona, nempe bonum prolis; bonum fidei seu fidelitatem; bonum Sacramenti seu indissolubile vinculum et gratiam sacramentalem. — Deprecatur deinde Romanus Pontifex hodiernam incredulorum matrimoniorum abiectioem; damnat negationem divinae matrimonii originis; matrimonia *ad tempus*, matrimonia *ad experimentum*, matrimonia *amicalia*; studiosam prolis evitacionem vitiatu actu naturae; facinus attentatae vitae prolis in sinu matris; eugenismum exaggeratum quo impeditur ne proles vitiosa nascatur vel quo homines a matrimonio arcentur naturali eos facultate generandi

Can. 1001. — 1) *A. A. S.*, XX, 359. Cfr. *Il Monitore ecclesiastico*, XI, 321 et sqs.; *Periodica*, XVII, 243; *Ius Pontificium*, 1928, 143.

Can. 1002. — 1) *Periodica*, XXVI, 184. Cfr. etiam de eadem re responsum S. C. S. Officii 11 Aprilis 1932, in *Periodica*, XXII, 133-134; et XXI, 157*.

Can. 1006. — 1) *A. A. S.*, XXVIII, 210; *Periodica*, XXV, 207; *Apollinaris*, IX, 590; *Revue des Communautés Religieuses*, III (1936), 122 et *Nouvelle Revue Théologique*, 63 (1936), 916; *The Irish Ecclesiastical Record*, 1936, 425.

ope operationis chirurgicae privando; emancipationem sociale, economicam et physiologicam mulieris; contractum pure civilem et dissolubilem; mixtas nuptias temere initas; divortia et facilitatem ea concedendi. — Indicantur deinde remedia ad mala enumerata et reprobata; huiusmodi remedia sunt: admissio divinae originis matrimonii et eiusdem ad naturam sacramenti elevationis; pietas coniugum christiana qua legi Dei libenter oboediunt; cognitio legum de matrimonio, quamvis de se non sit sufficiens, si pietate separata sit; frequens recordatio dignitatis et virtutis sacramenti; necessaria a puerili aetate ad matrimonium per virtutum exercitium praeparatio; subventio per publicam caritatem et per suppletionem publicae auctoritatis civilis patribus familias praestitam ut sua opera se suosque alere possint. Optime omnia procedent si actio, in hac re, Ecclesiae et actio Status civilis plena concordia concurrant ¹.

2. - Occasione legis civilis in Indiis Hollandicis matrimonium civile praecipientis, Sacrae Congregationi Sancti Officii proposita fuere dubia de his quaestionibus nempe: a) Utrum infideles teneantur, ad valorem suorum matrimoniorum, servare formalitates a lege civili impositas. b) Utrum missionarii catholici fungi possint munere officialis civilis in caeremonia matrimonii civilis.

Sacra autem Congregatio, 22 Iunii 1938, dubiis examinatis sequenti forma respondit:

A) Primum quod attinet:

« 1° Utrum omnia matrimonia Sinensium infidelium, post praedictam legem promulgatam inita secundum morem Sinensium tantum, omitta formalitate civili, invalida haberi debeant:

Resp.: Non certo constare de nullitate matrimonii Sinensium infidelium in circumstantiis propositis.

2° Utrum Sinenses qui, post civilem illam legem promulgatam, in infidelitate non secundum formam a lege civili praescriptam, sed tantum secundum morem popularem Sinensium matrimonium contraxerunt in recipiendo sacramento baptismi debeant in forma Ecclesiae matrimoniale consensum renovare.

Resp.: In recipiendo sacramento baptismi debent renovare consensum in forma ecclesiastica, saltem ad cautelam; ad quam renovationem per se admitti non debent nisi velint actum quoque civilem perficere.

3° Quomodo agendum sit in casibus, in quibus Sinenses catholici revera volunt contrahere in foro Ecclesiae, nolunt autem se subiacere legi civili atque recusant consensum matrimoniale exhibere coram magistratu civili.

Resp.: Missionarii generatim loquendo Sinenses sponso christiano, ad civile matrimonium aptos, ad nuptias ne admittant, nisi

Can. 1012. — 1) *A. A. S.*, XXII, 539; *Periodica*, XX, 42.

prius civili praescripto obtemperaverint vel eidem obtemperare certo parati sint; et interim accurate edoceantur de vero matrimonio christiano et de vi caeremoniae civilis, prae oculis habendo Instructionem super hac re a S. Poenitentiaria datam die 15 Ianuarii 1866 ».

B) Quod attinet ad secundum punctum:

« 1° Utrum in Indiis Neerlandicis permitti possit missionariis ut fungantur munere officialis civilis in matrimoniis contrahendis sive inter catholicos, sive inter haereticos, sive inter infideles.

Resp.: Data opportuna facultate, tolerari posse ut missionarii in praefatis locis praestent assistentiam civilem in matrimoniis catholicorum, haereticorum, infidelium, dummodo tamen: a) nullum matrimonio obstet impedimentum dirimens iuris naturalis vel divini; b) nulla opponatur conditio matrimonii substantiae repugnans; c) nulla actui civili haeretica aut superstitiosa caeremonia adiungatur; d) nullum adsit scandalum vel periculum fovendi indifferentismum religiosum; a quo periculo maxime cavendum erit occasione assistentiae praestitae matrimoniis haereticorum, opportunis adhibitis cautelis ne catholici, hoc exemplo ducti, ex analogicis rationibus adeant ministros haereticos.

2° Utrum praefata facultas se extendat etiam ad matrimonia mixta, et matrimonia catechumenorum.

Resp.: Affirmative.

3° Quo loco et quo ritu celebranda sint matrimonia de quibus supra.

Resp.: Matrimonia inter catholicos celebranda esse in ecclesia solito ritu; matrimonia inter catechumenos vel catholicorum cum catechumenis celebrari posse in ecclesia; cetera matrimonia esse celebranda extra ecclesiam ad normam can. 1109, 3°; quoad sacros ritus servandum esse praescriptum can. 1102, 2°; et habito prae oculis etiam canone 1149 ». C. S. Officii, 28 Iunii 1938 ².

1013 S. C. S. Officii proposito sibi dubio: « An admitti possit quorundam recentiorum sententia, qui vel negant finem primum matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aequae principales et independentes », 29 Martii 1944 respondit: « Negative ». S. Congregatio S. Officii, 1 Aprilis 1944 ¹.

1014 « D. - An stante positivo et insolubili dubio de validitate primi matrimonii, invalidum, vi can. 1014, declarari debeat secundum matrimonium.

R. - Affirmative, dummodo causa definiatur ad ordinarium tramitem iuris ». C. I., 26 Iunii 1947 ¹.

²) *Sylloge*, n. 206 *ter*, p. 574.

Can. 1013. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 103.

Can. 1014. — 1) *A. A. S.*, XXXIX, 374.

12 - A CORONATA, *Interpretatio authentica*.

1016 1. - *Pro Italia* edidit S. C. de Sacramentis, 1 Iulii 1929, *Instructionem* ad Ordinarios et per eos ad parochos de executione sententiarum nullitatis matrimonii etiam in foro civili, ad normam articuli 34 Concordati italici circa matrimonium ¹.

2. - Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, 3 Augusti 1929 misit ad Ordinarios Italiae litteras circulares de executione sententiarum nullitatis matrimonii etiam in foro civili, ad normam articuli 34 Concordati italici ².

3. - S. C. Concilii, decreto 4 Augusti 1931, statuit mutandas esse aliquas formulas catechismi Pii X circa Sacramentum Matrimonii. Mutationes factae erant necessariae vi articuli 34 Concordati italici effectus civiles agnoscentis matrimonio ecclesiastico. Catechismus Pii X communiter in Italia adhibetur (Vide can. 1329) ³.

4. - S. C. de Sacramentis, 1 Iulii 1939 Ordinarios Italiae monuit de articulis novi Codicis civilis italici legendis nupturientibus ad normam Concordati. Novi articuli sunt 141, 142, 143, qui iidem sunt ac articuli veteris Codicis 130, 131, 132 ⁴.

5. - S. C. de Sacramentis, 21 Septembris 1940, dedit Ordinariis et Parochis Lusitaniae *Instructionem* pro executione articulorum Concordati 7 Maii 1940 inter S. Sedem et Rempubicam Lusitanam relativorum ad celebrationem matrimonii pro effectibus civilibus ⁵.

1017 1. - « D. - I. Si quis reclamet ius suum ex sponsalibus valide contractis contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium eritne suspendendum usque dum actum fuerit de iusta causa dispensationis priorum sponsalium et de damnorum reparatione, si qua debeatur?

II. Utrum actio reparationis damnorum, de qua in canone 1017, § 3, pertinet ad forum ecclesiasticum, an ad civile?

R. - Ad I. Negative, seu non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium; actionem vero reparationis damnorum non suspendere matrimonii celebrationem.

Ad II. Actionem reparationis damnorum, de qua in canone 1017, § 3, esse mixti fori ». C. I., 2-3 Iunii 1918 ¹.

2. - « D. - Vis novi Codicis estne retroactiva in his, quae modificantur circa sponsalia et impedimenta tam impedientia quam dirimentia matrimonium, ita ut quodlibet ius acquisitum vigore sponsalium validorum nullimode possit reclamari, nisi in quantum novus Codex concedit, et contracta impedimenta modificata a novo Codice nulla dispensatione indigeant?

R. - Codici, etiam quoad sponsalia et impedimenta, non esse

Can. 1016. — 1) *A. A. S.*, XXI, 351. — 2) *A. A. S.*, XXI, 511. — 3) *A. A. S.*, XXIII, 337; *Periodica*, XXI, 29. — 4) *A. A. S.*, XXXI, 225. — 5) *A. A. S.*, XXXIII, 29-56.

Can. 1017. — 1) *A. A. S.*, X, 345; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 23.

vim retroactivam: sponsalia autem et matrimonia regi iure vigenti quando contracta sunt vel contrahentur, salvo tamen, quoad actionem ex sponsalibus, canone 1017, § 3 ». C. I., 2-3 Iunii 1918 ².

1020 « D. - Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinae christianae, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem?

R. - Parochus servet praescriptum canonis 1020, § 2; et dum ea peragit quae Codex peragenda praescribit, sponso ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa: quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam can. 1066 ». C. I., 2-3 Iunii 1918 ¹.

2. - S. C. de Disciplina Sacramentorum, 29 Iunii 1941, longam *Instructionem* promulgavit « de normis a parochis servandis in peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium ineundum admittat ». Ad calcem instructionis habetur Appendix cum quinque allegatis pro examine nupturientium, testium, parentum vel tutorum nupturientium, pro iureiurando suppletorio, et pro statu documentorum Curiae Episcopali exhibendorum ².

1023 1. - « D. - Si pars post adeptam pubertatem plusquam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus, ut habeatur regularis attestatio libertatis status, longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficitne in casu ad certiorandam libertatem status iuramentum partis cum testimonio duorum, vel, si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus?

R. - Rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, praescribere potest ad normam canonis 1023, § 2 ». C. I., 2-3 Iunii 1918 ¹.

2. - S. C. de Sacramentis, 6 Februarii 1920, proposito dubio: « An Ordinarius per mandatum generale praescribere possit ut parochi ab omnibus nupturientibus, de quibus in can. 1023, § 2, iuramentum de statu libero exigant, quin necessarium sit in omni casu particulari ad Ordinarium recurrere ». Respondit: « Servetur praescriptum Codicis » ².

3. - S. C. de Sacramentis, 4 Iulii 1921, dedit *Instructionem* de probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii. Praemissa querela qua aliqui Episcopi conquesti sunt de negligentia parochorum in verificando et probando statu libero nupturientium, inculcat observantiam *Instructionis* eiusdem Sacrae Congregationis, 6 Martii 1911,

2) *A. A. S.*, X, 345; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 25;

Can. 1020. — 1) *A. A. S.*, 345; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 25. — 2) *A. A. S.*, XXXIII, 297-318; *Il Monitore ecclesiastico*, 1941, 189 sqs. *Instructionem* legere poteris etiam in meo *De Matrimonio*, in Appendice.

Can. 1023. — 1) *A. A. S.*, X, 345; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 25. — 2) *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, vol. 100, p. 28; Hilling, *l. c.*, p. 73.

et eam suffultam praescriptionibus Codicis iterum promulgat. In hac statuitur: 1° Matrimonium non licet nisi de partium baptismo et earum statu libero constat; — 2° Denuntiatio initi matrimonii facienda est ad parochum baptismi vi can. 1103, § 2; — 3° Parochi testimonia de statu libero et denuntiationes de secuto matrimonio petant et transmittant per cancellarium Ordinarii loci; — 4° Cum matrimonia opificum alio transmigrantium quandoque sint vera matrimonia vagorum, in iis servandus est can. 1032, itemque ob alias etiam rationes can. 1031, § 1, n. 3 et 1023, § 2. Immo omnia matrimonia opificum longe transmigrantium a parochis ne celebrentur nisi consulto Ordinario loci; — 5° Si ex recepto testimonio constiterit alterutram partem iam ligatam esse matrimonio, id statim significandum erit parochis contra fas attentati matrimonii; — 6° Instructionis observantia valde commendatur Ordinariis locorum³.

1031 Praescriptio huius can. 1031, § 1, n. 3, de consulendo Ordinario loci servetur semper in matrimoniis celebrandis opificum ex Europa in dissitas regiones transmigrantium (Vide *Instructionem* S. C. de Sacramentis, 4 Iulii 1921, ad can. 1023).

1032 Multa matrimonia opificum ex Europa transmigrantium ut matrimonia vagorum sunt consideranda et ad ea celebranda opus est licentia Ordinarii loci. S. C. de Sacramentis, 4 Iulii 1921 (Vide can. 1023).

1036 1. - « D. - Quid dicendum de matrimoniis, si quae nulla sint ex capite impedimentorum a novo Codice abrogatorum, fiuntne matrimonia illa valida ipsa promulgatione novi Codicis, vel etiam post dictam promulgationem indigent dispensatione, sanatione, etc.?

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 2-3 Iunii 1918¹.

2. - « Utrum responsum Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, datum 2-3 Iunii 1918, sub n. 7 dum in fine dubii apposuit illud *etc.* intelligendum sit ita ut dispensatione vel sanatione eiusmodi matrimonia semper indigeant, an potius convalidari etiam possint ad normam can. 1133, § 1, et 1135? — R. - In dubio de quo quaeritur (quod propositum fuit ab Episcopo Melevitano) non habetur verbum *semper*; et verba *etc.* indicant talia matrimonia convalidanda esse ad normam can. 1133 et sequentibus »².

3) *A. A. S.*, XIII, 348; *Periodica*, X, 351.

Can. 1036. — 1) *A. A. S.*, X, 345; *Periodica*, IX, 154; *Ius Pontificium*, 1922, 53. — 2) Responsum Praesidis Commissionis sine datatione publicatum fuit in *Periodica*, IX, 154, ubi Vermeersch haec addit: « Itaque omnis obscuritas orta est ex modo minus felici quo questio proposita erat. Re vera autem frustranea dispensatio ab impedimentis sublatis non est petenda, sed matrimonia non ipso facto convalidantur, verum observandae sunt normae communes can. 1133 et seqs. ».

3. - Dispensatio ab impedimento disparitatis cultus non amplius secumfert dispensationem ab aliis impedimentis. S. C. S. Officii, 20 Maii 1931 (Vide can. 1070).

1037 « D. - An ad habendum impedimentum publicum, de quo in canone 1037, sufficiat ut publicum sit factum ex quo oritur impedimentum.

R. - Affirmative ». C. I., 25 Iunii 1932¹.

1044 1. - « D. - Utrum in casibus, de quibus in canonibus 1044 et 1045, § 3, censendum sit Ordinarium adiri non posse, cum nec per litteras, nec per telegraphum nec per telephorum ad eum recurri potest; an etiam cum solum per litteras impossibile est, licet per telegraphum vel telephorum id fieri possit.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; seu ad effectum, de quo in canonibus 1044 et 1045, § 3, censendum esse Ordinarium adiri non posse, si non nisi per telegraphum vel telephorum ad eum recurri possit ». C. I., 12 Novembris 1922¹.

2. - S. C. S. Officii, decreto diei 14 Ianuarii 1932, sui stricti muneris esse duxit « omnium Sacrorum Antistitum nec non parochorum aliorumque, de quibus in canone 1044, qui super mixtae religionis ac disparis cultus impedimentis dispensandi facultate aucti sunt, attentionem excitare et conscientiam convenire, ne dispensationes huiusmodi unquam impertiantur, nisi praestitis antea a nupturientibus cautionibus, quarum fidelem executionem, etiam vi legum civilium, quibus alteruter subiectus sit, vigentium in loco actualis vel (si forte alio discessuri praevideantur) futurae eorum commorationis, nemo praepedire valeat; secus ipsa dispensatio sit prorsus nulla et invalida »².

1045 1. - « D. - Utrum, ad normam canonis 1045, § 1, clausula: *quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias*, intelligi debeat stricto sensu, scilicet quod impedimentum antea omnino ignotum fuerit et tunc rescatur; an potius eo sensu quod, quamvis antea cognitum, tunc solum tamen ad notitiam parochi aut Ordinarii sit delatum.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 1 Martii 1921¹.

Can. 1037. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 284; *Periodica*, XXI, 285.

Can. 1044. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 662; *Periodica*, XI, 185; *Ius Pontificium*, 1922, 130. — 2) *A. A. S.*, XXIV, 25; *The Australasian Catholic Record*, 1938, p. 261-266, ubi adhuc sustinetur Vicarium cooperatorem posse, urgente mortis periculo, dispensationem ab impedimento disparitatis cultus concedere, quin cautiones formales a parte acatholica praestitae sint, saltem vi can. 209. Generale Decretum in textu relatum 14 Ianuarii 1932 valet tantum pro illis nationibus in quibus cautiones valent etiam pro foro civili, dummodo in forma in civili legislatione determinata datae fuerint. Cfr. Gasparri, *De Matrimonio*, n. 455.

Can. 1045. — 1) *A. A. S.*, XIII, 178; *The Ecclesiastical Review*, 99 (1938), 175; *Periodica*, X, 326; *Ius Pontificium*, 1923, 129.

2. - C. I., 12 Novembris 1922, declaravit recursum esse impossibilem, si non nisi per telephorum aut telegraphum fieri possit (Vide can. 1044) ².

3. - « D. - An verba *pro casibus occultis* canonis 1945, § 3 intelligenda sint tantum de impedimentis matrimonialibus natura sua et facto occultis, an etiam natura sua publicis et facto occultis.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 28 Decembris 1927 ³.

4. - « D. - An vi can. 81, conlati cum can. 1045, Ordinarius dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus intra fines eiusdem canonis 81, etsi nondum omnia parata sint ad nuptias.

R. Affirmative ». C. I., 27 Iulii 1942 ⁴.

1061 I. - S. C. S. Officii, 5 Aprilis 1918, misit decretum ad Ordinarios Sinenses in quo conceditur ut cautiones, quae scripto obtineri non possunt, oraliter datae sufficiant. Si nec oraliter obtineri possint, remittitur conscientiae et prudentiae Ordinarios iudicare in singulis casibus an cautiones aequipollenter datae sint in facto adscriptionis inter catechumenos etc. ¹.

2. - S. C. de Propaganda Fide in responsione ad Delegatum Apostolicum in Turcarum Republica, 4 Septembris 1931, non admittens petitam dispensationem, obstante impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, addit « iuxta ultimas dispositiones S. Officii, non posse sanari in radice mixta coniugia, nisi habeatur moralis certitudo partem acatholicam universae proles tam natae quam nasciturae catholicam educationem non esse impedituram » ².

3. - S. C. S. Officii, 14 Ianuarii 1932, attentionem eorum qui facultate pollent dispensandi ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus movit super necessitate exigendi cautiones, sub poena nullitatis ipsius concessae vel concedendae dispensationis (Vide can. 1044) ³.

4. - Decretum S. C. S. Officii 13 (14) Ianuarii 1932, non respicit etiam territoria Nigeriae et aliarum regionum africanarum. S. C. de Propaganda Fide, 9 Novembris 1934 ⁴.

5. - Permittit S. Sedes matrimonium catholicorum qui iuxta mores regionis unam vel alteram prolem parentibus paganis educandam tradere debent, dummodo partes paratae sint facere quod in

²) *The Ecclesiastical Review*, 99 (1938), 176. — ³) *A. A. S.*, XX, 61; *The Ecclesiastical Review*, 99 (1938), 175; *Nouvelle Revue Théologique*, 55 (1928), 288, sqs.; *Apollinaris*, I, 245; *Periodica*, XVII, 42; *Ius Pontificium*, 1928, 4. — ⁴) *A. A. S.*, XXXIV, 241.

Can. 1061. — 1) Sartori, *Enchiridion canonicum*, ad can. 1061. — 2) Responsum hoc refertur a Gasparri, *De Matrimonio*, ed. post Codicem, n. 1224. — 3) Cfr. etiam apud Bour-
S. C. S. Officii quo declaratur responsum 14 Ianuarii 1932, non revocare indulta seu facultates eidem contrarias concessa antea Ordinariis Irlandicis. — 4) *Sylloge*, n. 186, p. 462.

se est ad fovendam conversionem et obtinendam educationem catholicam proles. S. C. S. Officii, 19 Februarii 1938 (Vide can. 572).

6. - Sacra Congregatio Sancti Officii, proposito sibi dubio: « Utrum Ordinarii Japoniae, attentis conditionibus particularibus illius regionis, in concedenda dispensatione super impedimentis mixtae religionis aut disparitatis cultus contenti esse possint cautionibus aequipollentibus, si cautiones formales haberi non possint, aut non expediat eas exigere »; die 30 Martii 1938, respondit: « Affirmative, graviter onerata conscientia Ordinarios localium et dummodo pars catholica sincere parata sit praestare quod potest ut proles catholice baptizetur et educetur » ⁵.

7. - S. C. S. Officii proposita fuere sequentia dubia:

I. - « An validum habendum sit matrimonium celebratum inter partem catholicam et partem acatholicam certe non baptizatam, cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, si sola pars acatholica cautiones ad normam can. 1061, § 1, n. 2 (can. 1071) Cod. I. C. praescriptas praestiterit;

II. An validum habendum sit matrimonium celebratum inter partem catholicam et partem acatholicam certe non baptizatam, cum eadem dispensatione, ante Codicis I. C. promulgationem, si sola pars acatholica cautiones praescriptas praestiterit; et quatenus negative ad primum et secundum dubium,

III. Utrum tractandae sint tales causae nullitatis matrimonii ad normam canonum 1990-1992 Cod. I. C., an coram tribunali collegiali ad ordinarium tramitem iuris ».

Quibus dubiis S. Congregatio 7 Maii 1941 ita respondit:

« Ad I et II: negative, nisi pars catholica cautiones *saltem implicite praestiterit*.

Ad III: negative ad primam partem, affirmative ad secundam, nisi in casu particulari certo constet de requisitis in can. 1990; et ad mentem. Mens autem est: Etsi S. Sedes e praxi immemoriali exegerit, et nunc stricte exigat ut conditionibus adimplendis in quibuslibet matrimoniis mixtis cautum sit per formalem promissionem ab utraque parte *explicite* requisitam et praestitam (cc. 1061, 1071), tamen usus facultatis dispensandi, sive ordinariae sive delegatae, invalidus dici nequit si utraque pars *saltem implicite cautiones praestiterit*, id est, eos actus posuerit e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit eam cognoscere obligationem adimplendi conditiones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi ». S. C. S. Officii, 10 Maii 1941 ⁶.

8. - S. C. S. Officii proposita fuere haec dubia:

« 1^o Utrum cautiones quae ad normam can. 1061 praestari debent de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda compre-

⁵) *Sylloge*, n. 206 bis, p. 561. — ⁶) *A. A. S.*, XXXIII, 294-295; *Periodica*, XXX, 319-326.

hendant solummodo prolem nascituram an etiam prolem ante matrimonii celebrationem forte iam natam.

2° Quid sentiendum de matrimoniis celebratis cum cautionibus de prole nascitura, neglecta prole forte iam nata ».

Sacra autem Congregatio 10 Decembris 1941 respondit:

« Ad 1°: affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad 2°: provisum in primo. Et ad mentem; mens autem haec est: quamvis per se, ad normam praefati canonis, cautiones non exigantur de prole forte iam nata ante matrimonii celebrationem, omnino monendos esse nupturientes de gravi obligatione iuris divini curandi catholicam educationem etiam dictae prolis forte iam natae ». S. C. S. Officii, 16 Ianuarii 1942⁷.

1066 C. I., 2-3 Iunii 1918, declaravit, si partes ignorantes sint et instrui renuant, non esse respuendas a matrimonio ad normam can. 1066 (Vide can. 1020).

1067 S. C. de Sacramentis, rescripto 10 Martii 1937, declaravit vocem *impedimenti* in facultatibus quinquennialibus n. 4 contentam stricte intelligendam esse de impedimentis scilicet sensu stricto intellectis de quibus in can. 1067-1080¹.

1068 1. - Quaestio inter doctores est in quo consistat impotentia. Iuxta antiquorum doctrinam copula est perfecta, cum membrum virile vas mulieris ingreditur et in eo virile semen effundit. Alii eam copulam matrimonialem dicunt ex qua sequi possit generatio. Quaestio est adhuc sub iudice, ideoque circa impotentiam dubium iuris adest et in foro iudiciali retinetur copula perfecta ea quae talis dicitur in relata opinione antiquorum. S. R. Rota, 28 Maii 1921¹.

2. - Si oclusa sit vagina ex parte posteriori cum utero coniuncta defectus substantialis habetur qui impotentiam constituit. S. R. Rota, 29 Aprilis 1922².

3. - Quid requiratur ad copulam vere maritalem quae impotentiam excludit definitur in causa rotali 10 Augusti 1922³.

1069 1. - Exemplum mortis coniugis praesumptae ad permittendum transitum ad alias nuptias videri potest in responsum S. Congregationis de Sacramentis 19 Ianuarii 1917. Agebatur in casu de milite ad bellum profecto qui morborum et belli periculis expo-

7) *A. A. S.*, XXXIV, 22.

Can. 1067. — 1) *Periodica*, XXVI, 347; cfr. *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 117 (1937), 430.

Can. 1068. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIII, 114 et sqs., itemque aliae causae in eodem volumine XIII. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XIV, 108 et sqs. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XIV, p. 281 sqs.

situs erat et ultimis litteris a se scriptis affectum pro uxorem demonstrabat et se in familiam rediturus promittebat¹.

2. - S. C. de Sacramentis, 18 Novembris 1920, ex multis indiciis, deficiente tamen documento seu instrumento publico quod haberi non potuit, permisit mulieri ad alias nuptias transire, quia ex ipsis indiciis mors coniugis sat probata apparebat².

1070 1. - Infans in periculo mortis fuit baptizatus a doctore catholico. Cum ageretur de infante filio infidelium educatus fuit in infidelitate nec quidquam sciens de recepto baptismo adultus mulierem infidelem uxorem duxit. Ab ea separatus cum notitiam obtinisset recepti baptismatis, proposita quaestione S. C. S. Officii, S. Congregatio respondit matrimonium fuisse invalidum ob impedimentum disparitatis cultus. S. C. de Prop. Fide, 1 Aprilis 1922¹.

2. - Utrum dispensatio ab impedimento disparitatis cultus implicet dispensationem ab aliis impedimentis, vide in responso S. C. de Propaganda Fide, 2 Decembris 1922².

3. - Post Codicem impedimentum disparitatis cultus non viget amplius inter baptizatum extra Ecclesiam catholicam et non baptizatum. S. C. de Propaganda Fide, 26 Februarii 1924³.

4. - « Excellentia Tua mense Ianuario 1931 Pontificiae Commissioni pro interpretatione Codicis iuris canonici sequens transmisit dubium: — « Utrum post Codicis promulgationem adhuc sustineatur principium a Congregatione S. Officii emissum in Instructione Archiepiscopo Quebecensi die 16 Septembris 1824 tradita:

« Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis a quibus exempta est pars infidelis ut inde huius exemptio propter contractus individualitatem communicata remaneat et alteri ».

Suprema S. Congregatio S. Officii ad quam pro competentia praedictum dubium deductum fuit, per litteras nuper datas sequens super eodem tulit responsum:

« Negative, idest Sancta Sedes dispensando super impedimentis disparitatis cultus non intelligitur dispensare ab impedimentis a qui-

Can. 1069. — 1) Cfr. *Il Monitore ecclesiastico*, 1917, 280-281. — 2) *A. A. S.*, XIV, 96; *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIV, 139. Cfr. etiam apud Bouscaren, I, ad hunc can. 1069, Instructionem S. Officii et varios casus praesumptae mortis coniugis.

Can. 1070. — 1) Cfr. Bouscaren, *l. c.*, I, ad can. 1070. — 2) *Sylloge*, n. 107, p. 207. Vide can. 349. Vide etiam aliud responsum a S. Congregatione de Propaganda Fide datum 20 Maii 1931 sub hoc canone, et responsum S. C. Officii 25 Maii 1932, ibidem. — 3) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Cfr. Sartori, *l. c.*, ad can. 1070, et responsum Praefecti S. C. de Propag. Fide sub die 1 Aprilis 1922, ut invenitur in *Nouvelle Revue Théologique*, 52 (1925), 497, et in *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 107 (1927), 178; item *Niederländische Katholische Stimmen*, 1926, p. 310; *Theologische praktische Quartalschrift*, 90 (1937), 308; Bouscaren, *l. c.*, I ad hunc can. 1070, refert et aliud responsum de eadem re et eodem sensu datum a S. C. S. Officii ad Archiepiscopum Friburgensem editum ab *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 1925, 202.

bus exempta est pars catholica ». Quam sententiam Summus Pontifex benigne adprobavit [in aud. diei 16 mensis Apr. 1931].

Haec tibi communicamus ». S. C. de Propaganda Fide, 20 Maii 1931⁴.

5. - « Utrum in Sinis valere pergat dispositio primi Concilii anno 1924 celebrati, vi cuius secundum antiquam praxim in dispensatione super cultus disparitate Ecclesia dispensare intelligebatur etiam ab impedimentis, a quibus pars infidelis erat exempta; an potius standum sit Decreto S. Officii diei 16 Aprilis 1931, iuxta quod Ecclesia in talibus casibus non intelligitur dispensare ab impedimentis a quibus exempta est pars acatholica ».

Sacra Congregatio Sancti Officii, examinato dubio proposito, 25 Maii 1932, respondit: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam partem. Et ad mentem: mens est ut corrigatur can. 396 Concilii Sinensis anno 1924 celebrati ». S. C. S. Officii, 30 Iunii 1932⁵.

6. - Matrimonium contractum ante Codicem a persona non baptizata cum persona dubie tantum baptizata invalidum est habendum ob impedimentum disparitatis cultus. S. C. S. Officii, 15 Maii 1936⁶.

7. - « D. - An ab acatholicis nati, de quibus in can. 1099, § 2, ad normam can. 1070 subiiciantur impedimento disparitatis cultus, quoties cum parte non baptizata contraxerint.

R. - Affirmative ». C. I., 29 Aprilis 1940⁷.

1071 1. - « Utrum post Codicis promulgationem adhuc sustineatur principium a Congregatione Sancti Officii emissum in Instructione Archiepiscopo Quebecen. die 16 Septembris 1824 tradita: Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio propter contractus individualitatem communicata remaneat et alteri ». S. C. S. Officii respondit: « Negative, i. e. Sancta Sedes, dispensando super impedimento disparitatis cultus, non intelligitur dispensare ab impedimentis, a quibus exempta est pars acatholica ». Atque communicavit S. Congr. de Propaganda Fide, 20 Maii 1931 (Vide canonem 1070, 4)¹.

2. - Hue spectant responsa S. C. S. Officii 10 Maii 1941 et 16 Ianuarii 1942 (vide supra can. 1061).

1076 S. C. S. Officii interrogata quid sentiendum de matrimonio contracto in infidelitate a fratre cum sorore uterina, deinde

⁴) *Sylloge*, n. 157, p. 365; Gasparri, *De Matrimonio*, 594 refert et aliud responsum S. Officii die 14 Martii 1928 datum quo Sacra Congregatio interrogata an valeret post Codicem decretum 16 Septembris 1824, responderat: « Certo non constare de praxi ». — ⁵) *Sylloge*, n. 169, p. 435. — ⁶) Cfr. *Periodica*, XXV, 152*. — ⁷) *A. A. S.*, XXXII, 212.

Can. 1071. — 1) Responsum autem S. C. S. Officii datationem non fert, nec in *A. A. S.* promulgatum fuit. Illud cfr. in *Periodica*, XXI, 16; *Theologische-praktische Quartalschrift*, 90 (1937), 609; cfr. etiam Bouscaren, l. c., I, ad hunc can. 1071.

ad fidem conversis, 13 Decembris 1916, respondit non esse inquietandos¹.

2. - « D. - Quid si copula illicita et occulta praecesserit natiuitatem nubendae, de qua dubitari possit an sit filia vel soror alterius partis?

R. - Provisum per canonem 1076, § 3 ». C. I., 2-3 Iunii 1918².

3. - S. C. de Sacramentis, 1 Augusti 1931, edidit *Instructionem* de dispensationibus super impedimento consanguinitatis in primo lineae collateralis gradu, mixto cum secundo. In ipsa, inculcatur observatio chirographi Gregorii XVI, 22 Novembris 1836; queritur Sacra Congregatio de nimia frequentia qua dispensationes huiusmodi postulatur cum damno morali vitae familiaris. Declaratur iustas et congruenter graves causas pro his dispensationibus obtinendis esse remotionem notabilis scandali, compositionem gravium quaestionum in successione honorum, resolutionem implexarum et valde miserarum conditionum familiarum; suetas vero, quae pro ceteris impedimentis etiam maioris gradus adducuntur, causas pro hoc impedimento non sufficere, nisi forte eadem non singillatim sed cumulative sumptae, tam grave pondus efforment, ut dispensationem suadeant. Preces autem ad dispensationem ab hoc impedimento obtinendam exarentur et commendentur ab Episcopo aut saltem ab eodem sua manu subscribantur et speciali modo commendentur³.

1077 C. I., 2-3 Iunii 1918, declaravit, ad normam can. 1076, § 3, numquam permittendum matrimonium si dubitari possit an nubenda sit soror vel filia alterius partis (Vide can. 1076).

1078 1. - « D. - An vi canonis 1078 ex solo actu, ut aiunt, civili inter eos, de quibus in canone 1099, § 1, independenter a cohabitatione, oriatur impedimentum publicae honestatis.

R. - Negative ». C. I., 12 Martii 1929¹.

2. - Impedimentum publicae honestatis est vinculum iuridicum quo, ratione naturalis decentiae, ad consulendum dignitati et honestati convictus domestici, prohibetur matrimonium personae concubinae cum alterius personae concubinae consanguineis in primo et secundo gradu lineae rectae. Quid autem sit concubinatus publicus et notorius impedimentum pariens describitur in causa agitata a S. Rota 29 Novembris 1930².

1079 1. - C. I., 2-3 Iunii 1918, declaravit cognationem spiritualem ante Pentecosten 1918 contractam, post eundem Pentecosten

Can. 1076. — 1) Cfr. apud Gasparri, *De Matrimonio*, n. 708 in nota. — 2) *A. A. S.*, X, 345; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 51. — 3) *A. A. S.*, XXIII, 413; *Periodica*, XXI, 30.

Can. 1078. — 1) *A. A. S.*, XXI, 170; v. *Theologische-praktische Quartalschrift*, 90 (1937), 406; *Periodica*, XVIII, 173; *Ius Pontificium*, 1929, 106. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 621 et sqs.

diem cessare quidem qua impedimentum matrimoniale ultra terminos can. 768, non cessare vero in aliis effectibus (Vide can. 768).

2. - S. C. de Sacramentis, 24 Iulii 1925, declaravit cognationem spiritualem impedimentum matrimoniale constituere etiam in casu quod ipsa contrahatur a persona quae patrini munere fungatur per procuratorem (Vide can. 765).

1081 1. - Natura rei postulat ad matrimonium contrahendum animi consensum; si in uno contrahente discretio iudicii deest, ex iure naturae, ob defectum consensus valor matrimonii impeditur tam in christianis quam in non christianis. Generalis norma statui difficulter potest quae mentem sanam ab insana discernat. Iudex debet peritorum suffragio uti, quorum tamen conclusiones, etsi concordēs, perpendere tenetur. Nam medici acta examinant iuxta artis praecepta, iudex vero iuxta leges. S. R. Rota, 16 Februarii 1928¹.

2. - Qui externe consensum matrimoniale exprimit, sed interne illum non habet aut substantialiter mutat, is non contrahit matrimonium, quia illud reicit aut aliquid substantialiter diversum inire vult, puta societatem ad tempus. Unde si contrahens excludit vel limitat ius coeundi, vel eius ordinationem ad prolem, vel perpetuitatem vel unitatem, dicens non interpretative tantum, sed positive in mente sua: volo contrahere matrimonium, sed nolo tradere ius in perpetuum et exclusivum, mihi reservo potestatem seu ius vitandae prolis vel adhaerendi aliis, matrimonium est invalidum; deficit enim consensus matrimonialis quod substantiam attinet et sine sua substantia nihil consistere potest. S. R. Rota, 16 Ianuarii 1930².

3. - Actus positi durante hypnosi non sunt liberi, saltem si agatur de hypnosi perfecta, ideo consensus in matrimonium eo tempore poni valide nequit. Actus vero positos post hypnosim ex suggestionē indita in ipsa hypnosi non certo constat ea libertate carere quae necessaria est in contrahendo matrimonio S. R. Rota, 22 Februarii 1930³.

4. - Inter omnes constat amentes seu qui in omnibus rebus insaniant incapaces esse ad quemlibet actum humanum ideoque etiam ad consentiendum matrimonio; dementes vero seu qui solum in una aut altera re insaniant iure merito amentibus in re matrimoniali aequiparantur, si eorum insaniant in ipsum matrimonium feratur. Taliū autem incapacitas est iuris naturalis, unde solum indirecte a Codice tangitur can. 1928. S. R. Rota, 1 Martii 1930⁴.

1086 Canones 1081 et 1086 arcte inter se connectuntur; nam cum iuxta can. 1081 matrimonium uno fiat partium consensu, per se patet eum invalide contrahere qui in matrimonium aliter ac eius natura exigit, consentit. Unde tripliciter haberi simulatio in contra-

Can. 1081. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XX, VI, p. 57, in qua causa plurima disseruntur de amentia et de dementia. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, p. 55 et sqs. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 86 et sqs. — 4) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 125 sqs.

hente potest; si contrahentes externe contrahunt interne vero contractum ipsum omnino reiciunt; externe contrahunt et interne reiciunt obligationes suscipere ex contractu orientes; contrahunt et excludunt non quidem contractum aut obligationes sed earum implementum. In hac postrema hypothesi matrimonium valet, in aliis duabus non valet. S. R. Rota, 19 Decembris 1930¹.

1087 1. - Gravitas metus ab extrinseco non aestimatur solum ex damno obiectivo, gravi aut levi nempe pro omnibus; nam iisdem malis non omnes aequē perturbantur; ideoque sedulo perpendantur oportet et patientis affectio seu aetas, sexus, indoles, institutio, et inferentis ingenium, mores ac potestas in patientem. S. R. Rota, 4 Aprilis 1930¹.

2. - Ad dignoscendum an in casu particulari sermo sit de metu matrimonium irritante non sufficit solum criterium, quod contrahens matrimonium non iniisset, metu non compulsus, quia dari potest metus ob quem quis matrimonium contrahat alias non contracturus, qui tamen metus non sit gravis et iniustus. S. R. Rota, 24 Iunii 1930².

1089 1. - S. C. de Sacramentis, 10 Iulii 1932, misit Litteras circulares ad Ordinarios Italiae ad melius et practice ordinandam materiam matrimoniorum per procuratorem, ne huiusmodi matrimonia difficultatem ex parte Status civilis inveniant qui ea agnoscere recuset. Exigitur inter alia ut mandatum procurae vidimetur ab Ordinario loci ubi ipse mandans degit¹.

2. - S. C. de Sacramentis, Litteris circularibus 10 Novembris 1941, Ordinariis Italiae normas servandas dedit circa transmissionem radiotelephonicam celebrationis matrimoniorum per procuratorem celebratorum a militibus in bello pugnantibus. In his matrimoniis celebrandis servandae sunt omnes leges canonicae et concordatariae matrimonium respicientes; eaeque praesertim quae ad celebrationem per procuratorem referuntur. Transmittitur autem radiotelephonice caeremonia celebrationis seu requisitio, expressio et receptio consensus necnon Missae celebratio, si locum habeat, ad solatium dandum militibus contrahentibus in audienda transmissione celebrationis matrimonii quod ipsum revera non designatum procuratorem ligat².

1092 1. - « Posita semel conditione, haec firma manet, nisi fuerit revocata; et siquidem falso adimpleta retineatur et consensus consequenter exprimitur, huius effectus nullus est; praestitus est enim

Can. 1086. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 669 et sqs.

Can. 1087. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 202 et sqs. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 359 sqs.

Can. 1089. — 1) Litterae non sunt promulgatae in *A. A. S.* Publicavit autem eas *II Monitore ecclesiastico*, XLIV (1932), 227. — 2) Cfr. Litteras circulares apud *II Monitore ecclesiastico*, 1941, 269-271.

in hypothesi conditionis adimpletae secundum veritatem, et non secundum falsitatem; et ideo perinde est habendus ac non praestitus ». S. R. Rota, 19 Iunii 1920 ¹.

2. - In conditione potestativa seu arbitraria, cuius nempe executio pendet a voluntate compartis, haec valent, si agitur de conditione suspensiva, cuius obiectum est aliquid perpetuo faciendum, v. g. sponsi recessus ab ebrietate: « Ne in absurdum incidatur quod matrimonii valor, a quo honestus ipsius usus pendet, maneat perpetuo incertus, censendum est, rei substantia cogente, quod conditioni subest ipsa promissio oneris ex animo praestanda a comparte, non vero futurum promissionis implementum ut pluries tenuit Rota. ... Quare obligatione sincere suscepta a comparte, matrimonium valet; quodsi in posterum obligatio non adimpleatur, matrimonium ex hoc tantum non dici potest invalidum. Facta vero promissione, ex animo facta praesumitur, nisi contrarium evidenter probetur ». S. R. Rota, 20 Februarii 1929 ².

3. - « Conditio proprie dicta tunc habetur quando pars, explicito voluntatis actu, suum consensum existentiae alicuius qualitatis alligavit, ita ut, si qualitas deficiat, etiam consensus, qualitati subordinatus, deficere debeat ». S. R. Rota, 11 Iunii 1930 ³.

4. - Conditio de futuro contingenti illicito vel turpi pro non adiecta habetur, quia ius praesumit eas serio apponi matrimonio non posse. At ista praesumptio est *iuris* tantum, quae proinde probationem in contrarium admittit. Conditiones contra substantiam matrimonii adiectae semper attenduntur et matrimonium irritant. S. R. Rota, 16 Iulii 1930, 25 Iulii 1930 ⁴.

5. - Conditiones fere numquam in ipsa matrimonii celebratione apponuntur. At appositae ante matrimonium nec virtualiter revocatae permanent et in consensum influunt. Revocatio conditionis appositae est factum et demonstrandum est. — Conditio semel appositae non tollitur certitudine, quae post conditionis appositionem ex factis investigationibus oritur. Certitudo enim movens ad celebrationem matrimonii veritatem obiectivam supponit. Si autem veritas obiectiva desit, licet ex certitudine subiectiva matrimonium contrahatur, conditio adimpleta non est, et consensus in matrimonium non evadit purum. S. R. Rota, 25 Iulii 1930 ⁵.

6. - Si conditio eventum futurum et contingentem respicit, matrimonium tam diu suspenditur donec eventus aut continget aut non continget; tunc igitur si eventus continget, consensus completur et matrimonium efficitur; eventu autem deficiente, consensus cadit et matrimonium non efficitur. « Ad dignoscendum autem an revera con-

Can. 1092. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XII, 172; et 8 Iunii 1929 *Decisiones seu sententiae*, XXI, 217-231. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXI, 112-124. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 326-338. — 4) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 401 et sqs.; 450 et sqs. — 5) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 401 et sqs.

trahens alligaverit suum consensum conditioni, inquiri praesertim debet, quanti aestimaverit contrahens ante nuptias illam qualitatem, cuius existentiae affirmat se alligasse consensum, et quomodo post nuptias se gesserit, ut primum cognovit conditionem appositam non esse purificatam. Quo pluris enim antea illam qualitatem aestimaverit, quo celerius postea abruptit vitam conjugalem, eo facilius probari potest contrahentem noluisse matrimonium inire si non exstiterit in altera parte qualitas, quam in asserta conditione postulaverat ». S. R. Rota, 11 Augusti 1930 ⁶.

1094 1. - In Germania matrimonia mixta inter decretum *Ne temere* et Codicem iuris canonici regebantur eodem decreto temperato Constitutione Apostolica *Provida*, et non servata forma canonica valida erant. Quod ius novo Codice abrogatum est. S. R. Rota, 20 Iulii 1931 ¹.

2. - « Utrum in facultate data Ordinariis Sinensibus die 31 Augusti 1908, dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus, sub verbis *missionum rectoribus*, in locis missionum ubi quasi paroeciae canonicae erectae existunt, comprehendantur etiam vicarii cooperatores. Sacrum hoc dicasterium, re mature perpensa, respondendum censuit: *Affirmative*, nempe Ordinarii Sinarum, iuxta dispositionem decreti 109 primi Concilii Sinensis, possunt, servatis servandis, subdelegare facultatem de qua agitur etiam vicariis cooperatores quasi parochorum ». S. C. de Propaganda Fide, 12 Aprilis 1933 ².

3. - In Italia etiam cappellani castrenses matrimoniis assistere possunt servato praescripto can. 1097, § 2, et can. 1103, §§ 1 et 2. S. C. Consistorialis, 13 Aprilis 1940, n. 7 ³.

1095 1. - C. I., 10 Martii 1928, declaravit revocatam esse a can. 1102, § 1, facultatem pro certis locis a Sancta Sede ante Codicem concessam assistendi passive matrimoniis mixtis illicitis (Vide can. 1102).

2. - Sacerdos, qui ut testis *authorizabilis* assistit matrimonio, suo munere fungi non potest nisi percipiat et intelligat quid agatur, secus non est praesens in sensu iuris. Quapropter si parochus vel delegatus assisteret matrimonio perfecte ebrius matrimonium esset nullum ex defectu formae. S. R. Rota, 31 Ianuarii 1929 ¹.

6) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 568-583.

Can. 1094. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 462 et sqs.; C. I. 9 Decembris 1917, apud De Smet, *De Spons. et Matrim.*, n. 143, p. 118. — 2) *Sylloge*, n. 177, p. 451. — 3) *A. S.*, XXXII, 280-281.

Can. 1095. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXI, p. 82.

3. - Huc spectant etiam plura responsa C. I., de quibus in canone 1096.

1096 I. - Iure ante Codicem vigente probabiliter ad assistendum valide matrimonio sufficebat parochi vel Ordinarii licentia tacita proprie dicta. Unde iuxta hanc doctrinam ex tali licentia celebratum matrimonium validum habendum erat. S. R. Rota, 9 Iulii 1918¹.

2. - « D. - I. Utrum vicarius substitutus, de quo in canone 465, § 4, possit post Ordinarii approbationem licite et valide assistere matrimoniis, si nulla limitatio appositae fuerit.

II. Utrum idem vicarius id possit etiam ante Ordinarii approbationem.

III. Utrum idem vicarius parochi religiosi id possit post approbationem Ordinarii, sed ante approbationem Superioris religiosi.

IV. Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in citato canone 465, § 5, id possit ante approbationem Ordinarii.

R. - Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit ». C. I., 14 Iulii 1922².

3. - « D. - I. Utrum vicarius oeconomus legitime constitutus in paroecia vacante, ad normam canonum 472 et 473, possit licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum.

II. Utrum id possit vicarius substitutus, de quo in canone 465, § 4, post Ordinarii approbationem, si nullam limitationem Ordinarius apposuerit.

III. Utrum vicarius parochi religiosi id possit post Ordinarii approbationem, sed ante approbationem Superioris religiosi.

IV. Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in citato canone 465, § 5, id possit ante Ordinarii approbationem.

V. Utrum id possit vicarius adiutor parochi impari suis muniis rite obeundis, legitime constitutus ad normam canonis 475, § 1.

VI. Utrum id possit vicarius cooperatore, de quo in can. 476, in scio paroco.

R. - Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit.

Can. 1096. — 1) *Decisiones seu sententiae*, X, 78 et sqs. — 2) *A. A. S.*, XIV, 527; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 121.

Ad V. Provisum in citato canone 475, § 2.

Ad VI. Provisum in citato canone 476, § 6 ». C. I., 20 Maii 1923³.

4. - « D. - Utrum, ad normam canonis 1096, § 1, sacerdos sit determinatus, si parochus Superiori monasterii in casu particulari declaret, se ad matrimonium proxima Dominica in ecclesia filiali celebrandum delegare aliquem sacerdotem religiosum, qui a Superiore sequentibus diebus ad Missam die Dominica ibi celebrandam deputabitur.

R. - Negative ». C. I., 20 Maii 1923⁴.

5. - « An certo constet cappellanos carcerum fuisse institutos tamquam veros parochos aut saltem tamquam vicarios cooperatores, ad effectum validae adsistentiae matrimoniis, in casu ». S. C. Concilii, 9 Ianuarii 1926, respondit: « Negative et ad mentem »⁵.

6. - « D. - I. An vicarius cooperatore, qui ad normam canonis 1096, § 1, a paroco vel loci Ordinario generalem obtinuit delegationem assistendi matrimoniis, alium determinatum sacerdotem subdelegare possit ad assistendum matrimonio determinato.

II. An parochus vel loci Ordinarius, qui, ad normam canonis 1096, § 1, sacerdotem determinatum delegaverit ad assistendum matrimonio determinato, possit ei etiam licentiam dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum eidem matrimonio.

R. - Affirmative ad utrumque ». C. I., 28 Decembris 1927⁶.

7. - Decretum *Ne temere* modum concedendae licentiae determinavit. Post ipsum licentia danda est sacerdoti certo et determinato et valet intra limites territorii eam concedentis. Codex addidit ut licentia detur *expresse*; unde excluditur licentia tacita, praesumpta, interpretativa vel mera tolerantia aut rati habitio. Licentia scripto, verbis signisve aut factis vere concludentibus, quae nempe demonstrent intentionem concedentis, manifestanda est. Lex non requirit ut scripto detur licentia. S. R. Rota, 16 Maii 1929⁷.

8. - Delegatio danda est sacerdoti determinato, unde excluditur delegatio generice data vel designatio sacerdotis per tertiam personam vel per sponso; at necesse non est ut delegatus deleganti notus sit. Item delegatio ad assistendum matrimonio debet esse expressa. Exprimi autem potest sive scripto, sive verbis, sive etiam aliis signis positivis aequivalentibus. Exclusa vero est licentia seu delegatio prae-

3) *A. A. S.*, XVI, 114; *Periodica*, XLII, 84; *Ius Pontificium*, 1924, 68. — 4) *A. A. S.*, XVI, 115; *Periodica*, XLII, 86; *Ius Pontificium*, 1924, 68. — 5) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*; *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIX, p. 225 et sqs. haec addit: « La mente aggiunta alla risposta della S. Congregazione non la conosciamo, ma è ben agevole indovinarla: che cioè, se vi sono veri inconvenienti nel seguire, come si è fatto finora, il diritto comune, col domandar la delega al parroco o all'Ordinario, e ove occorra il necessario, il Vescovo conferisca a tali istituti la esenzione a norma del can. 464, § 2, e della citata risoluzione del 1 Febbraio 1908, ad X ». — 6) *A. A. S.*, XX, 61; *Nouvelle Revue Théologique*, 55 (1928), 291; *Apollinaris*, I, 104; *Periodica*, XVII, 43; *Ius Pontificium*, 1928, 5. — 7) *Decisiones seu sententiae*, XXI, 194-205.

sumpta vel interpretativa quae in rerum natura non existit et nihil operatur, aut mera tolerantia, nec item sufficit licentia tacite data, S. R. Rota, 14 Maii 1930 ⁸.

9. - « D. - Cum vicarius cooperator ex praescripto can. 476, § 6 debeat ratione officii parochi vicem supplere eumque adiuvari in universo paroeciali ministerio, quaeritur: An valide assistere matrimoniis possit atque etiam delegare ad assistendum iisdem, si ex statutis dioecesanis aut ex parochi commissione non constet de facta iurium limitatione ». Eminentissimus Card. P. Gasparri, praeses Commissionis, 13 Septembris 1933 respondit: « Negative ad utrumque » ⁹.

10. - Etiam cappellani castrenses in Italia assistere possunt matrimoniis. S. C. Consistorialis, 13 Aprilis 1940, n. 7 (Vide can. 1094, n. 3).

11. - Vicarius cooperator ratione officii nequit matrimoniis assistere. C. I., 31 Ianuarii 1942 (Vide can. 476, nn. 4-5).

12. - Delegatus episcopalis etiam ad universitatem negotiorum nequit matrimoniis assistere. C. I., 25 Ianuarii 1943 (Vide can. 199).

1097 1. - S. C. de Sacramentis, 2 Iulii 1917, proposito dubio: « An vidua ad solum matrimonium ecclesiasticum admitti possit, si per matrimonium civile ineundam pensionem militarem amitteret ». Respondit: « Non esse recedendum a praxi S. Congregationis ideoque amissionem pensionis non esse causam sufficientem permittendi celebrationem matrimonii absque ritu civili. Quod si aliae habentur circumstantiae, recurrendum in singulis casibus. Sanctissimus resolutionem confirmavit. Agitur de causa ex quadam dioecesi italica oriunda » ¹.

2. - C. I., 2-3 Iunii 1918, declaravit remittendum esse prudenti iudicio Ordinarii loci, qui exigere poterit in casu iusiurandum suppletorium, utrum permitti statim possint nuptiae parti quae post pubertatem plusquam per sex menses morata sit in longissimis et dissitis oris, si matrimonii necessitas urgeat (Vide can. 1023).

3. - S. C. de Sacramentis, 4 Iulii 1921, edidit *Instructionem* de probatione status liberi, relate praesertim ad opifices qui ex Europa in dissitas regiones demigrant (Vide can. 1023).

4. - S. C. Consistorialis, *communicatione* 26 Ianuarii 1923, Ordinariis Italiae commendavit ut eos qui ex Italia in Americam aliasve regiones migrant vel migraverint, muniri eurent *tessera* quadam *ecclesiastica*, in qua indicetur nomen, locus originis, quando et ubi baptismum et confirmationem receperint, et quinam sit praesens eorum status, utrum scilicet liberi sint, an coniugati, cum filiis vel non, an vidui ².

⁸) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 275-281. — ⁹) Cfr. *Apollinaris*, VII (1934), 77.

Can. 1097. — 1) *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, vol. 103, p. 158; Hilling, *l. c.*, p. 74. — 2) *A. A. S.*, XV, 112.

1098 1. - D. - Cum in nonnullis regionibus parochis civili lege graviter prohibeatur quominus matrimonio assistant nisi praemisso civili connubio, quod non semper praemitti potest, et tamen ad mala praecavenda et pro bono animarum matrimonium celebrari expediat: quidam horum locorum Antistites a S. C. de Disciplina Sacramentorum efflagitarunt: an et quomodo his in adiunctis providendum sit.

R. - Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valeat ab impedimento clandestinitatis, permittendo ut in relatis adiunctis matrimonium cum testibus valide et licite contrahatur. S. C. de Sacramentis, 31 Ianuarii 1916 ¹.

2. - « D. - Utrum, secundum canonem 1098, ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum sufficiat factum absentiae parochi, an requiratur etiam moralis certitudo, ex notorio vel ex inquisitione, parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 10 Novembris 1925 ².

3. - Ad hoc ut valeat matrimonium in forma can. 1098 requiritur factum absentiae parochi et moralis certitudo ex notorio vel ex inquisitione parochum per mensem haberi vel adiri non posse sine gravi incommodo. Deficiente facto absentiae aut certitudine morali matrimonium validum haberi non potest. S. R. Rota, 30 Ianuarii 1926 ³.

4. - « D. - An canon 1098 ita intelligendus sit ut referatur tantum ad physicam parochi vel Ordinarii loci absentiam.

R. - Affirmative ». C. I., 10 Martii 1928 ⁴.

5. - « D. - An *ad physicam parochi vel Ordinarii loci absentiam*, de qua in interpretatione diei 10 Martii 1928 ad canonem 1098, referendus sit etiam casus, quo parochus vel Ordinarius, licet materialiter praesens in loco, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat, requirens et excipiens contrahentium consensum.

R. - Affirmative ». C. I., 25 Iulii 1931 ⁵.

6. - S. C. de Propaganda Fide, 12 Aprilis 1933, declaravit facultatem datam Ordinariis Sinensibus 31 Augusti 1908, dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus verae necessitatis subdelegari posse etiam vicariis cooperatoribus quasi parochorum ⁶.

Can. 1098. — 1) *A. A. S.*, VIII, 36; cfr. etiam rescriptum S. Congregationis de Sacramentis, 16 Iunii 1922 itemque responsa eiusdem Congregationis ad Episcopum Metensem, 25 Maii 1920, et ad Ordinarium Paderbornensem, 9 Martii 1916, apud De Smet, *De Sponsibus et Matrimonio*, n. 136. — 2) *A. A. S.*, XVII, 583; *Periodica*, XIV, 185; *Ius Pontificium et Matrimonio*, n. 136. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XVIII, 17-21. — 4) *A. A. S.*, XX, 120; *Ius Pontificium*, 1926, 83. — 5) *Decisiones seu sententiae*, XVIII, 17-21. — 6) *Declarationis Pontificiae*, 1928, 5. — 5) *A. A. S.*, XXV, 388; *Periodica*, XXI, 42. — 6) Declaratio non fuit promulgata in *A. A. S.* Eam refert Sartori, *l. c.*, ad can. 1098. Cfr. etiam can. 1094, 2.

7. - « Ad dubium propositum ab Episcopo Meten. pro opportuna solutione: An scilicet, ratione habita responsi dati a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos diei 25 Iulii 1931 relate ad can. 1098, ad hunc canonem referendus sit casus, quo parochus vel Ordinarius celebrationi matrimonii religiosi assistere nequit, quia lege civili prohibetur, etiam sub poena, matrimonium coram Ecclesia celebrare, nisi praecesserit matrimonium sic dictum civile, et hoc ab auctoritate civili omnino recusatur, v. g. ob defectum instrumentorum quae lex civilis requirit. S. Congregatio de disciplina Sacramentorum rescribendum censet: Affirmative. Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. C. die 24 Aprilis 1935 »⁷.

8. - « D. - Utrum grave incommodum, de quo in can. 1098 sit tantum illud quod immineat parochi, vel Ordinario, vel Sacerdoti delegato qui matrimonio assistant, an etiam illud quod immineat utriusque vel alterutri matrimonium contrahenti.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 3 Maii 1945⁸.

1099 I. - C. I. declaravit, 9 Decembris 1917, exemptionem a formalitatibus decreti *Ne temere* qua ante Codicem fruebantur Imperium Germanicum et Regnum Hungariae circa celebrationem matrimoniorum mixtorum, promulgatione Codicis abrogatam esse¹.

2. - « Ad consultationem Reverendissimi Ordinariatus Pragensis S. C. S. Officii ita respondit: in consessu habito feria IV, die 26 Novembris 1919, propositis precibus istius Archiepiscopalis Curiae, datis die 5 Aprilis 1918, quibus petis quomodo se gerere debeat in excipiendo consensu sacerdos, qui adsistit celebrationi matrimonii inter catholicum et acatholicum, qui non dant cautiones. Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum mandarunt, in omnibus servandas esse praescriptiones Codicis I. C. Hinc sacerdos his matrimoniis adsistere nequit, nisi, praestitis cautionibus, obtenta fuerit dispensatio super impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, ad normam can. 1060 et 1061; consensum vero requirendum ad normam can. 1102 et 1095. Contrariae S. Sedis praescriptiones atque contraria indulta per ipsum Codicem I. C. abrogata sunt.

R. Card Merry del Val »².

3. - « 1^o Utrum can. 1099, 2 ita intelligendus sit, ut nomine *acatholici non baptizati* veniat etiam ethnicus, aliis verbis, utrum protestantes baptizati cum ethnicis matrimonium contrahentes, valide contrahant.

7) *Collectanea Mechliniensia*, XXVI, 69; *Periodica*, XXVII, 45. — 8) *A. A. S.*, XXXVII, 149.

Can. 1099. — 1) Cfr. apud De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 143, p. 118 ubi in nota 2 et de alia simili declaratione, 30 Martii 1918. — 2) Cfr. De Smet, n. 512, p. 448, nota 1; cfr. etiam can. 1102, n. 1.

2^o Si affirmative, utrum matrimonia protestantium baptizatorum cum ethnicis ante promulgationem Codicis contracta (quae haec tenus invalida consebantur), valida evadant per promulgationem Codicis, obice legis amoto, perseverante vero consensu.

Infrascriptus Eminentissimus Cardinalis Commissionis Praeses respondet:

Ad Ium *Affirmative* ad primam partem, scilicet, nomine acatholici non baptizati venire etiam ethnicum. Quare persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem in haeresi vel schismate conversa, licet sive haec sive illa ab Ecclesia catholica postea defecerint, cum ethnico matrimonium contrahens, invalide contrahit ob impedimentum disparitatis cultus, de quo in can. 1070, 1. Imo taliter contrahentes, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento disparitatis cultus, tenentur insuper ad formam canonicam celebrationis matrimonii servandam, ad normam can. 1099, § 1, n. 2. — At protestantes vel schismatici in haeresi vel schismate licet valide baptizati, nec ad Ecclesiam catholicam in haeresi vel schismate conversi, cum ethnicis matrimonium contrahentes, valide contrahunt ex novo Codice, quia nec detinentur impedimento disparitatis cultus, nec tenentur ad formam canonicam celebrationis matrimonii servandam.

Ad 2um *Negative*. Scilicet matrimonia protestantium baptizatorum cum ethnicis ante promulgationem Codicis contracta, valida non evaserunt per promulgationem Codicis, sed etiam cessante, ope legis, impedimento disparitatis cultus in casibus de quibus dictum est supra, matrimonia convalidari debent per renovationem consensus, ad normam canonis 1133.

Immo matrimonia invalide, ob impedimentum disparitatis cultus, contracta cum ethnico a persona in catholica Ecclesia baptizata, vel ad eam ex haeresi vel schismate conversa, sive haec sive illa ab Ecclesia catholica postea defecerint, convalidari debent per renovationem consensus in forma iuris praescripta, seu in forma canonica celebrationis matrimonii, ad normam can. 1135, § 1 ». C. I., 3 Decembris 1919³.

4. - *In catholica Ecclesia baptizati* considerantur illi qui ab acatholicis nati, a catholico fuerunt in necessitate baptizati. S. C. de Propaganda Fide, 1 Aprilis 1922⁴.

5. - S. C. S. Officii, 1 Maii 1925, declaravit non constare de nulitate matrimonii celebrati in America a muliere graecomelchita catholica, cum viro graeco schismatico coram ministro greco-schismatico anno 1912⁵.

6. - « D. - An ab acatholicis nati, de quibus in canone 1099, § 2,

3) *Sylloge*, n. 75, p. 128. — 4) Apud De Smet, n. 140, p. 114, n. 2; *Nouvelle Revue Théologique*, 1925, 497 sq. — 5) Vide hanc causam apud *Periodica*, XIV, 99.

tionem nuptiarum, Missa votiva pro sponsis celebrari poterit, exceptis tamen Dominicis, festis de praecepto etiam I et II classis, octavis privilegiatis I et II ordinis, feriis privilegiatis et vigilia Nativitatis Domini; Ad III. Negative in utraque vigilia »¹.

1109 An testes, parentes et propinqui admitti possint in presbyterio tempore celebrationis matrimonii. Quaestioni ita propositae, 20 Novembris 1940, ita respondit Sacra Rituum Congregatio: Rationabiliter testes, sui officii causa, in presbyterio intersunt matrimonio, non vero ceteri parentes aut propinqui¹.

1113 Parentes ius naturale habent circa educationem filiorum. Encyclic. Pii XI, 31 Decembris 1929 (Vide can. 1372)¹.

1116 1. - C. I., 13 Iulii 1930, declaravit filios per subsequens parentum matrimonium legitimatos habendos esse uti legitimos ad effectum de quo in can. 1363, § 1 (Vide can. 1363).

2. - « D. - An vi canonis 1116 per subsequens parentum matrimonium legitima efficiatur proles, ab eisdem genita detentis impedimento aetatis vel disparitatis cultus, quod cessaverit tempore initi matrimonii.

R. - Negative ». C. I., 6 Decembris 1930¹.

1117 Filii legitimatedi subsequenti matrimonio admitti possunt in seminarium. C. I., 13 Iulii 1930 (Vide can. 1363).

1119 1. - S. C. de Sacramentis, 7 Maii 1923, edidit Decretum de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato; itemque *Normas* servandas in processibus super matrimonio rato et non consummato¹.

2. - Iusta causa requiritur ad valorem dispensationis a matrimonio rato non consummato inter baptizatos vel inter partem baptizatam et non baptizatam. S. R. Rota, 20 Martii 1926².

3. - S. C. de Sacramentis, 27 Martii 1927, edidit *Normas* observandas in processibus super rato et non consummato ad praecavendam dolosam personarum substitutionem³.

4. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 10 Iunii 1935, dedit *Instructionem* pro processibus super rato et non consummato⁴.

Can. 1109. — 1) *Perfice Munus*, 1941, 233-492; *Il Monitore ecclesiastico*, 1941, 168-169.

Can. 1113. — 1) *A. A. S.*, XXII, 49. Cfr. etiam Decretum S. C. Concilii 12 Ianuarii 1935, *A. A. S.*, 145, ad can. 1329.

Can. 1116. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 25; *Ius Pontificium*, XI (1931), 105; *Periodica*, XX, 149.

Can. 1119. — 1) *A. A. S.*, XV, 389. Haec documenta invenire poteris etiam in Appendice I ad III vol. M. a Coronata, *Institutiones iuris canonici*; *Periodica*, XII, 106 et 113. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XVIII, 76-92. — 3) *A. A. S.*, XXI, 490. — 4) *A. A. S.*, XXVII, 333.

1120 1. - S. C. S. Officii, 2 Aprilis 1924, declaravit « perpensis omnibus casus adiunctis, mulierem admitti posse ad novum matrimonium cum viro catholico contrahendum ». Agebatur de muliere acatholice baptizata et educata quae anno 1919 matrimonium inierat cum viro iudaeo. Anno 1924 mulier conversa est ad fidem catholicam et cum eius prius matrimonium exitum malum habuisset, cupiebat viro catholico nubere. Dubium erat utrum ob baptismum ab una parte ante matrimonium receptum privilegio paulino locus esse posset¹.

2. - Die 30 Septembris 1919 S. G. M. acatholicus non baptizatus, matrimonium iniit cum F. E. G. acatholice baptizata in secta anglicana, coram praecone haeretico sectae anglicanae, proindeque nulla dispensatione obtenta. Die 4 Novembris 1920 S. G. M. divortium civile a F. E. G. obtinuit. Nunc S. G. M. desiderat catholicam fidem amplecti et matrimonium cum puella catholica inire. F. E. G. novas nuptias iam iniit. Quapropter S. G. M. rogat ut dispensatio concedatur super vinculo naturali primi matrimonii. S. C. S. Officii, 5 Novembris 1924 decrevit « Consulendum Sanctissimo, pro gratia dissolutionis vinculi naturalis primi matrimonii contracti a S. G. M. cum F. E. G. in favorem fidei ». Et Pius XI, feria V insequenti eiusdem mensis et anni, habita de hac re relatione resolutionem « approbavit et petitam gratiam concedere dignatus est »².

3. - S. C. de Propaganda Fide, 16 Iulii 1926, rescripsit ad Excellentissimum Episcopum Trincomaliensem (Prot. n. 2457/26) partem catholicam, postquam iterum sub conditione baptizata fuerit, uti posse privilegio paulino, post factas interpellationes »³.

1121 Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium *valide* ineat, debet partem non baptizatam interpellare, nisi concurrerint adiuncta praevisa in can. 1125 aut dispensatio Sanctae Sedis. Si haec non habeantur matrimonium invalidum erit. S. R. Rota, 5 Decembris 1925¹.

1125 1. - « Ad dubia proposita a Vicario Apostolico Cambodien., scilicet:

1° Utrum facultates dispensandi, quae continentur in constitutionibus relatis in canone 1125, intelligantur concessae tantum Ordinariis, an vero omnibus sacerdotibus curam animarum exercentibus.

2° Utrum consilium Missionariorum, de quo in canone 302,

Can. 1120. — 1) Cfr. *Periodica*, XXI, 170*. — 2) Cfr. *Periodica*, XIV, 19; *Il Monitore ecclesiastico*, XXXVIII, 193; *The Ecclesiastical Review*, vol. 72, 188; *Ephemerides theologicae Lovanienses*, 1925, 628; 1926, 135. Cfr. etiam responsum S. C. S. Officii, 10 Iulii 1924, apud De Smet, *De sponsal. et matrim.*, ed. 4, p. 284, nota 4. — 3) Cfr. *Periodica*, XXI, 177*.

Can. 1121. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XVII, 396.

locum tenere possit Consilii administrationis et Capituli quoad alienationem vel locationem honorum ecclesiasticorum, ad normam canonum 1532 et 1521.

Infrascriptus E. mus Commissionis Praeses respondit:

Ad Ium, dictae facultates dispensandi aestimandae sunt ex tenore constitutionum, de quibus in canone 1125.

Ad 2um, affirmative. C. I., 26 Ianuarii 1919¹.

2. - D. - « Utrum vi can. 1125 iure concessa sit facultas dispensandi, de qua in Constitutione *Populi Gregorii XIII*, etiam quasi-parochis ». Praeses C. I., 3 Augusti 1919, respondit: « Affirmative »².

3. - « Primum Concilium Sinense videns frequenter inter nostros catechumenos reperiri tales qui cum secunda vel ulteriore successive uxore, in baptismum consentiente, baptismum petant, quibus durissimum est et fere impossibile tale matrimonium dissolvere, humillime Sedem Apostolicam orat, utrum *ad mentem Constitutionis S. Pii V — Romani Pontificis* —, liceat Vicariis Apostolicis et Praefectis Apostolicis tales catechumenos cum tali in baptismum consentiente uxore simul baptizare, data eis insuper facultate ut in eodem matrimonio permanere valeant absolute et sine ulla interpellatione primae uxoris ».

S. C. de Propaganda Fide respondit: « Affirmative » sine datione, anno 1924³.

1127 S. C. S. Officii, 10 Iunii 1937, propositis dubiis: « I. Utrum in matrimonio contracto a duobus acatholicis dubie baptizatis, in casu dubii insolubilis circa baptismum, possit permitti alterutri parti ad fidem conversae usus privilegii paulini vi can. 1127 Codicis iuris canonici. II. Utrum in matrimonio contracto inter partem non baptizatam et parte acatholicam dubie baptizatam, in casu dubii insolubilis de baptismo, possint Ordinarii alterutri parti ad fidem catholicam conversae permittere usum privilegii paulini vi can. 1127 ». Respondit: « Ad I. Negative. Ad II. Recurrendum ad S. Officium in singulis casibus » (Vide etiam can. 1120)¹.

1131 « D. - I. An separatio coniugum ob causas, de quibus in canone 1131, § 1, forma administrativa decernenda sit.

II. An in causis separationis coniugum, de quibus in canone 1131, § 1, in secundo gradu eadem servanda sit forma ac in primo gradu.

Can. 1125. — 1) Cfr. *Sylloge*, n. 66, p. 105. — 2) *Sylloge*, n. 72, p. 111. — 3) Cfr. *Primum Concilium Sinense*, 1924; *Vota et postulata*, n. 12, p. 273. Cfr. etiam Cappello, *De Matrimonio*, n. 787.

Can. 1127. — 1) *A. A. S.*, XXIX, 305; *Periodica*, XXVI, 473; *Apollinaris*, X, 334; *Nouvelle Revue Théologique*, 64 (1937), 1123; *Sal Terrae*, Santander, 1938, p. 386-394; *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 107 (1927), 183*.

R. - Ad I. Affirmative, nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partium.

Ad II. Affirmative ». C. I., 25 Iunii 1932¹.

1139 Iuxta ultimas dispositiones S. Officii, non possunt sanari in radice mixta coniugia nisi habeatur moralis certitudo partem acatholicam universae proles tam natae quam nasciturae catholicam educationem non esse impedituram. S. C. de Propaganda Fide, 4 Sept. 1931. Cfr. can. 1061, n. 2.

1141 « 1° Utrum quando pars acatholica non renuit se sistere coram parcho catholico, renuit tamen omnino praestare debitas cautiones, providendum sit per dispensationem et renovationem consensus coram parcho catholico passive se habente, vel potius per sanationem in radice; et quatenus providendum sit per sanationem in radice,

2° Utrum facultas sanandi in radice in hoc secundo casu, comprehensa censenda sit necne in facultate iam obtenta sanandi in radice matrimonia mixta, nulla ex capite clandestinitatis, vel,

3° Utrum peti debeat an non nova facultas a Sancta Sede ». S. C. S. Officii, 20 Novembris 1912, respondit: « Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad II. Non comprehendi. Ad III. Provisum in secundo. Et supplicandum Sanctissimo ut sanare dignetur in radice matrimonia ex hoc capite nulla, quae usque adhuc invalide ab Episcopis sanata fuerint ». Et die 21 eiusdem mensis Pius X approbavit et sanavit. Datum Romae 22 Decembris 1916¹.

1148 1. - S. Rituum Congregatio, 30 Iunii 1922, declaravit servari posse consuetudinem in Archidioecesi Aquensi a multis annis vigentem imponendi fidelibus prima Dominica Quadragesimae cineres praecedenti feria IV benedictos; dummodo revera feria IV Cinerum ritus benedictionis et impositionis expletus fuerit iuxta Missale Romanum¹.

2. - S. Rituum Congregatio, 1 Februarii 1924, declaravit decretum 30 Iunii 1922, de quo supra circa impositionem cinerum, valere etiam pro oratoriis piarum unionum et sacellis ruralibus aliisque ubi peraguntur exercitia pro opificibus. Itemque declaravit pro benedictione gutturis in festo Sancti Blasii servandam esse formulam in Rituali Romano editionis typicae relatae, non vero formulam antiquiorem decreto 20 Martii 1869 praescriptam².

Can. 1131. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 284; *Ius Pontificium*, XII (1922), 235; *Periodica*, XXI, 283.

Can. 1141. — 1) *A. A. S.*, IX, 13; *Periodica*, VIII, 191.

Can. 1148. — 1) *A. A. S.*, XIV, 471. — 2) *A. A. S.*, XVI, 102; *Periodica*, XIII, 72.

3. - S. Rituum Congregatio, responso 16 Ianuarii 1936 ad Episcopum Limburgensem dato, declaravit candelas pro benedictione gutturis in die Sancti Blasii adhibendas accensas esse non debere, cum accensionem non requirat Rituale Romanum editionis typicae novae³.

1149 S. Rituum Congregatio, 8 Martii 1919, declaravit benedictiones imprimis catholicis impertiendas, quae iuxta can. 1149 dari quoque possunt catechumenis, intelligendas esse de sacramentalibus publicis, ac proinde admittendos esse vel admitti posse catechumenos ad impositionem cinerum, traditionem candelarum et palmarum¹.

1161 Pro Italia omnino videnda *Instructio* S. C. Concilii 25 Iunii 1930, de applicatione practica articulorum 28 et 29 Concordati italici, circa ecclesias, consilia fabricae, Sanctuaria, Confraternitates et foundationes cultus¹.

1164 1. - Pius XI, dedicaturus novam Pinacothecam Vaticanam, 28 Octobris 1932, sermonem habuit de arte sacra in quo damnat quaedam opera, quae etsi artis sacrae nomen usurpant, imagines depravatas, ridiculas, saepe vere sacrilegas exhibent. Romanus Pontifex sperat et vult ut lex canonica, quae clare in Codice sancita est, observetur et ars huiusmodi non admittatur in ecclesiis ad normam can. 1164, § 1; 1279, § 2; 1296, § 3¹.

2. - Pius XI, Motu proprio *Avendo la Commissione*, 22 Decembris 1934, pro Civitate Vaticana instituit coetum super consultationibus technicis aedificiorum².

1166 1. - « D. - An ieiunium in consecratione ecclesiae, de quo in canone 1166, § 2, moderandum sit secundum communem legem ieiunii ecclesiastici.

R. - Affirmative ». C. I., 20 Iulii 1929¹.

2. - S. Rituum Congregatio, 26 Octobris 1931, dubio sibi proposito: « An delegatio sacerdotis ad altare fixum consecrandum secundum Ritu Pontificalis Romani, data ex facultate quinquennali, etiam contineat delegationem validam ad indulgentiam concedendam vi can. 1166, § 3; et quatenus negative, an ipse Episcopus Ordinarius loci, qui sacerdotem delegat ad altare fixum consecrandum, intelligi possit

3) *Periodica*, XXVI, 349.

Can. 1149. — 1) *A. A. S.*, XI, 144; *Periodica*, X, 81.

Can. 1161. — 1) *A. A. S.*, XXII, 410; *Periodica*, XIX, 322.

Can. 1164. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 355. — 2) *A. A. S.*, XXVII, 8.

Can. 1166. — 1) *A. A. S.*, XXI, 573; *Apollinaris*, III, 236; *Periodica*, XXI, 513; *Ius Pontificium*, 1929, 194.

tamquam Episcopus consecrator secundum mentem praefati can. 1166, § 3 ». Respondit: « Indulgentiae in consecratione altaris conceduntur ab Episcopo qui altare consecrat, vel consecrare deberet, et tantum promulgantur ab ipso delegato »².

1169 1. - S. C. Rituum, 21 Octobris 1927, ad dubium: « An diebus dominicis aliisque diebus, quibus Missa cantata de requie absente cadavere prohibetur, tolerari possit lugubris sonitus aeris campani et appositio pannorum nigri coloris ad ingressum templi in iis ecclesiis vel publicis oratoriis, ubi, permittente ritu, ex consuetudine, absente defuncti corpore, dicitur officium defunctorum aut fit absolutio pro defunctis ». Respondit: « Negative, et quoad Missas defunctorum servantur rubricae novissimae Missalis, tit. III, et decreta, sub vigilia Ordinarii loci et rectoris ecclesiae vel oratorii »¹.

2. - S. C. Concilii, decreto diei 20 Martii 1931, mandavit « parochis aliisque ecclesiarum rectoribus ut ipsi campanarum sacrarum usum in suis ecclesiis ad normam Codicis I. C. adamussim moderentur, requisita etiam tempestive et habita proprii Ordinarii licentia, si, gravi ex causa, sacrae campanae in usum non stricte religiosum sint quandoque adhibendae », statutis quoque canonicis poenis contra inobedientes².

3. - Pius XI, per decretum S. Poenitentiariae, 30 Ianuarii 1933, indulgentias, a Benedicto XIV, 13 Decembris 1740, concessas pro pulsatione aeris campani cum recitatione quinquies *Pater*, *Ave* feriis sextis hora tertia post meridiem, adiecta precatiuncula: *Adoramus te Christe et benedicimus tibi; quia per sanctam* etc. notabiliter auxit, et confirmavit ita ut praescriptae preces recitari valeant ad campanae pulsationem alia etiam diei hora secundum invectam in diversis locis consuetudinem. Indulgentia concessa est decem annorum pro singulis feriis VI, et plenaria per integrum mensem³.

4. - S. Poenitentaria, 28 Decembris 1935, proposito sibi dubio: « Utrum ad indulgentias lucrandas de quibus supra in concessione Benedicti XIV et Pii XI, 30 Ianuarii 1933, necessarius omnino sit campanae sonus » respondit: « Firma statuta indulgentia pro recitantibus feria VI supra indicatas preces ad sacri aeris sonum in memoriam agoniae et mortis D. N. Iesu Christi, eadem indulgentia lucriferi potest etiam in locis ubi huiusmodi sonus in more non sit, easdem preces recitando aut primis horis post meridiem, in quas quidem incidit, iuxta veterem horarum diei computationem, hora nona, circa quam, ut Sancti Evangelistae testantur, Iesus Christus in cruce emisit spiri-

2) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Videre illud poteris in *Apollinaris*, IX (1936), p. 186.

Can. 1169. — 1) *A. A. S.*, XIX, 381; *Periodica*, XVI, 175; *Ius Pontificium*, 1927, 116. — 2) *A. A. S.*, XXIII, 129; *Ius Pontificium*, XI (1931), 100; *Periodica*, XX, 256. — 3) *A. A. S.*, XXV, 70.

tum, aut alia hora, qua, secundum diversorum locorum consuetudinem, solet dicta commemoratio fieri: facto verbo cum Sanctissimo ». S. Poenitent., 28 Decembris 1935⁴.

5. - Episcopus Papiensis quaesierat a S. Rituum Congregatione an liceret in turribus campanariis ecclesiarum loco campanarum collocare instrumenta radiophonica. S. Congregatio 27 Novembris 1941 respondit: Non expedire⁵.

1178 S. C. Rituum, 20 Octobris 1922, ad dubium: « Utrum in ecclesiis earumque cryptis divino cultui destinatis apponere liceat tabulas cum inscriptionibus et nominibus fidelium defunctorum, quorum corpora inibi tumulata non sunt nec tumulari possunt iuxta canonem 1205, § 2 Codicis I. C. ». Respondit: « Non licere iuxta alias resolutiones et ad tramitem decreti S. R. C. n. 733, et canonis 1450, § 1 Codicis I. C. »¹.

1182 Quaevis oblatio parcho aut alteri ecclesiae rectori data piae cuiusdam causae intuitu ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit ut qui rem pecuniariam oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris. S. R. Rota, 30 Iulii 1930¹.

1183 De consiliis fabricae in Italia post Concordatum videnda est Instructio S. C. Concilii 25 Iunii 1930¹.

1184 De iure sedilium et scamnorum in ecclesiis videri utiliter poterit decisio S. C. Concilii 11 Decembris 1920 (Vide can. 1553)¹.

1190 Corpora defunctorum possunt sepeliri in oratoriis privatis coemeteriorum. S. R. C., 10 Decembris 1927 (Vide canonem 1205)¹.

1193 In oratoriis semipublicis nequeunt corpora defunctorum sepeliri. S. R. Congr., 10 Decembris 1927 (Vide can. 1205)¹.

4) *A. A. S.*, XXVIII, 79. — 5) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*; illud refertur a *II Monitore ecclesiastico*, 1942, 42 et a *Perfice Munus* 1942, 101.

Can. 1178. — 1) *A. A. S.*, XIV, 556; *Periodica*, XI, 196.

Can. 1182. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, p. 488, n. 13 et sqs.

Can. 1183. — 1) *A. A. S.*, XXII, 410. Cfr. etiam pro Italia Decretum regium 26 Septembris 1935, n. 2032. Apud Farneti, *Breviario ecclesiastico giuridico, Supplemento*, p. 105 sqs.

Can. 1184. — 1) *A. A. S.*, XIII, 262.

Can. 1190. — 1) *A. A. S.*, XX, 261.

Can. 1193. — 1) *A. A. S.*, XX, 265.

1194 Ordinarius potest permittere celebrationem Missae in domibus privatis praesente cadavere in casibus extraordinariis. S. C. de Sacramentis, 30 Aprilis 1926 (Vide can. 822)¹.

1198 S. Rituum Congregatio, 17 Octobris 1931, dubiis sibi propositis: « I. Utrum valida sit consecratio altaris immobilis, cuius mensa, contra praescriptum can. 1198, non constat ex unico lapide naturali, sed e duabus vel tribus laminis lapidis naturalis super se positae et cemento ita iunctis ut appareat sicuti unicus lapis naturalis. — II. Utrum in tali altari, per nefas consecrato, Sancta Missa celebrari possit ». Respondit: « Ad I. Consecratio altaris invalida fuit. — Ad II. Pro celebratione Missae stetur can. 822 »¹.

1200 S. Rituum Congregatio, 9 Septembris 1920, edidit ritus breviores consecrationis altarium immobilium, scilicet: I. *Ritus seu formula brevior consecrationis altaris immobilis quod amisit consecrationem ob separationem, etsi momentaneam, tabulae seu mensae a stipite: uti in casu de quo agit Codex iur. can. in canone 1200, § 1.* — II. *Ritus et formula brevior in consecratione altarium quae amiserunt consecrationem, uti in casu de quo agit Codex iur. can. in canone 1200, § 2, nn. 1 et 2*¹.

1202 S. Rituum Congregatio, 25 Octobris 1933, interrogata de modo computandi distantiam quae intercedere debet inter cadavera recondita et altare respondit: « Distantia computanda est non a petra sacra sed a mensa quae petram sacram sustinet »¹.

1203 1. - C. I., 10 Novembris 1925, declaravit ecclesiastica sepultura privari qui mandaverint corpus suum cremari si in hac voluntate usque ad mortem permanserint, etsi crematio, ad normam can. 1203, § 2, locum non habuit (Vide can. 1240).

2. - Invalescente abusu cremationis cadaverum, S. Congregatio S. Officii, 19 Iunii 1926, edidit *Instructionem* de ipsa crematione ad Ordinarios locorum. In ipsa praescribitur ut doceantur fideles de vero consilio ob quod ipsa crematio fovetur et de gravitate culpa quae in ea fovenda habetur. Iis, quorum corpora aliena voluntate cremationi subiiciuntur, tunc tantum funera ecclesiastica concedi possunt, si scandalum removeri possit. Si crematio fiat propria defuncti voluntate, non sufficit aliqua coniectura retractationis. Quotiens funus ecclesia-

Can. 1194. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 388.

Can. 1198. — 1) Responsum non apparuit in *A. A. S.*, invenies autem in *Apollinaris*, IX (1936), 186, et in *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 112 (1932), 601.

Can. 1200. — 1) *A. A. S.*, XII, 449 et 450; *Periodica*, X, 237. Huiusmodi ritus breviores editi sunt etiam in *Rituale Romano* edit. typ. in *Appendice*.

Can. 1202. — 1) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Vide illud in *Perfice munus*, X, 81 et XIII, 87-88.

sticum prohibetur, prohibetur quoque sepultura seu inhumatio in loco sacro. Quodsi auctoritas civilis vi contrarium exigit, ne desint sacerdotes ad quos spectat, qua par est animi fortitudine obsistere et protestari et ab omni interventu in casu absterneant¹.

1205 1. - « D. - An sepultura fidelium, quae locum obtinet in ecclesia subterranea, censenda sit facta in ecclesia in sensu canonis 1205, § 2.

R. - Affirmative, si agatur de ecclesia subterranea, quae sit vere et proprie ecclesia divino cultui addicta ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

2. - In ecclesiis non licet apponere tabulas cum inscriptionibus seu nominibus defunctorum ibi non tumulorum. S. R. C., 20 Octobris 1922 (Vide can. 1178)².

3. - Pius XI, Motu proprio *I primitivi cimiteri*, 11 Decembris 1925, promulgat statuta *Commissionis pontificiae archaeologiae sacrae* quae praeficitur custodiendis et explorandis coemeteriis christianis antiquis seu Catacumbis, et regulamentum *Pontificii Instituti archaeologiae christianae*³.

4. - S. C. Concilii, 10 Decembris 1927, ad dubia: « I. Potestne tolerari praxis statuendi per testamentum voluntatem transferendi proprias exuvias e communi coemeterio in aliquam ecclesiam post aliquod temporis spatium lapsum a morte? — II. Canon 1205, § 2 intelligendusne est etiam de ossibus, ita ut haec quoque sepeliri interdicanter in ecclesiis? — III. An vero verbum *cadavera* presse sit accipiendum ». Respondit: « Ad I. Negative, et Episcopus prudenter praxim remove curet; — Ad II. Affirmative; — Ad III. Provisum in altero »⁴.

5. - S. C. S. Officii, rescripto 13 Februarii 1937 ad Ordinarium Olomucensem, proposito dubio: « Utrum liceat sepelire in coemeterio acatholico ritu catholico et per ministrum catholicum personam catholicam quae ex pietate erga acatholicos parentes, propinquos aut amicos petat, aut ex alio fine honesto ». Respondit: « Tumulationem catholici in coemeterio acatholico non esse permittendam, multo minus cum adsistentia ministri catholici et ritibus sepulturae ecclesisticae »⁵.

1211 S. C. Rituum, 30 Octobris 1922, ad dubium: « An aliquid obstet quominus lampades etiam electricae ardeant supra sepulcra defunctorum in Christo quiescentium in coemeteriis rite benedictis ». Respondit: « Non obstare in casu, et ad mentem. Mens est ut haec lux, sicut ornatus florum sepulcris appositus, non sit tantum

Can. 1203. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 282; *Periodica*, XV, 120.

Can. 1205. — 1) *A. A. S.*, XI, 478; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 71. — 2) *A. A. S.*, XIV, 556. — 3) *A. A. S.*, XVII, 619. — 4) *A. A. S.*, XX, 261; *Periodica*, XVII, 196; *Ius Pontificium*, 1928, 60. — 5) *Periodica*, XXVI, 467.

officium humanitatis et solatium vivorum, sed horum in carnis resurrectionem et vitam aeternam, fidei catholicae testimonium et professio. Insuper nullum afferri debet detrimentum supplicationibus quae, iuxta dogma catholicum, praecipue prosunt fidelibus defunctis, nempe sive altaris sive orationum sive eleemosynarum sacrificia »¹.

1215 1. - « D. - Utrum periculum offensionis, vulgo *malumore*, ex parte fidelium et cleri sit, ad normam canonis 1215, gravis causa, quae excuset a transferendis cadaveribus fidelium e loco in quo reperiuntur, ad ecclesiam ubi funus persolvatur.

R. - Negative, et consuetudinem non transferendi cadavera fidelium, antequam tumulentur, e loco in quo reperiuntur in ecclesiam, esse reprobendam ». C. I., 16 Octobris 1919¹.

2. - « Ritus exsequiarum ut in Rituali romano praescribitur, in hac archidioecesi non est servatus, quia cadavera ad ecclesiam non ducuntur ob leges civiles, quae obligant ut sepulturae tradantur vigintiquatuor horis post obitum; et etiam quia coemeteria, quae sunt sub lege civili, satis distant a paroecia. Parochi vocantur domi et hic cadavera commendantur. Hinc quaeritur: Quenam rubricae et normae in casu servandae? ». S. Rituum Congregatio, 28 Februarii 1920, respondit: « 1° Servandum esse, quantum fieri potest, Rituale Romanum (Tit. VII, Cap. III, *Exsequiarum Ordo*) et canon 1215 C. I. C.; 2° Familia defuncti certior fiat, funus cum Missa exsequiali peragi posse, etiam praesente moraliter cadavere, iuxta rubricas et decreta; 3° pro casibus autem extraordinariis dabitur instructio S. R. C. »².

3. - In translatione cadaveris iam humati in definitivam sepulturam dici vel cantari poterit Missa privilegiata ad normam novarum rubricarum Missalis Romani titulo III, n. 6. S. Rituum Congregatio, 16 Iunii 1922 (Vide can. 1237).

4. - S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1924, declaravit can. 1215 referri ad funus proprie dictum, non ad funera occasione translationis cadaveris iam suo tempore humati (Vide can. 1237)³.

1216 I. - Ius funerandi parochi proprii restringi potest et excludi favore rectoris domus hospitalis lege dioecesana, consuetudine legitima aut praescriptione. S. R. Rota, 12 Februarii 1919 (Vide can. 1222)¹.

2. - S. C. Concilii interrogata respondit, 9 Iunii 1923, paroeciam quasi-domicilii etiam post Codicis promulgationem ad effectum percipiendi emolumenta funeralia esse considerandam paroeciam propriam defuncti².

Can. 1211. — 1) *A. A. S.*, XIV, 598.

Can. 1215. — 1) *A. A. S.*, XI, 479; *Periodica*, X, 103; *Ius Pontificium*, 1923, 72. — 2) *A. A. S.*, XXI, 128. — 3) *A. A. S.*, XVI, 188.

Can. 1216. — 1) *A. A. S.*, XII, 129. — 2) *A. A. S.*, XVII, 508.

14 — A CORONATA, *Interpretatio authentica*.

3. - S. C. Concilii, 12 Novembris 1927, ad dubia: « I. An parochus Ss. mae Annuntiatae ius exclusivum competat sepulturae ecclesiasticae sui paroeciani, qui sepulcrum habeat in municipali coemeterio in casu; II. An idem exclusivum ius eidem parochus competat, si suus paroecianus tumulationem ibidem elegerit in casu ». Respondit: « Affirmative ad utrumque »³.

4. - « D. - An ad normam can. 1216, § 1, collati cum can. 1226, § 1, sepulcrum maiorum in aliqua ecclesia constitutum habendum sit post Codicem tamquam legitima electio ecclesiae funerantis.

R. - Negative ». C. I., 4 Ianuarii 1946⁴.

1217 Cum in aliqua dioecesi vigeret consuetudo faciendi funera in ecclesia cathedrali omnium fidelium defunctorum in qualibet ex quatuor paroeciis civitatis, si id heredes vel parentes petissent, nulla insuper parochus proprio portione paroeciali soluta, S. C. Concilii propositum fuit dubium: « An et quomodo ius funerandi competat Capitulo in casu ». Quae, 9 Iulii 1921, respondit: « Negative, nisi agatur de sepultura legitime electa vel gentilitia, salva tamen in his casibus portione canonica respectivo parochus defuncti »¹.

1220 « Canonici honorarii, sicut Episcopi titulares, beneficiarii non residentiales etc. transferendi sunt, funeris causa, aut in ecclesiam quam ipsimet legitime elegerint, aut si haec electio defuerit, in ecclesiam propriae paroeciae vel loci in quo mors accidit, iuxta normas communes pro cunctis fidelibus, et canonibus 1216, 1218 contentas ». Et contra hoc ius nihil statuere possunt statuta capitularia et, si quid statuerint, non sustinetur. Si autem canonicus honorarius ecclesiam Capituli pro suo funere elegerit, funus facere debet Capitulum non parochus ecclesiae; parochus vero cadaver levat, eique debetur portio paroecialis. S. C. Concilii, 9 Decembris 1939¹.

1221 « D. - An praescriptum canonis 1221 extendatur etiam ad postulantes et ad alumnos scholarum apostolicarum in religionibus.

R. - Negative ». C. I., 20 Iulii 1929¹.

1222 S. R. Rota, 25 Februarii 1919, infirmo sententiam primae instantiae, addixit parochus N. N. ius exclusivum fune-

3) *A. A. S.*, XX, 142; *Periodica*, XVII, 136; *Ius Pontificium*, 1928, 57. — 4) *A. A. S.*, XXXVIII, 162; *Periodica*, XXXV, 187 sqs.

Can. 1217. — 1) *A. A. S.*, XIII, 534; *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIV, 75.

Can. 1920. — 1) *A. A. S.*, XXXII, 75-77.

Can. 1221. — 1) *A. A. S.*, XXI, 573; *Commentarium pro religiosis*, X (1929), 334; *Revue des Communautés Religieuses*, V (1929), 177; *Nouvelle Revue Théologique*, 1929, 420; *Apollinaris*, III, 238 sqs.; *Periodica*, XVIII, 254; *Ius Pontificium*, 1929, 195; *Ecclesiastical Review*, 81, 511.

randi defunctos in hospitali in sua paroecia sito, quia eidem faverat lex dioecesana, consuetudo legitima et praescriptio¹.

1223 1. - Electio sepulturae potest quidem fieri per mandatum etiam non scriptum, at excepto casu mandati nequit fieri a parentibus et familiaribus defuncti. S. C. Concilii, 9 Iulii 1921 (Vide can. 1217)¹.

2. - S. Romana Rota, 1 Decembris 1930, in causa appellata a Superiore Capuccinorum correxerat sententiam primae instantiae. Superior fecerat funus personae quae ecclesiam funerantem elegerat ecclesiam regularem. Parochus, fretus lege dioecesana quae prohibebat in qualibet ecclesia fieri primum funus sine licentia scripta parochi, Superiorem in ius rapuit ut sanctiones canonicas lueret quasi transgressorem legis dioecesanae. Tribunal dioecesanum Superiorem damnavit in emolumentis omnibus perceptis occasione funeris, et in causae expensis. Superior appellavit ad S. R. Rotam quae proposito dubio: « An et quamnam summam Superior FF. MM. Capuccinorum loci *Los Angeles* solvere debeat D. Gonzalo Artèche (quondam), parochus eiusdem loci », sententiavit: « factam appellationem excipiendam esse » et ad mentem: « mens est, ad parochum in casu non spectasse nisi portionem canonicam ad normam can. 1236, ss. ». In hac causa ponens, relato principio can. 1507, § 1, quod praestationes fidelium cedere debeant parochus, etsi alius officium paroeciale impleat, nisi certo constet de contraria offerentium voluntate circa summam quae taxam excedit, haec nota digna addit: « quae contraria voluntas semper praesumitur pro mendicantibus ex eorum privilegio; cum nempe de incertis eleemosynis vivant, quidquid vel sine titulo donatur, acquiritur tamen titulo eleemosynae ». S. R. Rota, 1 Decembris 1930².

3. - S. C. Concilii, 11 Iulii 1931, declaravit inter alia non posse Ordinarium loci impedire suis subditis exercitium iuris electionis sepulturae (Vide can. 1229).

1226 1. - Electionem facere quilibet potest per mandatum; at excluso mandato, parentes et familiares nequeunt pro defuncto electionem sepulturae facere. S. C. Concilii, 9 Iulii 1921 (Vide canonem 1217)¹.

2. - Vigebat in civitate Gallipolitana consuetudo ut, si quis alicui confraternitati inscriberetur, hac ipsa inscriptione praesumeretur eligere ecclesiam Confraternitatis ut ecclesiam sui funeris. Item consuetudo vigebat qua etiam defuncti inscribi possent hoc modo alicui confraternitati et ita ius sepulturae acquirere in eadem ecclesia. Re-

Can. 1222. — 1) *A. A. S.*, XII, 129.

Can. 1223. — 1) *A. A. S.*, XIII, 534. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 634 sqs.

Can. 1226. — 1) *A. A. S.*, XIII, 534.

clamantibus parochis, contra huiusmodi consuetudines vi quarum ecclesia paroecialis fere numquam erat ecclesia funerans, et quaestione proposita Sacrae Congregationi Concilii, eadem Sacra Congregatio 24 Maii et 15 Novembris 1930, respondit: « Ordinarius loci utatur iure suo ad normam canonis 5 Codicis iuris canonici et ad mentem »; parochus autem defuncti deberi portionem parochialem a Confraternitatibus et a Capitulo cathedrali quotiens confraternitatum aut Capituli ecclesia eligatur funerans. Per se factum adscriptionis alicui confraternitati non implicat electionem sepulturae in ecclesia ipsius confraternitatis, quae ecclesia per se potest etiam non gaudere iure sepulturae; in casu autem ex consuetudine implicita electio habebatur; quam tamen consuetudinem Ordinarius loci vi can. 5 abolere potest².

3. - Electio sepulturae probari potest quolibet legitimo modo; ex quo sequitur nullam esse sollemnitate electionis seu formam eligendi sub nullitate praeceptam, quod est dicere validitatem electionis nullo pacto pendere ab eius probatione. Si lex dioecesana aliquid addat praescribens, e. g., ne funera celebrentur in ecclesia quae non sit paroecialis intra ambitum paroeciae sine licentia scripta parochi loci, et lex illa particularis non sit contra ius commune permittens sepulturam electivam, considerari potest ut magis determinativa probationis iuris eligendi funus de quo in can. 1226. At validitas electionis factae non potest pendere a lege illa dioecesana et proinde funus factum ex electione contra ius dioecesanum est valide factum et emolumenta eedere debent ei qui funus fecit. S. R. Rota, 1 Decembris 1930 (Vide can. 1223)³.

4. - Nequit Ordinarius impedire ius electionis sepulturae. S. C. Concilii, 11 Iulii 1931 (Vide can. 1229)⁴.

5. - Erectio sepulcri maiorum in ecclesia non est habenda ut legitima electio ecclesiae funerantis. C. I., 4 Ianuarii 1946 (Vide canonem 1216, n. 4).

1229 1. - S. C. Concilii, 9 Iulii 1921, declaravit non sustineri consuetudinem faciendi omnia funera civitatis in cathedrali (Vide can. 1216).

2. - S. C. Concilii, 11 Iulii 1931, declaravit Episcopum posse quidem in magna civitate assignare coemeteria determinatis paroeciis, non posse vero prohibere singulis fidelibus sepulturam sibi eligere in coemeterio diverso a coemeterio propriae paroeciae, quia id esset contra-rium can. 1226, 1228, 1229¹.

2) *A. A. S.*, XXV, 155; *Periodica*, XXII, 149; *Ius Pontificium*, 1933, 101. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 635, n. 3 et seqs. Sententia in appellatione corrigens sententiam primae instantiae. — 4) *A. A. S.*, XXV, 333.

Can. 1229. — 1) *A. A. S.*, XXV, 373; *Il Monitore ecclesiastico*, XLV, 293.

1230 1. - S. C. Concilii, 12-20 Novembris 1927, exclusit ius parochi ecclesiae cathedralis ad funera facienda fidelium paroeciae extra civitatem quidem situatae, at quae coemeterio civitatis utebatur de consensu auctoritatis civilis cuius erat coemeterium. In cuius causae disceptatione haec leguntur: « Ius ecclesiae paroeciae in qua coemeterium situm est in Codice quoad extraneos, tantum asseritur intra limites can. 120, § 7, fin. Qui limites artissimi sunt, utpote qui contineant normam omnino *suppletivam*, tunc adhibendam cum nulla ex praecedentibus iuris sanctionibus in casum quadrat, et potissimum cum parochus defuncti proprius nec adest, nec potest suum ius exercere, et ideo ecclesiae cathedrali, vel paroeciae loci, id tantum conceditur quod in casu parochus proprius nequit: v. g. si cadaver naufragi undis maris in littore extraneo exponatur, vel si parochus proprius peragere potuit solummodo, aut de facto peregit solas exsequias »¹.

2. - S. C. Concilii, 4 Iulii 1936, proposito dubio: « an recursus parochi S. C. ... contra decretum Curiae V. ... diei 8 Novembris 1935, admittendus sit in casu ». Respondit: « Negative seu recursum esse reiiciendum ». Agebatur autem de recursu facto a parochus contra decretum Curiae quo ius funerandi defunctos via ferrea ad civitatem, in qua duae erant paroeciae, deductos, aequo iure ambobus parochis agnoscebatur, non exstante ulla consuetudine de qua in can. 1230, § 7².

3. - « Dubia: I. An in casu de quo agitur, ius levandi cadaver defuncti, exsequias peragendi, atque cadaver ipsum ad coemeterium ducendi pertinuerit Praeposito parochus S. Mariae Novae, vel parochus S. Petri Abbiati Grassi; II. An Praepositus S. Mariae Novae emolumenta a familia defuncti soluta, tradere teneatur parochus S. Petri ». S. Romana Rota, 2 Februarii 1941, sententiavit: « Ad I. Ius levandi cadaver defuncti, exsequias peragendi, atque cadaver ipsum ad coemeterium ducendi pertinuisse in casu Praeposito parochus S. Mariae Novae. Ad II. Non teneri Praepositum S. Mariae Novae emolumenta a familia defuncti soluta tradere parochus S. Petri, cui spectant veruntamen libellae centum et quinquaginta a defuncti familia eidem adsignatae largitionis intuitu »³.

4. - « Utrum parochus an cappellano, ad normam can. 1230, § 5, competat ius funerandi moniales ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptas iuxta can. 615.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 31 Ianuarii 1942⁴.

5. - S. Rituum Congregatio interrogata circa ritum servandum in

Can. 1230. — 1) *A. A. S.*, XX, 142; *Periodica*, XVII, 136. — 2) *A. A. S.*, XXIX, 474; *Theologische-praktische Quartalschrift*, 91 (1938), 344; *Nouvelle Revue Théologique*, 65 (1938), 344. — 3) *A. A. S.*, XXXIV, 58-59. — 4) *A. A. S.*, XXXIV, 50.

functionibus pro defunctis diebus dominicis aut festorum de praecepto celebrandis ex petitione fidelium, respondit servandas esse praescriptiones Ritualis Romani et novarum rubricarum Missalis. Iuxta quas Missa exsequialis dici tantum potest corpore defuncti physice aut saltem moraliter praesenti, et non ultra biduum ab obitu. In aliis casibus si Missa pro defunctis die dominica aut festiva petatur, non poterit talis Missa dici in nigris, sed dicenda erit Missa dominicalis aut festiva, in cuius tamen fine fieri poterit absolutio ad tumulum, exceptis diebus in quibus ipsa Missa exsequialis praesente cadavere prohibetur. S. Rituum Congregatio, 1 Maii 1942⁵.

1233 1. - Litterae S. Congregationis de Religiosis, 21 Iulii 1921: « Reverendissime Pater, circa conventionem adstipulatam Episcopum Barensem inter et Ministrum Provinciale Fratrum Minorum, haec S. Congregatio, quaestione examini subiecta, quae sequuntur respondet: Concordatum (seu conventionem) non sustineri et ad mentem. Mens est: Circa interventum associationibus funebribus, religiosi procedere studeant amicaliter cum clero receptitio quin tamen suis iuribus renuntiare cogantur, ad normam can. 1233, § 1 Codicis ». Agebatur autem in casu de conventionem inita Episcopum Barensem inter et Ministrum Provinciale Fratrum Minorum, qua minister Provincialis se suosque subditos ad non interveniendum funeribus ligabat, etiam in casu quo a parentibus defuncti ipsi invitati fuissent, nisi clerus receptitius paroeciae localis invitatus esset¹.

2. - S. C. Rituum, 15 Decembris 1922, postulantibus nonnullis locorum Ordinariis aliquam normam seu instructionem circa vexilla in ecclesiis admittenda et benedicenda. Respondit: « Ad mentem. Mens est: Quando insignia seu vexilla non pertineant ad societates Religionis catholicae manifeste contrarias, nec reprobata sint harum statuta, neque ipsa insignia seu vexilla aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum praesferant, in ecclesiis admitti possunt. Quum vero in favorem et obsequium eiusdem Religionis catholicae pacifice postuletur praedictorum insignium seu vexillorum benedictio, haec concedi potest, adhibita formula Ritualis romani ». Instructionem promulgandam edixit S. Congregatio 26 Martii 1924².

3. - « D. - An sub verbis can. 1233, § 1: *Clerici... ecclesiae addicti*, veniant etiam ecclesiae cathedralis vel collegialis capitulares, quales.

R. - Negative ». C. I., 8 Aprilis 1941³.

4. - « An sustineatur caput XIII Statuti ecclesiae collegialis loci Arco, die 14 Aprilis 1925, funera quod spectat ». S. C. Concilii, 5

5) A. A. S., XXXIV, 205-206.

Can. 1233. — 1) Ctr. *Palestra del Clero*, XX, II, (1941, Octob.), p. 236. — 2) A. A. S., XVI, 171; *Periodica*, XIII, 114. — 3) A. A. S., XXXIII, 173.

Iulii 1941, respondit: « Affirmative ». Agebatur autem in casu de statuto quod sic sonat: « Per i funerali (nempe partialia) che hanno luogo nelle chiese *filiari* (in decem nempe suburbiis), nel caso che, oltre ai sacerdoti della frazione, si invitassero altri sacerdoti, sarà da dare la preferenza nell'invito di intervenire ai cappellani ed ai canonici, prima che ai sacerdoti del clero regolare »⁴.

5. - « An vexilla cuiusque civium partis (partito politico) benedicere liceat ». S. C. S. Officii, 5 Martii 1947, respondit: « Negative ». S. C. S. Officii, 20 Martii 1947⁵.

1234 « D. - An religiosi, etiam exempti, subsint indici funeralium taxarum, de quo in canone 1234.

R. - Affirmative ». C. I., 6 Martii 1927¹.

1236 1. - S. C. Concilii, 9 Iunii 1923, declaravit paroeciam quasicathedralis etiam in ordine ad percipienda emolumenta funerum equiparari paroeciis domicilii¹.

2. - S. C. Concilii, 12-20 Novembris 1927, parochus paroeciae sitae extra civitatem in qua situm est coemeterium municipale agnovit ius deferendi proprios paroecianos ad idem coemeterium de licentia tantummodo auctoritatis civilis, excluso quolibet iure parochi ecclesiae cathedralis in cuius territorium coemeterium situm est, non obstante can. 1230, § 7 (Vide can. 1230)².

3. - S. C. Concilii, 15 Novembris 1930, declaravit solvendam esse parochis portionem paroecialem a Capitulo et a rectoribus confraternitatum in casu electionis sepulturae, non obstante contraria consuetudine (Vide can. 1226)³.

1237 1. - « D. - I. Utrum officium funebre, quod non intra mensem a die tumulationis celebratur, sed intra mensem a die notitiae obitus alicuius, qui in regione longe dissita decessit (v. g., in America), haberi debeat officium sollemne, de quo in canone 1237, quoad effectus paragraphi secundae illius canonis.

II. An Ordinarius, ad vitandos abusos eorum qui ultra mensem protrahunt officium funebre eo animo ut parochus emolumenta non percipiat, possit statuere quod officium a parentibus celebratum pro defuncto publice et cum cantu habeatur uti officium sollemne funebre, quoad omnes suos effectus.

1) A. A. S., XXXIV, 101-103. — 5) A. A. S., XXIX, 130.

Can. 1234. — 1) A. A. S., XIX, 161; *Revue des Communautés Religieuses*, III (1927), 111; *Periodica*, XVI, 59; *Ius Pontificium*, 1927, 6.

Can. 1236. — 1) A. A. S., XVII, 508; *Periodica*, XIV, 118; *Ius Pontificium*, 1925, 117. — 2) A. A. S., XX, 142; *Periodica*, XVII, 136. — 3) A. A. S., XXV, 155; *Il Monitore ecclesiastico*, XLV, 168.

R. - Ad I et II. Recurrendum esse ad S. C. Concilii ». C. I., 24 Novembris 1920 ¹.

2. - Missae Gregorianae aut Novendialis quae celebrentur loco funeris non subsunt normis datis a can. 1237 sollemne primum officium funebre spectantibus. S. C. Concilii, 16 Aprilis 1921 (Vide can. 833).

3. - S. C. Rituum, 16 Iunii 1922, ad dubium: « Utrum Missa de requie, quae celebratur in translatione cadaveris iam humati in definitivam sepulturam, gaudeat privilegiis Missae exsequialis ut in die obitus seu depositionis, quamvis exsequiale funus peractum fuerit occasione praecedentis sepulturae ». Respondit: « Negative, sed ad casum propositum eadem S. Congregatio extendit privilegia contenta in novis rubricis Missalis, tit. III, de *Missis defunctorum*, n. 6 » ².

4. - S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1924, declaravit canonem 1215 et sequentes referri ad funus proprie dictum quod fit in translatione cadaveris ad ecclesiam ante depositionem ipsius cadaveris, non ad funera quae fieri aliquando solent occasione translationis cadaveris iam suo tempore humati. Ideo parochus proprius nullum ius in haec funera cadaveris iam humati et deinde exhumati et translati habere potest ³.

5. - S. Rituum Congregatio, 1 Maii 1942, decretum edidit de ritibus servandis in funeribus faciendis diebus dominicis (Vide can. 1230, n. 5).

1239 Funus ecclesiasticum nequit a fidelibus christianis renuntiari; potest excludi sollemnitatis non autem funus. S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1924 (Vide can. 1215) ¹.

1240 1. - S. C. Concilii, 10 Februarii 1923, 4 Aprilis 1925 et 13 Iunii 1925 declaravit duella academica germanica subiecti poenis duellorum de quibus in can. 2351 (Vide can. 2351).

2. - « D. - An, vi canonis 1240, § 1, n. 5, ecclesiastica sepultura priventur qui mandaverint suum corpus cremationi tradi et in hac voluntate permanserint usque ad mortem, etiamsi crematio ad normam canonis 1203, § 2 non sequatur.

R. - Affirmative ». C. I., 10 Novembris 1925 ¹.

3. - De privatione sepulturae contra eos qui suum corpus cremationi tradi mandaverint edidit *Instructionem* S. C. Sancti Officii, 19 Iulii 1926 (Vide can. 1203).

4. - S. C. S. Officii, 15 Novembris 1941, declaravit qua ratione

Can. 1237. — 1) *A. A. S.*, XII, 161; *Periodica*, X, 252; *Ius Pontificium*, 1923, 121. — 2) *A. A. S.*, XIV, 393. — 3) *A. A. S.*, XVI, 188.

Can. 1239. — 1) *A. A. S.*, XVI, 188.

Can. 1240. — 1) *A. A. S.*, XVII, 583; *Periodica*, XIV, 187; *Ius Pontificium*, 1926, 84.

sacerdos catholicus funeribus schismaticorum interesse aut ministrare possit (Vide can. 731).

1245 1. - De facultate ordinaria aut delegata dispensandi fideles Ordinariis competente videri potest responsum S. C. de Propaganda Fide, 2 Decembris 1922 (Vide can. 349) ¹.

2. - Congressibus eucharisticis participantes dum ad congressus eunt et etiam durante itinere a ieiunio et abstinentia dispensantur. Pius XI, Litteris 7 Martii 1924 (Vide can. 821) ².

3. - « D. - An *magnus populi concursus*, de quo in canone 1245, § 2, habeatur etiam per extraordinarium concursum fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum.

R. - Affirmative ». C. I., 12 Martii 1929 ³.

4. - S. C. Concilii, 15 Octobris 1931, ad quinquennium concessit Episcopis Foederatorum Statuum Americae Septemtrionalis facultatem dispensandi ab ieiunio et abstinentia diebus festis civilibus ⁴.

5. - S. Congregatio Concilii, 20 Decembris 1940, nomine Pii XII dispensat pro Italia a lege ieiunii et abstinentiae pro anno 1941 excepta feria IV Cinerum et feria VI in Parasceve attentis peculiaribus circumstantiis belli ⁵.

6. - S. Congregatio pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, 19 Decembris 1941, de mandato Pii XII, attentis peculiaribus hodiernis rerum adiunctis, quamdiu praesens bellum perdurabit, benigne concessit omnibus Ordinariis locorum cuiuslibet ritus, ut, pro suo prudenti arbitrio, in territorio suae iurisdictionis, indulgere valeant generalem dispensationem super lege abstinentiae et ieiunii ecclesiastici, in favorem etiam religiosorum et religiosarum exemptionis privilegio utentium; firma tamen lege abstinentiae et ieiunii pro fidelibus ritus latini, Feria IV Cinerum et Feria VI in Parasceve, pro fidelibus vero alius ritus duobus diebus ab eorum Ordinariis statuendis ⁶.

7. - « Attentis difficilibus rerum adiunctis quae recens bellum sequuta sunt, Ss. mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII benigne prorogare dignatus est, in iisdem terminis et donec aliter provideatur, Apostolicum Indultum diei 19 Decembris 1941 circa legem abstinentiae et ieiunii ecclesiastici ⁷.

Quapropter omnes locorum Ordinarii, cuiuslibet ritus, concedere poterunt, secundum prudens ipsorum iudicium, in territorio propriae iurisdictionis, generalem dispensationem super lege abstinentiae et ieiunii ecclesiastici in favorem quoque Religiosorum et Religiosarum etiam exemptionis privilegio fruuentium. Firma tamen manet lex ab-

Can. 1245. — 1) *Sylloge*, n. 107, p. 207. — 2) *A. A. S.*, XVI, 154. — 3) *A. A. S.*, XXI, 170; *Nouvelle Revue Théologique*, 56 (1929), 684; *Periodica*, XVIII, 173; *Ius Pontificium*, 1929, 106. — 4) Cfr. Bouscaren, *l. c.*, I, ad can. 1245. — 5) *A. A. S.*, XXXIII, 24; *Il Monitore ecclesiastico*, 1941, 8-9. — 6) *A. A. S.*, XXXIII, 516-157. — 7) *A. A. S.*, XXXIII, 516.

stinentiae et ieiunii ecclesiastici, pro fidelibus ritus latini, Feria IV Cinerum et Feria VI in Parasceve; pro fidelibus vero alius ritus, duobus diebus ab eorum Ordinariis statuendis. Locorum autem Ordinarii, qui supra memoratam dispensationem concessuri sunt, hortari curabunt fideles, praesertim Clerum saecularem, Religiosos ac Religiosas, ut hanc apostolicam concessionem compensare studeant voluntariis exercitiis christianae perfectionis et expiationis atque bonis operibus, praecipue caritatis erga inopes et aegrotos, neve omittant pias Deo ad mentem eiusdem Pontificis preces offerre ». S. C. Concilii, 22 Ianuarii 1946 ⁸.

1247 « D. - Utrum festa, quae non enumerantur in canone 1247, § 1, ipso facto ipsaque lege nullibi sint amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione Sanctae Sedis.

R. - Affirmative, ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus ». C. I., 17 Februarii 1918 ¹.

1248 1. - In decreto S. Congregationis pro Ecclesia Orientali 24 Maii 1930 statuitur ut Graeco-Rutheni in regione Canadensi diebus festis incidentibus in utroque ritu, scilicet graeco-rutheno et latino, praecepto audiendi Missam satisfaciant quocumque ritu catholico Missam audiant. Idem valere statuit Sacra eadem Congregatio et pro Graeco-Ruthenis in Statibus Confoederatis Americae Septentrionalis, die 11 Iunii 1930 ¹.

2. - Romanus Pontifex permisit ad consolationem fidelium, qui tempore belli hispanici 1936-1939 Missas audire in ecclesia non poterant, ut Missa in cappella erecta in sede ubi radiotransmissiones fiebant diceretur. Ex hoc tamen minime deducendum est Romanum Pontificem permisisse praecepto satisfieri audiendo Missam radiotelephonice transmissam ².

1251 1. - « D. - Potestne retineri tuta conscientia doctrina quae tenet, post publicationem novi Codicis, diebus ieiunii tantum pluries vesci posse carnibus?

R. - Negative ». C. I., 29 Octobris 1919 ¹.

2. - S. C. Concilii, 17 Octobris 1923, proposito dubio: « An diebus solius ieiunii iis pluries carnibus vesci liceat, qui ratione aetatis,

8) *A. A. S.*, XXXVIII, 27.

Can. 1247. — 1) *A. A. S.*, X, 170; *Periodica*, IX, 82.

Can. 1248. — 1) *A. A. S.*, XXII, 354; *Il Monitore ecclesiastico*, 1930, 230. — 2) Ita in nota *Osservatore Romano*, 11 Martii 1938; *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 63, 70-71.

Can. 1251. — 1) *A. A. S.*, XI, 480; *Periodica*, X, 104.

officii, vel valetudinis lege ieiunii non teneantur ». Respondit: « Affirmative » ².

1252 1. - « D. - Utrum canon 1252 iam ubique obligandi vim habere inceperit, non obstantibus legibus particularibus.

R. - Affirmative ». C. I., 3 Ianuarii 1918 ¹.

2. - « D. - An lex abstinentiae cesset in Gallia diebus festis sub praecepto in universa Ecclesia servatis, sed in Gallia ex concessione Sanctae Sedis suppressis, scilicet festis Circumcisionis, Epiphaniae, Immaculatae Conceptionis beatissimae Virginis Mariae et beatorum Apostolorum Petri et Pauli.

R. - Negative ». C. I., 17 Februarii 1918 ².

3. - « D. - I. Utrum, si festum S. Iosephi diei 19 Martii incidat in feria sexta vel sabbato, teneat tantum lex ieiunii, an etiam lex abstinentiae. — Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam:

II. Utrum cesset lex abstinentiae, etiam si festum S. Iosephi incidat in aliqua die quatuor Temporum.

R. - Ad I. Servetur canon 1252, § 4, seu non cessant nec lex ieiunii nec lex abstinentiae.

Ad II. Provisum in responsione ad I ». C. I., 24 Novembris 1920 ³.

4. - « D. - I. Utrum, ad normam canonis 1252, § 4, ieiunium cesset quando dies festus, qui ieiunium in vigilia habet adnexum, incidit in feria secunda, ita ut non amplius ipsum ieiunium anticipari debeat sabbato praecedenti.

II. Utrum verba: *nec pervigilia anticipantur*, respiciant tantum exceptum tempus Quadragesimae, an etiam totum annum.

R. - Ad I. Affirmative, salvo praescripto canonis 1253.

Ad II. Respiciunt totum annum ». C. I., 24 Novembris 1920 ⁴.

5. - Huc spectat etiam responsum S. C. Concilii, 9 Februarii 1924, de obligatione abstinentiae peregrinorum in locis ubi viget ex indulto S. Sedis legis universalis mitigatio (Vide can. 14).

6. - S. C. Concilii, 13 Novembris 1937, proposito dubio: « An et quomodo expediat concedere dispensationem a lege abstinentiae et ieiunii in pervigilio Nativitatis Domini ». Respondit: « Negative seu non expedire et ad mentem. Mens autem est ut Ordinarii satagant opportunis instructionibus fideles inducere ad ius commune servandum » ⁵.

2) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* Legere illud poteris in *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, vol. 103, p. 63; Bouscaren, *l. c.*, I, ad can. 1251.

Can. 1252. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, XXX (1918), 112. Responsum non fuit authenticè promulgatum in *A. A. S.* — 2) *A. A. S.*, X, 170; *Periodica*, IX, 82. — 3) *A. A. S.*, XII, 576; *Periodica*, X, 249; *Ius Pontificium*, 1923, 123. — 4) *A. A. S.*, XII, 576; *Periodica*, X, 249; *Ius Pontificium*, 1923, 122. — 5) *A. A. S.*, XXX, 160. *Theologische-praktische Quartalschrift*, 91 (1938), 540.

1253 1. - S. C. Concilii, 10 Novembris 1919, renovavit indultum de abstinentia et ieiunio pro America Latina et insulis Philippinis, paucis introductis mutationibus¹.

2. - C. I., 24 Novembris 1920, declaravit verba: *nec pervigilia anticipantur*, de quibus in can. 1252, respicere totum annum, salvo praescripto can. 1253 (Vide can. 1252).

3. - S. C. de Religiosis, 22 Martii 1921, declaravit diebus festis de praecepto extra Quadragesimam non cessare legem ieiunii quae vigeat vi Regulae Fratrum Minorum².

4. - S. C. Concilii, 9 Februarii 1924, declaravit, peregrinos tempore Quadragesimae, in locis ubi ex speciali dispositione Sanctae Sedis abstinentia sabbati servari debet feria IV, teneri eandem abstinentiam servare alterutra die ad libitum, scilicet vel feria IV vel sabato (Vide can. 14).

5. - S. C. Concilii, 18 Ianuarii 1936, proposito dubio: « An et quomodo adhuc vigeat votum in casu »; respondit: « Ex deductis non constare de obligatione voti ». Agebatur autem in casu de voto emisso ab Archiepiscopo Bogotensi una cum clero saeculari et regulari ac Capitulo Ecclesiae Cathedralis 27 Octobris 1849, celebrandi nempe quotannis festum Immaculae Conceptionis eo die quo Romanus Pontifex dogma definiret, atque ieiunium servandi in pervigilio eiusdem festi. In causae autem disceptatione principium hoc sine discussione admittitur: Ieiunium ex voto posse vi voti solummodo voventes, non vero eorum successores aut posteros, obligare. Posteriores poterunt obligari lege ecclesiastica aut legitimo statuto non vero vi voti. At in casu nec obligatio ex lege agnita fuit³.

1254 D. - An verbum *omnes* huius can. 1254, § 2, quoad legem ecclesiasticam ieiunii, applicetur eodem modo etiam mulieribus prout applicatur viris.

R. - Affirmative. C. I., 13 Ianuarii 1918¹.

1255 De sacra liturgia omnino videndae sunt Litterae Encyclicae Pii XII « *Mediator Dei et hominum* », 20 Novembris 1947¹.

1258 1. - S. C. de Propaganda Fide in epistola ad Vicarium Apostolicum de Kirin, 28 Maii 1935, normas propositas ab Ordinariis de Manchoukuo approbat. Hae normae respiciunt honores tributos imagini Confucii in scholis expositae; ingressum alumnorum, militum et officialium in *Pagodas*; cooperationem pecuniariam catho-

Can. 1253. — 1) *A. A. S.*, XI, 462. — 2) *Acta Ordinis Minorum*, 1921, p. 125. Vide Sartori, l. c., ad can. 1253. Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.* — 3) *A. A. S.*, XXIX, 343.

Can. 1254. — 1) *Il Monitore ecclesiastico*, 1929, 158; *Palestra del Clero*, 1929, 180.

Can. 1255. — 1) Cfr. *L'Osservatore Romano*, 30 Nov. 1947, ubi integre ipsae Litterae reportantur.

licorum in constructionem vel reparationem *Pagodarum*; ac tandem assistentiam ad funera pagana¹.

2. - S. C. de Propaganda Fide in *Instructionem*, 26 Maii 1936, ad Delegatum Apostolicum in Iaponia dat normas a catholicis servandas circa officia erga patriam. In ipsis permittuntur catholicis certi actus ex ethnicis religionibus orti qui tamen hodie, ex declarationibus auctoritatis civilis localis, ut mere civiles considerantur. Ita permittitur catholicis interesse caeremoniis quae fieri solent ad monumenta linja; itemque caeremoniae in funeribus, matrimoniis aliisque ritibus vitae privatae in vita sociali Iaponensi usitatis².

3. - S. C. de Propaganda Fide, 8 Decembris 1939, dedit *Instructionem* circa quasdam caeremonias et *iusiurandum de ritibus Sinensibus*. Praemittit *Instructio* nonnullas caeremonias, quae antiquitus cum ritibus ethnicis connexae erant, hodie, mutatis moribus et animis, civilem tantum servare significationem pietatis in antenatos vel amoris in patriam vel urbanitatis in proximos. Et, cum Gubernium Sinense declaraverit caeremonias quas fieri iubet in honorem Confucii non fieri animo tribuendi cultum religiosum, licitum est catholicis iisdem caeremoniis adesse. Item tolerandum ut catholici magistratus et alumni, qui publicis caeremoniis adsistere iubeantur quae speciem praeserant superstitionis, intersint quidem, dummodo, ad mentem can. 1258, passive se habeant. Item licitae et honestae habendae sunt inclinationes capitis et aliae civilis observantiae manifestationes ante defunctos vel defunctorum imagines. In eadem *Instructio* S. Congregatio dispensandum censuit a iureiurando a Benedicto XIV per Constitutionem *Ex quo singulari*, 11 Iulii 1742, imposito omnibus sacerdotibus non disputandi de licitate rituum sinensium firmis aliis dispositionibus circa eosdem ritus³.

4. - « D. - Utrum abolito *iuramento super ritibus sinensibus*, opportunum sit dispensare etiam missionarios in Indiis Orientalibus a *iuramento super ritibus malabaricis* ». S. Congregatio de Propaganda Fide, 9 Aprilis 1940, respondit: « Affirmative, firma obligatione de cetero observandi praescripta Benedicti XIV, quatenus a S. Sede non immutata »⁴.

1261 1. - « In urbe N. tempore quo ecclesiae urbis quinquennali visitationi subdebantur, misit Ordinarius loci suum delegatum ad visitandum templum Ordinis N. in illa urbe existens. Superiore praedicti Ordinis non reluctantem, delegatus Ordinarii visitavit templum et sacrarium eodem modo, quo ecclesiae non exemptae visitari solent. — Re audita, Provincialis praedicti Ordinis protesta-

Can. 1258. — 1) *Sylloge...*, n. 192, p. 479-482; *Periodica*, 1937, 87 sqs.; M. a Coronata, *Institutiones*, II, ed. 3, pag. 673. — 2) *A. A. S.*, XXVIII, 406-409; *Periodica*, XXVI, 87 sqs. et 103 sqs. — 3) *A. A. S.*, XXXII, 24-26; *Il Monitore ecclesiastico*, 1940, 26-30; *Commentarium pro Religiosis*, 5-14; M. a Coronata, *Institutiones*, II, ed. 3, pag. 683. — 4) *A. A. S.*, XXXII, 379.

tionem Ordinario porrexit, in qua cum debita reverentia ei inculcare conabatur, templum Ordinis vi exemptionis visitationi loci Ordinarium subiectum non esse. Quod si vero de visitatione iuxta can. 1261, § 2 agatur, illam supponere leges particulares in materia in praedicto canone expresse latas, hancque visitationem totam quantam differre ab illa quinquennali. Ordinarius affirmat, se allatas rationes non agnoscere seque ius habere etiam exemptorum regularium templa visitandi. Ad rem dirimendam quaeritur:

I. Utrum Ordinarius loci templa Ordinis N. in sua dioecesi existentia modo praedicto quinto quoque anno visitare possit.

Et quatenus negative

II. Utrum in casu, quo leges dioecesanae (e. g. synodales) non quidem novam materiam iuxta canonem 1261 afferunt, sed solum leges ecclesiasticas urgent, Ordinarius ad visitationem manum apponere possit.

Et quatenus negative

III. Utrum visitatio, de qua in can. 1261, § 2, eodem modo instituenda sit ac solita quinquennali visitatio ecclesiarum non exemptarum.

Et quatenus negative

IV. Utrum ad visitationem iuxta can. 1261, § 2 extendi possint responsa S. C. Ep. et Reg. ante novum Codicem data, nempe, Ordinarius visitationis iure in tantum solum generatim utatur, in quantum positivam habeat notitiam, leges particulares a se latas in ecclesiis regularium exemptorum non observari. Eminentissimus Card. Gasparri Praeses Commissionis pro interpretatione Codicis, 8 Aprilis 1924 ad I, II, III, dubium respondit: Negative — ad IV vero dubium: Affirmative¹.

2. - S. C. Concilii, decreto 7 Iunii 1932, ad abusos impediendos qui facile oriri possunt ex publicatione in ephemeridibus gratiarum et miraculorum ab aliquo Servo Dei vel Sancto factorum praecepit exactam observantiam canonum 1261 et 1386. Facultas edendi huiusmodi scripta ne concedatur, nisi praehabita peculiaris censoris ex officio, ad praescriptum Encyclicae *Pascendi* Pii X 8 Septembris 1907, favente sententia, eaque singulis vicibus scripto danda. Caveat autem censor ut enarrata, quae sub gratiarum nomine exhibentur, ea praeferant credibilitatis signa ut, omnibus prudenter perpensis, fidem mereri possint, atque insuper ut omnis inter gratiam obtentam et elemosynam oblatam vel minima connexionis suspicio exsulet².

Can. 1261. — 1) Responsum non fuit authentice promulgatum in *A. A. S.* Ipsum legere poteris in *Commentarium pro religiosiis*, IX, 243; in opusculo *Disquisitio circa ius Ordinarii dioecesanii visitandi ecclesias regularium*, 1936, ad Aquas Claras, pag. 13; vel in *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, vol. 55, 17 et sq.; itemque in M. a Coronata, *Institutiones I. C.*, II, ed. 3, p. 151, nota 4. — 2) *A. A. S.*, XXIV, 249; *Periodica*, XXI, 247; *Revue des Communautés Religieuses*, VIII (1932), 154.

3. - S. C. Concilii, 11 Februarii 1936, dedit normas ad ordinandas peregrinationes ad celebriora Sanctuaria (Vide can. 1290).

4. - S. C. S. Officii, decreto 26 Maii 1937, vigilantiam Ordinariorum locorum iterum excitat de novis cultus seu devotionis formis non introducendis deque insolitis in re abusibus amovendis³.

5. - S. C. S. Officii, 18 Iunii 1938, decrevit specialem cultum erga Sacrum Caput D. N. I. Christi non esse introducendum, attento decreto 26 Maii 1937⁴.

6. - S. C. S. Officii, 12 Decembris 1939, declaravit non licere inter fideles fovere has formas devotionis: *Devozione all'amore annientato di Gesù et Rosario delle SS. Piaghe di N. S. G. C.*⁵.

7. - S. C. S. Officii, Decreto 8 Martii 1941, prohibuit associationem *La Crociata Mariana* primitus in civitate Pratensi erectam et iam anno 1937 ab Episcopis Etruriae proscriptam⁶.

8. - S. C. S. Officii, 2 Aprilis 1941, declaravit non esse propagandam devotionem vulgo *L'amore misericordioso di Gesù*. S. C. S. Officii, 5 Aprilis 1941⁷.

9. - Decretum de praevia censura librorum pietatis. « Supremae huic S. C. S. Officii haud infrequenter parvi libri pietatis ac folia precum deferuntur quae, etsi ab erroribus sunt immunia, quaedam tamen continent genuinae pietati christianae parum congruentia, et insueta cultus seu devotionis genera inducunt non conformia cum Decreto S. Officii, 26 Maii 1937, *de novis cultus seu devotionis formis non introducendis*. Ut igitur haec vitentur, Ordinarii ad praevidiam librorum foliorumque pietatis censuram doctos et prudentes viros deputent, qui in suo obeundo munere nedum doctrinae puritati, sed et sacri cultus gravitati consulant; iidemque Ordinarii licentiam edendi huiusmodi scripta ne concedant nisi maxima adhibita cautela ». S. C. S. Officii, 17 Aprilis 1942⁸.

1262 1. - S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1930, dedit *Instructionem* ad Ordinarios dioecesanos de inhonesto feminarum vestiendi modo. S. Congregatio laudat Episcopos in hac re vigilantes eosque, ut incepta et opportune inita consilia urgeant, hortatur. Deinde decernit: 1° Parochi et concionatores instent, arguant, obsecrent, increpent indecorose vestientes; — 2° Parentes peculiarem diligentiam adhibeant ut filiae a primis annis modestiam addiscant; — 3° Publicae gymnicae exercitationes filiabus inhi-beantur; — 4° Moderatrices scholarum alumnas ad honeste vestiendum inducant; — 5° Immodeste vestientes in collegiis ne admittantur et expellantur; — 6° Religiosae in suis oratoriis, scholis etc. puellas inhoneste vestientes ne admittant,

3) *A. A. S.*, XXIX, 304; *Periodica*, XXVI, 470; *Apollinaris*, X, 502. — 4) *A. A. S.*, XXX, 226; *Periodica*, XXVI, 368. — 5) *A. A. S.*, XXXII, 24; *Perfice Manus*, 1940, 516-518 et 383. — 6) *A. A. S.*, XXXIII, 69; *Il Monitore ecclesiastico*, 1941, 58-59. — 7) *Il Monitore ecclesiastico*, 1942, 4. — 8) *A. A. S.*, XXXIV, 149.

et quas admiserint pudorem doceant; — 7° Instituuntur associationes ad abusus in hac re auferendos et impediendos; — 8° In associationibus mulierum inhoneste vestientes ne admittantur aut expellantur; — 9° Inhoneste vestientes a Communionem, a munere matrinae et ab ipso ingressu in ecclesiam arceantur; — 10° In festis B. Mariae Virginis modestia in vestibus commendetur in concionibus et in festo Immaculatae Conceptionis quotannis in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus habeantur etiam sermones de hac re; — 11° Consilium vigiliantiae de quo in declaratione S. Officii 22 Martii 1908 hac de re quotannis deliberet; — 12° Triennalis relatio de his ad S. C. Concilii mittenda erit¹.

2. - Pius XI, in sermone habito, 11 Februarii 1931, ad parochos Urbis et ad concionatores quadragesimales, inter alia valde commendavit concionatoribus ut de indecenti mulierum vestitu et de religiosa instructione contra excessus *sportivos* praedicarent².

1263 Quaestio de sedilibus aliquibus reservatis in ecclesia non est quaestio mixti fori, sed potius quaestio de re materiali spiritali adnexa, ideoque est quaestio fori ecclesiastici. S. C. Concilii, 11 Decembris 1920¹.

1264 Pius XI, Motu proprio *Ad musicae sacrae*, 22 Novembris 1922, promulgavit legem organicam *Urbanae Scholae altioris de musica sacra* a Pio X fundatae. Schola est Sedi Apostolicae immediate subiecta; habet patronum Cardinalem; praesidem sacerdotem a Sancta Sede electum; ius habet conferendi gradus academicos in cantu gregoriano, in sacris modis conficiendis et in organo moderando; clericis et laicis patet¹.

2. - Pius XI, Bulla *Divini cultus*, 20 Decembris 1928, plurima statuit de liturgia, de cantu gregoriano et de musica sacra quotidie magis provehendis. Praemissa praestantia liturgiae ex connexione cum dogmate in sanctificatione animarum; itemque praemissa sollicitudine Romanorum Pontificum et speciatim Pii X in hac re, aliqua statuit de novo ad ea quae iam statuta sunt melius servanda occasionem nactus memoriae Guidonis Aretini. Haec igitur commendat Ordinariis et Episcopis: — 1° Clericis etiam religiosis a prima aetate et deinde continua ratione cantus gregorianus et musica sacra proponenda sunt; — 2° In seminariis et studiorum domibus fere quotidiana brevis exercitatio in his rebus habeatur; — 3° Instauretur in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus chorale officium etiam quod cantum attinet. — 4° Cantus gregorianus adhibendus est ille qui in editione typica vaticana refertur. In choro constituatur rector chori qui

Can. 1262. — 1) *A. A. S.*, XXII, 26; *Periodica*, XIX, 195. — 2) *A. A. S.*, XXI, 103.
Can. 1263. — 1) *A. A. S.*, XIII, 262.
Can. 1264. — 1) *A. A. S.*, XIV, 623; *Periodica*, XI, 192.

alios dirigat et corrigat. — 5° Commendantur cappellae musicorum et polyphonicae. — 6° Item commendantur scholae cantus puerorum in ecclesiis paroecialibus. — 7° Reprobatur immoderatus instrumentorum usus et commendantur cantus vocis humanae. — 8° Organum praeservandum est a profanis novitatibus. — 9° Optanda est populi participatio in cantu liturgico. — 10° Curandum ut populus institutionem liturgicam musicamque recipiat. — 11° Laudantur instituta quibus periti cantus magistri praeparantur, praecipue Pontificia Schola altior musicae sacrae².

3. - S. C. Concilii, 25 Februarii 1932, dedit *Instructionem* de libero musicae sacrae usu in ecclesiis; contra aliquos qui volebant reservare auctoribus seu scriptoribus musicae sacrae in ecclesiis exsequendae aliquam exactionem pecuniae pro qualibet executione, S. Congregatio id reprobat. Proinde statuit in ecclesiis eas solas musicas admitti quas fide scripta constat a qualibet exactione pecuniali esse immunes. Selectio musicarum admittendarum fiat opera Commissionis dioecesanae pro musica sacra. Instructio italice edita est³.

4. - Datur Pontificio Instituto musicae sacrae ius conferendi gradus academicos in Cantu gregoriano etc. S. C. de Seminariis, 12 Martii 1936 (Vide can. 1377).

1265 1. - « D. - Utrum Ordinarius, attenta immemorabili consuetudine, possit licentiam dare asservandi Ss. mam Eucharistiam in curatis ecclesiis, quamvis non stricte paroecialibus, sed subsidiariis. R. - Affirmative ». C. I., 20 Maii 1923¹.

2. - De cultu Ss. Eucharistiae videndae sunt *Litterae Encyclicae* Pii XII, 20 Nov. 1947.

1267 « D. - I. Canon 1267, quo statuitur in religiosa vel pia domo Ss. mam Eucharistiam custodiri non posse nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio, intelligendusne est ita ut prohibeatur eam custodire, praeterquam in publica ecclesia pro commoditate fidelium, etiam in principali oratorio, in quod sodales conveniunt ad exercitia pietatis communia? — Et quatenus negative ad primum:

II. An idem dicendum sit, si quando ecclesia clausa ordinarie maneat et fidelibus non pateat.

III. An idem dicendum sit de pluribus oratoriis in eadem pia domo pluribus sodalium classibus destinatis (duobus, tribus, etc., pro novitiis, ex. gr., fratribus laicis, studentibus, sacerdotibus), ita ut unaquaeque classis suum distinctum habere possit oratorium cum Ss. mo Sacramento; an potius hoc coarctandum ad ecclesiam et oratorium pro tota communitate destinatum.

R. - Sensus canonis 1267 hic est: Si religiosa vel pia domus ad-

2) *A. A. S.*, XXI, 33; *Periodica*, XVIII, 74. — 3) *A. A. S.*, XXIV, 72; *Periodica*, XXI, 178.

Can. 1265. — 1) *A. A. S.*, XVI, 115; *Periodica*, XIII, 86; *Ius Pontificium*, 1924, 99.

15 — A CORONATA, *Interpretatio authentica*.

nexam habeat publicam ecclesiam eaque utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia explenda, Ss. mum Sacramentum in ea tantum asservari potest; secus in oratorio principali eiusdem religiosae vel piaae domus (sine praeiudicio iuris ecclesiae, si quod habeat); in eoque tantum, nisi in eodem materiali aedificio sint distinctae ac separatae familiae, ita ut formaliter sint distinctae religiosae vel piaae domus ». C. I., 2-3 Iunii 1918 ¹.

1268 Altare Sanctissimi Sacramenti ob maiorem ornatum recognosci et distingui debet ab aliis altaribus ecclesiae. Instructio S. C. de Sacramentis, 26 Martii 1929, n. 12 (Vide can. 822) ¹.

1269 1. - « Pluribus in locis collocarunt statuam SS. Cordis Iesu super tabernaculum SS. Sacramenti et difficile obtineri potest ut ab ipso eam amoveant. Tolerari potest an non? ». S. R. Congregatio respondit: « Negative et servantur decreta ». Responsum sine datatione remissum fuit ei qui dubium proposuerat a S. C. Consistoriali die 8 Octobris 1932 ¹.

2. - S. C. de Sacramentis, 26 Maii 1938, dedit *Instructionem* de Sanctissima Eucharistia sedulo custodienda. In ea urget Sacra Congregatio observantiam can. 1265 de hebdomadali celebratione et de necessario custode ecclesiae vel oratorii in quibus Sanctissima Eucharistia asservatur. Commendatur tabernaculum ex metallo forti confectum ad furta evitanda sacrilega saltem pro ecclesiis de novo condendis. Custos tabernaculi laicus esse potest, at clavis eiusdem cura esse debet apud sacerdotem. Custos morari debet prope ecclesiam et tempore quo ipsa fidelibus patet custos eam deserere non debet. Etiam nocte ecclesia custodienda est et cum cura advigilandum ne aditus furibus pateat. Si tabernaculum tutum non sit nocte Sacramentum in loco tutiore etiam non sacro, ut in domo parochiali, collocetur cum lampade. Vasa magni valoris ne relinquuntur in tabernaculo nisi quantum necessitas postulat. Clavis tabernaculi ne relinquatur in altari ne tempore quidem officiorum. Apud moniales clavis nequit custodiri intra monasterium sed in sacrario reponenda est in loco tuto secreto duabus clavibus obserato, quarum altera Superiorissae, altera alteri moniali tradatur. In oratoriis collegiorum cura clavis est penes sacerdotem cappellanum qui eam clausam in sacrario custodire potest. In oratoriis privatis cura clavis familiae privilegiatae committitur cum debitis cautelis. Ordinarii in visitatione et etiam extra ipsam diligenter inquirant quomodo in singulis ecclesiis et oratoriis custodiae Sanctissimae Eucharistiae provideatur; ea quae necessaria existimaverint praecipiant et

Can. 1267. — 1) *A. A. S.*, X, 346; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 48; *Periodica*, IX, 151; *Ius Pontificium*, 1922, 51.

Can. 1268. — 1) *A. A. S.*, XXI, 631.

Can. 1269. — 1) Responsum promulgatum est in *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 45 (1933), 129.

contra negligentes ad normam can. 2382 procedant. Ordinarii in hac re procedere, cumulative cum Superioribus religiosis, possunt etiam contra religiosos exemptos. Si furtum sacrilegum SS. Eucharistiae in dioecesi verificetur, Ordinarius loci summarium processum conficiendum curet circa responsabilitatem sacerdotis saecularis aut religiosi etiam exempti, quem processum ad Sacram Congregationem transmittere debet, poenas forte reo applicandas proponens. Diligenter inquirant Ordinarii utrum oratoria et ecclesiae, in quibus de facto SS. Sacramentum asservatur, iure id faciendi revera gaudeant, et in casu negativo abusum removeant. Ne commendent Ordinarii preces ad impetrandam facultatem asservandi SS. Eucharistiam, nisi certo constet condiciones omnes iure requisitas in singulis casibus verificari pro recta eiusdem SS. Sacramenti asservatione et custodia ².

3. - S. C. de Sacramentis, 10 Februarii 1941, Ordinarios denuo hortatur « ne graventur parochos ecclesiarumque rectores omnes iterum monere ut, sollicitudine aucta, quae per praefatam Instructionem (diei 26 Maii 1938) praescriptiones editae sunt, sedulo planeque observent. Quod si nihilo secius furtum aliquod sacrilegum infelicitate perpetratum forte fuerit, numquam prorsus omittant Ordinarii ipsi processum oeconomicum, de quo in dicta Instructione (n. 10, litt. b), illico conficere, actaque omnia dein huic S. Congregationi deferre » ³.

4. - S. C. de Disciplina Sacramentorum, 15 Septembris 1943, promulgavit Epistolam ad Ordinarios de custodia et protectione Sanctissimae Eucharistiae adversus bellicos incursus. In ipsa, praeter alia « prudenti Ordinarii iudicio, spectato hostilium offensionum incumbente periculo, potestas committitur suspendendi ad tempus, donec scilicet periculum ipsum perseveret, facultates asservandi Sanctissimam Eucharistiam in ecclesiis, quae tamen paroeciales aut praecellentes in loco non sint; et in oratoriis semipublicis, idest cappellis communitatum, seminariorum, nosocomiorum etc., ubi sacerdos aut diaconus praesto non sint, qui sacras species in tuto collocare possint tempore incursionum; necnon praesertim in oratoriis domesticis ».

In communitatibus quae *refugium* contra incursiones aëreas bellicas habent, si in refugio aptari bene possit oratorium, in eo asservari poterit Sanctissima Eucharistia ibique communitas sueta pietatis exercitia explere poterit. Idem fere servari poterit et pro ecclesiis paroecialibus. Sacerdos, qui prope ecclesiam incolat, tempore incursionis Sanctissimam Eucharistiam arripiat et in tutum locum deferat. Parochus edoceat aliquos fideles prudentia et pietate praestantes in extrema necessitate, si sacerdos desit et periculum profanationis immineat, sacras species in loco tuto ponere ac forte deperditas quam diligentissime requirere et colligere ⁴.

2) *A. A. S.*, XXX, 198; *Periodica*, XXVII, 386; *Revue des Communautés Religieuses*, XIV (1938), 166; *Theologische-praktische Quartalschrift*, 91 (1938), 713. — 3) *A. A. S.*, XXXIII, 57. — 4) *A. A. S.*, XXXV, 282-285.

1271 S. Rituum Congregatio, decreto 13 Martii 1942, praesenti bello perdurante atque iisdem redeuntibus adiunctis, auctoritate Summi Pontificis, derogans can. 1271, et inhaerens decreto 23 Februarii 1916, rursus remittit Ordinariis prudentiae ut peculiaribus belli circumstantiis sive ordinariis sive extraordinariis perdurantibus, ubi oleum olivarum vel cera apum vel penitus deficient vel sine gravi incommodo et dispendio haberi nequeant, ibi lampas Sanctissimi Sacramenti aliis oleis, quantum fieri potest vegetalibus, nutriri possit, ultimo autem loco etiam lux electrica adhibeatur. Item Ordinariis remittitur ut in iisdem adiunctis reducat numerus candelarum pro sacris functionibus praescriptus, et huic deficientiae sufficiantur usque ad numerum requisitum candelarum alia lumina etiam electrica¹.

1272 1. - S. C. de Sacramentis, 7 Decembris 1918, declaravit probari non posse praxim adhibendi, pro Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas¹.

2. - S. C. de Sacramentis in *Instructione* 26 Martii 1929, inter alia plura statuit pervigilem curam adhibendam esse ut hostiae non nisi recenter confectae consecrentur, et sacrae particulae in pyxide asservatae frequenter renouentur².

1273 1. - S. Poenitentiaria, decreto 12 Aprilis 1935, indulgentias partiales concessit visitantibus spiritualiter Sanctissimum Sacramentum seu iis qui, ad ecclesiam ire impediti, spiritualiter eo se conferunt¹.

2. - S. Poenitentiaria, decreto 29 Maii 1935, peculiare indulgentias concessit visitantibus Sanctissimum Sacramentum in sepulcro, quod vocant, reconditum per triduum Maioris Hebdomadae².

1274 1. - « D. - Utrum ecclesiae in quibus, ad normam canonis 1274, § 1, sine Ordinarii licentia fieri potest Expositio publica, seu cum ostensorio, die festo Corporis Christi et infra octavam inter Missarum solemnias et ad Vesperas, sint illae tantum, quibus datum est asservare Ss. mam Eucharistiam.

R. - Affirmative, firmo praescripto canonis 1171 ». C. I., 14 Iulii 1922¹.

2. - « D. - An sub nomine *Expositionis publicae*, de qua in canone 1274, § 1, veniat etiam Benedictio eucharistica quae, palam exposito Ss. mo Sacramento in ostensorio, impertiri solet.

R. - Affirmative ». C. I., 6 Martii 1927².

Can. 1271. — 1) *A. A. S.*, XXXIV, 112; *Periodica*, XXXI, 307.

Can. 1272. — 1) *A. A. S.*, XI, 8. — 2) *A. A. S.*, XXI, 631; *Periodica*, XVIII, 305.

Can. 1273. — 1) *A. A. S.*, XXVII, 169. — 2) *A. A. S.*, XXVII, 277.

Can. 1274. — 1) *A. A. S.*, XIV, 529; *Periodica*, XI, 171; *Ius Pontificium*, 1922, 124. — 2) *A. A. S.*, XIV, 529; *Revue des Communautés Religieuses*, III (1927), 99; *Periodica*, XVI, 60; *Ius Pontificium*, 1927, 7.

1275 1. - « In ecclesiis ubi die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum fiat oratio Quadraginta Horarum cum Sanctissimo Sacramento sollemniter exposito, huiusmodi expositio sequatur, repositio vero cum processione praecedat missam cantatam de die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ». S. Rituum Congregatio, 26 Februarii 1919¹.

2. - S. Rituum Congregatio, 17 Aprilis 1919, declaravit non licere nec tolerari posse usum ut missa lecta vel cantata coram Sanctissimo Sacramento sollemniter exposito celebretur aut durante eadem sollemni expositione in ipso altari expositionis Sacra Communio ministraretur. Usus missae cantatae permitti solum potest ex necessitate, ex gravi causa aut de speciali indulto².

3. - Pius XI, Litteris apostolicis 7 Martii 1924, iis qui congressibus eucharisticis intersunt aut iisdem operam navant plurima privilegia concessit. Durante congressu una Missa celebrari potest media nocte, aliae post ipsam, vel transacta una hora post mediam noctem. Durante congressu recitari potest officium SS. Sacramenti loco Officii divini. Canonici eximuntur a choro cum iure ad quaslibet distributiones etiam *inter praesentes*. Ordinarii permittere possunt ut sacerdotes supplentes parochos aliosque congressuum causa absentes binent etiam diebus non festivis. Durante itinere et durante congressu intervenientes dispensati sunt a lege ieiunii et abstinentiae. Haec privilegia conceduntur quibuslibet congressibus eucharisticis etiam regionalibus, dioecesanis et localibus³.

4. - S. Rituum Congregatio, 27 Aprilis 1927, dedit *Instructionem* de Missis in Oratione Quadraginta horarum. Missa sollemnis de SS. Sacramento et pro Pace permittitur iisdem diebus quibus Missa votiva sollemnis pro re gravi; diebus autem quibus Missa votiva sollemnis prohibetur in Missa diei currentis sub unica conclusione additur primae orationi oratio Missae votivae impeditae. Oratio autem Missae de SS. Sacramento omittitur ob identitatem mysterii in festis Passionis, Crucis, SS. Redemptoris, Sacratissimi Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis. In Missis votivis et in Missis quae votivas impediunt dicuntur tantum orationes et commemorationes quae permittuntur in Missis votivis sollemnibus ad normam novarum rubricarum Missalis tit. II, n. 3 et tit. V, n. 3 et 4. In Missis privatis et in Missa votiva sollemni pro Pace triduo Expositionis celebratis addatur oratio de Sanctissimo Sacramento, etiam occurrentibus festis sollemnioribus universalis Ecclesiae, at numquam sub unica conclusione, sed post orationes a rubricis praescriptas. Haec oratio omittitur, si Missa sit de identico mysterio et in die Commemorationis Omnium Fidelium De-

Can. 1275. — 1) *A. A. S.*, XI, 142. — 2) *A. A. S.*, XI, 246; *Periodica*, X, 85; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 49. — 3) *A. A. S.*, XVI, 154.

functorum. In Missa votiva pro Pace sollemni addatur semper symbolum ⁴.

5. - S. Rituum Congregatio, 27 Iulii 1927, iterum declaravit non licere Missam cum cantu aut lectam celebrare coram Sanctissimo Sacramento velato vel in pyxide exposito intra vel extra tabernaculum; nec usum haec faciendi tolerari posse ⁵.

6. - Sacrae Rituum Congregationi proposita fuerunt dubia:

I. An Oratio Ss.mi Sacramenti, extra tempus Orationis XL Horarum dicenda sit in qualibet Missa quae celebratur ad altare, ubi Ss.mum Sacramentum statim post Missam exponatur pro publica causa, dummodo Missa vel Commemoratio in Missa occurrens non sit de identico Domini Mysterio.

II. An praefata Oratio in eadem Missa, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, recitanda sit semper sub altera conclusione, post Orationes a Rubricis praescriptas et ante Collectas a loci Ordinario imperatas.

III. An extra tempus Orationis XL Horarum, perdurante per aliquod tempus extra aliam sacram functionem expositione et adoratione Ss.mi Sacramenti pro publica causa, in omnibus Missis tam cantatis quam lectis addi debeat Oratio Ss.mi Sacramenti, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, dummodo Missa vel Commemoratio in Missa occurrens non sit de identico Domini Mysterio, et exceptis Missis quae in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum celebrentur ⁶.

Sacra autem Congregatio, 11 Ianuarii 1928, respondit: « *Affirmative* in omnibus, ad mentem Decreti *Romana* seu *Instructio* circa Missas in Oratione XL Horarum celebrandas, die 27 Aprilis 1927; sed Oratio Ss.mi Sacramenti teneat locum Missae votivae impeditae de Ss.mo Sacramento ex Apostolico Indulto concessae vel a loci Ordinario pro re gravi et publica simul causa praescriptae et dicatur sub unica conclusione cum prima Oratione Missae » ⁶.

1278 1. - Sacra Rituum Congregatio, 13 Martii 1929, declaravit festa Sancti Francisci Xaverii et Sanctae Teresiae ab Infante Iesu in locis Missionum, vi decreti S. R. Congregationis 14 Decembris 1927, sub ritu duplici primae classis cum octava communi a clero saeculari, sine octava a clero regulari recolenda esse ¹.

2. - Pius XI, Brevi 20 Novembris 1933, confirmat B. Mariam Virginem *del Pilar de Zaragoza* patronam principalem et S. Ioannem Nepomucenum patronum secundarium alicuius civitatis in Costarica ².

3. - Pius XI, suo Brevi 16 Iulii 1935, B. Mariam Virginem de

⁴) *A. A. S.*, XIX, 192; *Periodica*, XVI, 47. — ⁵) *A. A. S.*, XIX, 289. — ⁶) *A. A. S.*, XX, 90.

Can. 1278. — 1) *A. A. S.*, XXI, 195. — 2) *A. A. S.*, XXVIII, 103.

Guadalupa coelestem apud Deum Patronam Insularum Philippinarum declaravit et constituit ³.

4. - Pius XII, Brevi 18 Iunii 1939, Sanctum Franciscum Assisensem et Sanctam Catharinam Senensem primarios Patronos Italiae declaravit, eorumque festa quotannis ab utroque clero, Missa et Officio debitis, sub ritu duplici primae classis absque octava celebrari praecipit ⁴.

1279 1. - S. C. S. Officii, 8 Aprilis 1916, promulgavit decretum prohibens imagines exhibentes Beatam Virginem Mariam indutam vestibus sacerdotalibus ¹.

2. - S. C. S. Officii, decreto 30 Martii 1921, declaravit ipso iure prohiberi ad normam can. 1399, n. 12, et proinde statim removendas ab ecclesiis, oratoriis etc. in quibus forte expositae inveniantur imagines sacras cuiusdam novae scholae pictoricae, quarum specimen exhibetur in opusculo cuius titulus: *La Passion de Notre-Seigneur Jésus-Christ, par Cyril Verschaeve* ².

3. - S. C. Rituum, 23 Aprilis 1926, ad dubia: « I. An statua, representans Dominum nostrum Iesum Christum detecto corde, collocari possit in altari ubi permanentemente custoditur Ss.ma Eucharistia, non tamen supra tabernaculum, sed retro apud parietem; — et quatenus negative ad primum: II. An supradicta statua, representans Dominum nostrum Iesum Christum detecto corde, perpetuo exponi valeat in aedicula facta in pariete apud quem exstat altare, in quo permanentemente custoditur Ss.ma Eucharistia ». Respondit: « *Affirmative* ad utrumque, iuxta prudens Ordinarii iudicium » ³.

4. - S. C. S. Officii, 26 Martii 1928, declaravit non posse repraesentari Spiritum Sanctum sub forma humana sive cum Patre et Filio sive seorsim ⁴.

5. - Ars quaedam nova a sensu christiano aliena damnatur a Pio XI, in Allocutione 27 Octobris 1932 (Vide can. 1164) ⁵.

1283 « D. - An Vicarius generalis, ad normam canonis 1283, § 2, speciali mandato Episcopi indigeat ad authenticandam partem sacrae reliquiae ex authentica extractam.

R. - *Affirmative* ». C. I., 17 Iulii 1933 ¹.

³) *A. A. S.*, XXVIII, 63. — ⁴) *A. A. S.*, XXXI, 256.

Can. 1279. — 1) *A. A. S.*, VIII, 146; *Periodica*, VIII, 174. — 2) *A. A. S.*, XIII, 197; *Periodica*, X, 287. — 3) *A. A. S.*, XVIII, 291. — 4) *A. A. S.*, XX, 103; *Periodica*, XVII, 58. — 5) *A. A. S.*, XXIV, 355.

Can. 1283. — 1) *A. A. S.*, XXV, 345; *Ius Pontificium*, XIII (1933), 186; *Apollinaris*, 1933, 440.

1285 « D. - An Vicarius generalis, vi canonis 1285, § 1, sine speciali mandato Episcopi novum authenticitatis documentum tradere vel sacrae reliquiae novum sigillum apponere possit.
R. - Negative ». C. I., 17 Iulii 1933 ¹.

1290 1. - Episcopi est ius privativum permittendi, abolendi et transferendi processiones. Processiones solitae non indigent licentia singulis vicibus data, nisi consuetudo adsit. Episcopus potest processiones legitime introductas ex causa prohibere. Duae vel plures processiones eadem die diversis horis fieri non prohibentur etiam in eodem loco. Qui in possessione est ducendi aliquam processionem non est turbandus. Ius quod habet aliqua confraternitas ducendi processionem non excludit ius aliarum confraternitatum eadem die ducendi processiones. Ius exclusivum importat ius prohibendi ne alii idem faciant. Ius exclusivum laedit ius Episcopi impraescriptibile permittendi processiones. S. R. Rota, 3 Februarii 1922 ¹.

2. - S. C. Concilii, 11 Februarii 1936, dedit decretum de piis fidelium peregrinationibus ad celebriora sanctuaria moderandis. Peregrinationes istae ad pietatem ordinantur; vir ecclesiasticus eas in parte spiritali dirigere debet; quaevis species lucri ab iisdem arcenda est ².

1291 Processio de qua hoc canone paragrapho 2, non subiacet restrictionibus can. 462. C. I., 12 Novembris 1922, et 10 Novembris 1925 (Vide can. 462) ¹.

1293 Religiosi possunt ducere processionem Corporis Christi etiam extra ecclesiam propriam. C. I., 10 Novembris 1925 (Vide can. 462) ¹.

1294 De iure quod habere possit aliqua confraternitas faciendi processionem decisio S. Romanae Rotae, 3 Februarii 1922, videnda est. In iure animadvertitur eos qui in quasi possessione sunt aliquam processionem faciendi, ius inde habere ne ab aliis turbentur; minime vero eosdem impedire posse quominus Ordinarius loci aliis ecclesiis horis diversis ius concedat processiones faciendi (Vide can. 1290) ¹.

1295 1. - « Ordinarius Bergomensis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia reverenter exposuit:
I. - An liceat vel expediat in sollemnioribus processionibus

Can. 1285. — 1) *A. A. S.*, XXV, 345; *Ius Pontificium*, 1933, 168; *Apollinaris*, 1933, 440.

Can. 1290. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIV, 33 sqs. — 2) *A. A. S.*, XXVIII, 167; *Apollinaris*, IX, 190.

Can. 1291. — 1) *A. A. S.*, XIV, 661, et XVII, 582.

Can. 1293. — 1) *A. A. S.*, XVII, 582.

Can. 1294. — 1) *A. A. S.*, XIV, 395.

quibus defertur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, praecipue cum finis imponitur eucharisticis conventibus, deferre Sanctissimum Sacramentum super currum triumphalem, baldachino coopertum, magnificeque exornatum, equis tractum, super quem ascendit etiam sacerdos qui processioni praest, quique ostensorium regit genuflexus.

II. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel expediat cum, loco Sanctissimi Sacramenti, deferuntur vel statuae Beatae Mariae Virginis, vel Sanctorum exuviae.

III. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel expediat non solum ratione extraordinariae sollemnitatis, sed etiam cum processio iter nimis longum percurrere debeat.

IV. An curru equis tracto possit substitui vehiculum quod vulgo *automobile* audit.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus respondendum censuit: Negative in omnibus et ad mentem », 28 Octobris 1922.

« Mens est: quoad primam quaestionem praeclarum extat exemplum Congressus eucharistici internationalis Romae habiti anno 1922, in quo nullus currus adhibitus fuit pro deferendo Sanctissimo Eucharistiae Sacramento in sollemni processione; idque omnino factum est iuxta dispositiones *Caeremonialis Episcoporum*, Lib. II, cap. 33, *de processione Sanctissimi Sacramenti in festo Corporis Christi*, et *Decretorum* ». 22 Februarii 1924 ¹.

2. - S. C. Rituum, 31 Maii 1930, ad dubium: « Stante antiqua consuetudine, licetne piis sodalitiis laicalibus processionaliter procedentibus ad visitanda sepulera, primo mane feriae VI in Parasceve, deferre signa Passionis et statuam beatae Mariae Virginis perdolentis sine Christo mortuo, iuxta responsum *permitti posse* datum per decreta n. 2375 *Bergomen*, 21 Martii 1744 ad 4, et n. 2682 *Marsorum* 12 Novembris 1831 ad 52? ». Respondit: « In singulis casibus stetur mandatis respectivi Ordinarii loci » ².

1296 1. - S. C. Rituum, 2 Maii 1919, declaravit permitti non posse usum bursae, corporalibus destinatae, ad colligendas elemosynas ¹.

2. - S. C. Rituum, 30 Iunii 1922, ad dubium: « Utrum liceat, quatuor calices..., qui nominibus: *Poculum caeleste*, *Genimina vitae*, *Flos de Virgine*, *Virga Iesse* insigniuntur, in Missae sacrificio adhibere ». Respondit: « Ad Rev.mum D. Ordinarium loci, qui curet ne calices a formis traditionalibus differant, ob periculum effundendi sacras Species et excitandi admirationem » ².

3. - S. C. Rituum, 9 Decembris 1925, ad dubium: « An in con-

Can. 1295. — 1) *A. A. S.*, XVI, 103. — 2) *A. A. S.*, XXII, 361.

Can. 1296. — 1) *A. A. S.*, XI, 246. — 2) *A. A. S.*, XIV, 437. *Revue des Communautés Religieuses*. Documents du Saint-Siège, 52.

removendi. Ordinarius loci potest pagellam a se concessam revocare; potest praedicatori extradioecesano aut regulari praedicationem in sua dioecesi prohibere, monitis in casu proprio Ordinario et Ordinario qui pagellam concessit, et si casus ferat etiam Sancta Sede; potest etiam, concionatori graviter peccanti coeptam praedicationem intercipere. Praedictio ad tempus poterit etiam illi prohiberi qui bonam aestimationem in aliquo loco, etsi sine sua culpa, amiserit. Constituatur in dioecesi Commissio vigilantiae in praedictores et munus vigilandi in locis dissitis vicariis foraneis assignetur. — *Caput quintum* agit de praeparatione remota ad munus praedicationis. Superiores subditos doctrina et lectione ad praedicationes praeparent, itemque exercitiis practicis eorum ingenium cognoscere satagant. Haec institutio etiam post ordinationem prosequatur exercitationibus progressivis et etiam examina ad hoc praescribantur ².

1329 1. - S. C. Concilii litteras ad Ordinarios Italiae, 31 Maii 1920, misit de obligatione parochorum catechismum et instructionem religiosam tradendi. In ipsis, probante Summo Pontifice, Sacra Congregatio Ordinarios rogat ut secundum scientiam et conscientiam Sanctam Sedem edoceant de modo quo providerint ut pueris et adultis catechetica instructio tradatur, et evangelium populo explicetur et quibus sub sanctionibus; de modo quo parochi de facto catechismum doceant et de sanctionibus contra negligentes latis; de modo quo clericus saecularis et regularis in hac instructione danda parochos adiuvent et tandem de consiliis quae ipsi Ordinarii Sanctae Sedi suggerere putaverint ad efficacius obtinendam Codicis iuris canonici hac in re observantiam ¹.

2. - Pius XI, 29 Iunii 1923, apud S. C. Concilii peculiare officium catechisticum instituit (Vide can. 250) ².

3. - S. C. Concilii, decreto 16 Aprilis 1924, de norma servanda cum coetus catechistici aliique pro scholis religionis conventus indicuntur, quaedam statuit. Huiusmodi coetus et conventus laudantur quidem sed simul hanc cautionem in ipsis Sacra Congregatio requirit: ut ante nationales vel provinciales conventus, nuntius cum libello disceptandarum rerum ad Sacram ipsam Congregationem mittatur. Desiderat pariter S. Congregatio ut idem servetur et pro conventibus dioecesanis ³.

4. - S. C. Concilii, 23 Aprilis 1924, occasione instaurationis catecheticae in Italia, instituit penes Ordinarios, ut a parochis diligenter officium tradendae doctrinae pueris impleretur ⁴.

5. - S. C. Concilii, *Epistola* 24 Iunii 1924, ad omnes Ordinarios

2) A. A. S., IX, 328; *Periodica*, IX, 37.

Can. 1329. — 1) A. A. S., XII, 299; *Nouvelle Revue Théologique*, 48 (1921), 263; *Periodica*, X, 193. — 2) A. A. S., XV, 327; *Periodica*, XII, 122. — 3) A. A. S., XVI, 431; *Periodica*, XIII, 186. — 4) A. A. S., XVI, 287; *Periodica*, XIII, 171.

locorum directa, proposuit inquirere de ratione et conditione catecheticae institutionis apud singulas nationes ad facilius hanc materiam ordinandam. Quam ob rem eadem Sacra Congregatio varias Ordinariis interrogationes quibus ipsi respondere debeant proposuit de institutione doctrinae christianae in paroeciis, in collegiis et in publicis scholis ⁵.

6. - S. C. de Seminariis, *Epistola* 8 Septembris 1926 ad Ordinarios directa, de catechetica disciplina in Seminariis, urget observantiam can. 1365, § 3 ubi praecipitur practicas habendas esse exercitationes de ratione tradendi catechismum. Id autem Sacra Congregatio commendat ob rei ipsius momentum in salute animarum, ob obligationem qua tenentur parochi ex iustitia et alii sacerdotes ex caritate, et ob difficultatem ipsius rei, licet enim aliqui putent facile esse catechismum docere, tamen difficillimum est illum bene et cum fructu animarum tradere. Proinde Sacra Congregatio Episcopos enixe rogat ut canonis 1365, § 3 observantiam valde urgeant ⁶.

7. - S. C. de Seminariis, 28 Augusti 1929, valde commendavit studium rerum orientalium et sacrae catechesis in Seminariis (Vide can. 1365).

8. - S. C. de Religiosis, 25 Novembris 1929, dedit *Instructionem* ad Superiores religionum laicalium de obligatione subditos instituendi in doctrina christiana (Vide can. 565).

9. - Pius XI, Litteris Apostolicis, 12 Martii 1930, loco antiquarum novas indulgentias substituit pinguiore, favore omnium fidelium qui per mediam circiter horam, non minus quam per tertiam horae partem, doctrinae christianae tradendae vel discendae operam dant saltem bis in mense ⁷.

10. - S. C. Concilii, 4 Augusti 1931, aliquas formulas catechismi Pii X in Italia adhibiti, occasione in praxim deducti concordati italice, relate ad Sacramentum matrimonii reformandas et substituendas constituit, habita praesertim ratione articuli 34 eiusdem Concordati quo matrimonio catholico in Italia effectus civiles agnoscuntur ⁸.

11. - S. C. Concilii, decreto 12 Ianuarii 1935, plurima statuit de catechetica institutione impensius curanda et promovenda. Catechetica institutio maximum momentum habet quia per eam quae ad salutem necessaria sunt docentur. Maxime curanda in pueris et adolescentibus qui in aliis scientiis erudiuntur. Plurima obstacula opponuntur nempe: parentum incuria; leges civiles perversae et ius Ecclesiae in hac re violantes; commixtio in certis regionibus catholicorum et haereticorum; desidia ipsorum puerorum qui ludis profanis allecti a recta via abducuntur; ad quae vincenda Sacra Congregatio intervenire censet. Episcopi pro gravissimo officio sibi commisso perpendant quid

5) A. A. S., XVI, 332; *Periodica*, XIII, 161. — 6) A. A. S., XVIII, 453. — 7) A. A. S., XXII, 340. — 8) A. A. S., XXIII, 337; *Periodica*, XXI, 29.

providendum, quid praescribendum pro hoc sacratissimo et necessario opere, in neglegentes poenis animadversuri. Parochi summopere sint diligentes in servandis canonibus 1330, 1331, 1332; in opere institutionis catechisticae opera utantur clericorum et laicorum piorum et, si id Ordinariis videatur, etiam opera religiosorum adhibenda erit. Parentes suo officio fungantur. In singulis paroeciis sodalium doctrinae christianae ad normam can. 711, § 2 instituantur. In singulis item paroeciis ad normam litterarum S. Congregationis, 23 Aprilis 1924, scholae *catechisticae paroeciales*, si nondum existent, instituantur. Ad Sacramenta Poenitentiae et Confirmationis ne admittantur pueri qui congruam institutionem ad normam decreti S. C. de Sacramentis 8 Augusti 1910 non habeant; parochi et concionatores parentes de gravissimo onere curandi institutionem catecheticae filiorum moneant; propositis praemiis et oblectamentis pueri ad catechismum alliciantur; tempore visitationis pueri ad periculum subeundum coram Episcopo praeparantur. Viris etiam adultis instructio catechetica tradatur ad praescriptum can. 1332. Instituantur *officium catechisticum dioecesanum*, si fieri poterit, cuius munia erunt: docere catechismum in scholis, collegiis et paroeciis; habere *coetus catechisticos* de quibus in decreto 12 Aprilis 1924; peculiari serie lectionum illos praeparare qui magistri munere fungi debebunt. Sacerdotes eligantur visitatores scholarum catechistarum in dioecesi. In singulis paroeciis instituantur *dies catechistica* seu *festum doctrinae christianae*, quo fideles ad ecclesiam convocentur ad maiores fructus obtinendos; peculiaris habeatur eo die sermo de catechismo; in vulgus libri diffundantur et collecta fiat pro catechismo. Idonei catechistae ex Actione Catholica et aliis consociationibus catholicis eligantur. Singulis quinquenniis Episcopi relationem, iuxta quaesita quae ad finem huius decreti allegantur, eodem servato ordine qui est in can. 340, § 2, ad S. Congregationem Concilii mittant ⁹.

12. - Decretum S. Congregationis Concilii, 12 Ianuarii 1935, de catechetica Instructione omnes Ordinarios respicit *non exclusis Ordinariis Indiarum Orientalium*. S. C. de Propaganda Fide, 25 Octobris 1935 ¹⁰.

1330-1332 Hue spectant documenta varia sub canone 1329 relata.

1337 Hue spectant varia documenta Sanctae Sedis de quibus in can. 1329.

1344 Hue spectant *Litterae* circulares S. C. Concilii, 31 Maii 1920, in iis quae explicationem evangelii spectant (Vide can. 1329).

⁹) *A. A. S.*, XXVII, 145; *Periodica*, XXIV, 137. — ¹⁰) *Sylloge*, n. 195, p. 485.

1347 1. - De vitandis quaestionibus politicis et profanis a Missionariis in missionibus inter infedele vide *Instructionem* Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, 6 Ianuarii 1920, in can. 138.

2. - S. C. Concilii, 14 Iulii 1941, *instructionem* edidit de fidelibus exhortandis ut sacrificio Missae frequenter et devote intersint. Ad hoc obtinendum christifideles edoceantur de sacrificii Missae natura excellentia et finibus atque effectibus; de gravi obligatione audiendi Missam diebus festis; de vi impetratoria et propitiatoria Sacrificii Missae; de participatione saluberrima coelesti convivio per Sacram Communionem; de dogmate communionis Sanctorum ¹.

1350 1. - Benedictus XV, Epistola Apostolica *Maximum illud*, 30 Novembris 1919, omnes Episcopos orbis catholici ad fovenda studia de missionibus exteris provehendis hortatur; eosque docet quare ratione id facere possint ¹.

2. - Pius XI Litteris Encyclicis *Rerum Ecclesiae*, 28 Februarii 1926, omnes locorum Ordinarios adhortatur ut Romanum Pontificem in sacris missionibus provehendis adiuvent. In iisdem Litteris Ordinarios locorum missionum in missionali labore, praesertim vero in efformatione cleri indigenae, operari hortatur ².

1354 1. - Benedictus XV, Litteris 30 Novembris 1921 ad Episcopos Cecoslovachiae datis, urget obligationem habendi Seminarium proprium pro singulis dioecesibus ¹.

2. - Pius XI, Litteris 1 Augusti 1922, commendat, inter alia, Episcopis Seminarium interdioecesana (Vide can. 1364) ².

3. - Pius XI, Encyclicis Litteris 28 Februarii 1926, praeter alia plura de sacris missionibus provehendis, valde commendat formationem cleri indigenae in Seminariis ³.

1355 1. - Conceditur facile Episcopis, qui eam postulaverint, facultas applicandi Missas binatas et etiam non binatas festorum suppressorum in favorem Seminarium. Vide S. C. Consistorialis responsum 1 Iulii 1918 ¹.

2. - « D. - An in collatione paroeciarum non reservatarum possit Episcopus imponere pro una vice tantum moderatam taxam favore Seminarium, etiam si paroecia *de qua* obnoxia sit tributo huic Instituto solvendo.

R. - Recurrendum esse in singulis casibus ad S. Congregationes competentes ». C. I., 16 Octobris 1919 ².

Can. 1347. — 1) *A. A. S.*, XXXIII, 389-391.

Can. 1350. — 1) *A. A. S.*, XI, 440-455. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 65-83.

Can. 1354. — 1) *A. A. S.*, XIII, 554. — 2) *A. A. S.*, XIV, 349. — 3) *A. A. S.*, XVIII, 65; *Periodica*, XV, 1.

Can. 1355. — 1) *A. A. S.*, X, 325. — 2) *A. A. S.*, XI, 479; *Periodica*, X, 104; *Ius Pontificium*, 1923, 72.

1356 Erectis quasi-paroeciis applicabilis est praescriptio huius canonis. *Instructio* S. C. de Propaganda Fide, 25 Iulii 1920 (Vide can. 216) ¹.

1357 1. - S. C. de Seminariis etc., 26 Aprilis 1920, longam edidit *Instructionem* circa ea omnia et singula quae ad rectam seminariorum dioecesanorum administrationem, regimen et profectum necessaria et opportuna sunt ¹.

2. - Benedictus XV, *Epistola* 30 Novembris 1920, Episcopis Cecoslovachiae gravissimis verbis rectam institutionem clericorum in Seminariis commendat. Studentes doctrinam S. Thomae sequantur. Episcopi ipsi per se clericos ad studium et ad virtutes adhortentur, et magistros pietate et scientia insignes constituent. Ad efformandos autem magistros idoneos iuvenes clericos Romam mittant ad collegium Bohemum ².

3. - Benedictus XV, Litteris 23 Decembris 1921, presbyteris Sancti Sulpicii privilegium concessit acceptandi directionem et administrationem Seminariorum cum aliquali exemptione a normis iure communi vigentibus ³.

4. - S. C. de Seminariis, decreto 2 Februarii 1924, singulis locorum Ordinariis praecepit ut singulis trienniis relationem de statu Seminariorum secundum formulam adiectam decreto ad Sanctam Sedem mitterent. Triennia incipiunt a die 1 Ianuarii 1924; primo anno relationem mittere debent Ordinarii Italiae, Galliae, Hispaniae; altero triennii anno Ordinarii ceteri Europae; tertio triennii anno Ordinarii Americae. Lingua latina facienda est relatio et ab Ordinario subiungenda. Responsio danda est singulis quaestionibus formularii. In relatione indicandum erit si durante triennio textus scholasticus theologiae, philosophiae, iuris canonici aut Sacrae Scripturae mutatus sit. Decreto adnectitur formula servanda in relatione facienda septem articulis et 41 numeris constans ⁴.

5. - Pius XI, motu proprio *Praecipua sane*, 24 Aprilis 1931, perpenso momento Seminariorum, collatis consiliis in Sacra Congregatione de Seminariis munus condit Visitoris ordinarii Seminariorum Italiae. Visitor alterum post Secretarium in Congregatione dignitatis locum obtinet et est Consultor Congregationis. Singulis saltem annis Seminarium regionalia visitare debet ⁵.

6. - « Si Universitas vel Facultas cum clericorum Seminario vel Collegio coniuncta sit, statuta clare et efficaciter provideant, ut illius

Can. 1356. — 1) *A. A. S.*, XII, 331.

Can. 1357. — 1) *Instructionem* legere poteris apud *Il Monitore ecclesiastico*, 1921, 142 et sqs., vel apud meas *Institutiones*, II, ed. 3, pag. 635. — 2) *A. A. S.*, XIII, 554. — 3) *A. A. S.*, XIV, 37. — 4) *A. A. S.*, XVII, 547; *Periodica*, XIII, 191. Cfr. *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, 106 (1926), 297. — 5) *A. A. S.*, XXIII, 151.

sectio academica ab huius vita et disciplina rite distinguatur ». Pius XI, Bulla *Deus scientiarum*, 24 Maii 1931, art. 18 ⁶.

7. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 27 Ianuarii 1940, Decretum promulgavit de recta cleri orientalis institutione in territoriis patriarchalibus ⁷.

1363 1. - « D. - An filii legitimi per subsequens parentum matrimonium habendi sint uti legitimi ad effectum de quo in canone 1363, § 1.

R. - Affirmative ». C. I., 13 Iulii 1930 ¹.

2. - Vi can. 1116, per subsequens parentum matrimonium, proles nata ab eisdem detentis impedimento aetatis vel disparitatis cultus, quod cessavit tempore initi matrimonii non efficitur legitima. C. I., 6 Decembris 1930 (Vide can. 1116).

3. - In Seminarium admitti nequeunt sine S. Sedis licentia qui, quocumque titulo, ad aliquam familiam religiosam pertinuerint. S. C. de Seminariis, 25 Iulii 1941 (Vide can. 544, 2).

4. - Pius XII litteras *Motu Proprio* die 4 Novembris 1941 edidit de Pontificio Opere Vocationum Sacerdotalium apud S. Congregationem Seminariorum et studiorum Universitatibus praepositam constituendo ².

5. - S. Congregatio de Seminariis etc., 8 Septembris 1943, edidit *Statuta et Normas ad Statuta exsequendas* pro Pontificio Opere Vocationum Sacerdotalium ³.

1364 1. - Pius XI, *Epistola* Apostolica 1 Augusti 1922 ad Cardinalem Bisleti, Praefectum S. C. de Seminariis directa, quaedam commendat de studiis clericorum. Praemittit Romanus Pontifex quam necessarium sit ut Ecclesia bonis uti possit ministris. Numerus horum nostris diebus sufficiens desideratur. Ad eos a Deo obtinendos orandum est et sacerdotes germina vocationum fovere debent. Ne damnum vocatis adferatur, Seminarium solis clericis instituendis patere debent. In Seminariis ante omnia linguae latinae studio incumbendum; diligentissime saltem per biennium philosophia catholica ad mentem et secundum principia S. Thomae edocenda est, idem valet de cursu theologico. In theologico cursu methodus positiva exclusive adhibita insufficientis est, sicut insufficientis esset et methodus dogmatica, exclusa methodo positiva. Non est neglegenda theologia pastoralis. Si dioeceses sufficientia Seminarium habere non possunt Sancta Sedes libenter favebit institutioni Seminariorum regionalium quae iam in aliquibus Italiae regionibus erecta sunt ⁴.

6) *A. A. S.*, XXIII, 241. — 7) *A. A. S.*, XXXII, 152-157.

Can. 1363. — 1) *A. A. S.*, XXII, 365; *Apollinaris*, III, 570; *Periodica*, XIX, 345; *Ius Pontificium*, 1930, 231. — 2) *A. A. S.*, XXXIII, 179. — 3) *A. A. S.*, XXXV, 369-373.

Can. 1364. — 1) *A. A. S.*, XIV, 45. *Periodica*, XI, 143-150.

16 — A CORONATA, *Interpretatio authentica*.

2. - Pius XI, 19 Martii 1924, Superioribus religiosis inter alia valde commendat studium religionis et linguae latinae (Vide can. 587) ².

3. - S. C. de Seminariis, 11 Februarii 1941, Litteris Ordinariis Italiae datis, normas dedit tendentes ad aptanda programmata studiorum in Seminariis Italiae ad programmata *scholae mediae statales* ³.

1365 1. - S. C. de Seminariis, 7 Augusti 1917, praescripsit methodum adhibendam in studio iuris canonici, praesertim in Universitatibus (Vide can. 1377).

2. - S. C. de Seminariis, 31 Octobris 1918, dat normas pro examibus ad gradus academicos in iure canonico (Vide can. 1377).

3. - Benedictus XV, Litteris 30 Novembris 1921, ad Ordinarios Cecoslovachiae insistit in urgenda observantia legum duorum annorum philosophiae et quatuor theologiae ⁴.

4. - Mutatio libri textus adhibendi in scholis Seminariorum notificanda est in relatione Sanctae Sedi facienda. S. C. de Seminariis, 2 Februarii 1924, n. 6 (Vide can. 1357) ⁵.

5. - S. C. de Seminariis, Epistola 8 Septembris 1926 ad Ordinarios directa, agit de urgenda catechistica disciplina in Seminariis ad normam can. 1365, § 3. S. Congregatio attentos facit Ordinarios locorum ad praescriptum Codicis quo praecipitur clericos in Seminariis instituendos in practicis exercitationibus de ratione tradendi catechismum pueris. Quae institutio est necessaria ob rei ipsius momentum in salute animarum et ob difficultatem quae habetur in bene exercendo catechistae munere. Quam ob rem S. Congregatio enixe Episcopos rogat ut praeceptum Codicis vehementer in suis Seminariis urgeant (Vide can. 1329) ⁶.

6. - S. C. de Seminariis etc., 28 Augusti 1929, misit *Litteras* ad Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de studiis orientalium rerum et de catechesi in Seminariis impensius excolendis. Vult S. Congregatio ut in theologico cursu peculiaris ratio habeatur rerum orientalium praesertim a magistris theologiae dogmaticae, historiae ecclesiasticae et sacrae liturgiae. Gratum erit Romano Pontifici, si alumni electi ad institutum orientale in Urbem mittantur. Inculcat etiam S. Congregatio ut schola et magisterium in Seminariis instituantur et foveatur de sacra catechesi ⁷.

7. - Hue etiam spectant praeterea *Motu proprio* Pii XI, 22 Novembris 1922; *Bulla* Pii XI, 20 Decembris 1928; *Instructio* S. C. Concilii, 25 Februarii 1932, quibus agitur de liturgia, cultu divino, cantu gregoriano et de musica sacra (Vide can. 1264).

2) *A. A. S.*, XVI, 133. — 3) Cfr. apud *Il Monitore ecclesiastico*, 1941, 291-293.

Can. 1365. — 1) *A. A. S.*, XIII, 554. — 2) *A. A. S.*, XVII, 186. — 3) *A. A. S.*, XVIII, 453; *Periodica*, XV, 233. *Nouvelle Revue Théologique*, 54 (1927), 67. — 4) *A. A. S.*, XXII, 146; XIX, 215.

8. - S. C. de Seminariis etc., 5 Augusti 1941, Litteris Excellentissimis Commissariis pro studiis Seminariorum Regionalium Italiae datis, in ipsis Seminariis Regionalibus specialem cursum de Psalmorum explicatione instituendum praecipit ⁸.

9. - Commissio de Re Biblica, 20 Augusti 1941, Litteras dedit ad Episcopos Italiae eos praemonens contra opusculum anonymum cui titulus: *Un gravissimo pericolo per la Chiesa e per le anime. Il sistema critico-scientifico nello studio e nell'interpretazione della Sacra Scrittura, le sue deviazioni funeste e le sue aberrazioni*. In hoc opusculo agitur de sensu litterali Sacrae Scripturae; de usu Vulgatae; de critica textuali; de studio linguarum orientalium et scientiis auxiliariis ⁹.

10. - Pius XII Litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu*, 30 Septembris 1943, plura statuit de Sacrorum Bibliorum studiis opportune provehendis ¹⁰.

11. - S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, 21 Decembris 1944, edidit Epistolam Ordinariis directam de studio paedagogiae in Seminariis. In ipsa decernitur ut in cursu philosophico biennio paedagogia et didactica edoceatur in quo clare principia evolvantur de conceptu educationis, de fine, legibus et mediis ipsius educationis, de homine educando iuxta varias eius aetates; de educatore eiusque officiis et qualitatibus; de iure educativo Ecclesiae, Familiae et Status; de ambiente educativo; de didactica eiusque conceptu et methodo. Pariter in cursu theologico biennio edoceatur *catechetica* duabus horis singulis hebdomadis ¹¹.

1366 1. - Pius XI, Litteris encyclicis 29 Iunii 1923, occasione centenarii canonizationis S. Thomae, iterum inter alia plura, commendat eiusdem S. Thomae doctrinam ¹².

2. - Pius XI, *Motu proprio* *Bibliorum scientiam*, 27 Aprilis 1924, considerato momento studiorum biblicorum praesertim ex impugnationibus contra Sacram Scripturam hodiernis, ut idonei parentur magistri, memorata foundatione Instituti Biblici Romae facta decernit: 1° Gradus academicos obtentos apud Commissionem biblicam vel Institutum biblicum eosdem parere effectus ac gradus academicos in theologia et iure canonico. — 2° Beneficium theologale ne conferatur nisi laureato aut laureato in re biblica. — 3° Titulus seu gradus baccalaureatus in re biblica sufficit ad beneficium theologale et ad magisterium exercendum in re biblica. — 4° Si habiles habeant Superiores religiosos alumnos ad Institutum biblicum mittere ne omittant. — 5° Idem faciant Episcopi relate ad clericos saeculares. — 6° Constituit

5) *Il Monitore ecclesiastico*, 1942, 79-80; *Periodica*, XXX, 385-391. — 6) *A. A. S.*, XXXII, 465-472. — 7) *A. A. S.*, XXXV, 297-351. — 8) *A. A. S.*, XXXVII, 173-176. Can. 1366. — 1) *A. A. S.*, XV, 307.

Romanus Pontifex Romae redditus annuos ad duos alumnos Instituti biblici alendos ².

3. - « Proposito dubio: An ad quamcumque disciplinam in Facultate Theologica tradendam *laurea congruenti praeditus*, ex praescripto art. 21 Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus*, praeter doctorem in S. Theologia, ille haberi possit qui lauream adeptus sit — apud Facultatem Studiorum, Ecclesiasticorum — vel in Re Biblica, vel in Iure Canonico, vel in Studiis Orientalibus, vel in Historia Ecclesiastica, vel in Missiologia, vel in Archaeologia Christiana, vel in Philosophia »; Sacra Congregatio de Seminariis etc., 22 Augusti 1945, respondit: « Affirmative, modo candidatus ornatus sit etiam licentia in S. Theologia, vel licentia in ea disciplina quam tradere debet » ³.

1367 Sacra Congregatio de Seminariis, 2 Februarii 1945 litteras circulares misit Rectoribus, Patribus Spiritualibus et Professoribus Seminariorum circa Seminaristarum formationem et Divini Officii recitationem ⁴.

1372 1. - Pius XI, Chirographo 24 Ianuarii 1927 ad Cardinalem Gasparri directo, de ordinationibus gubernii italici circa *Opera Nazionale Balilla*, quaedam principia in mentem revocat de iuribus Ecclesiae in materia educationis, praesertim quod in iis quae ad instructionem religiosam dandam referuntur adolescentibus praedicto operi adscriptis Sancta Sedes consulenda fuisset, quod factum non est. Suggestit tamen Romanus Pontifex modum spiritualiter talibus adolescentibus subveniendi ⁵.

2. - Pius XI, Chirographo 2 Maii 1928 ad Cardinalem Vicarium directo, de gymnica athletica puellarum demonstratione in Urbe, eidem Cardinali exponit cur qua Episcopus Romanus non possit non dolere de ista demonstratione muliebri verecundiae contraria. Declarat se reclamare debere etiam qua Episcopus totius mundi qui Episcoporum hac in re reclamaciones approbavit. Demonstrationes istae reprobandae sunt etiam si cautiones quaedam in ipsis faciendis adhibitae sunt, quia non decent muliebrem pudicitiam et educationem ⁶.

3. - Maximi momenti sunt *Litterae* Encyclicae Pii XI *Divini illius*, 31 Decembris 1929, de christiana iuventutis educatione. Agit Romanus Pontifex de iis quae in educatione spectant ad Ecclesiam, ad familiam et ad Statum civilem. In educatione danda ratio habenda est status supernaturalis naturae humanae a quo tamen statu homo decidit ob peccatum, quam ob rem damnandus est naturalismus paedagogicus, educatio sexualis et coeducatio adolescentium duorum sexuum

2) *A. A. S.*, XVI, 180; *Periodica*, XIII, 107. — 3) *A. A. S.*, XXXVII, 272.

Can. 1367. — Has litteras legere poteris apud *Il Monitore ecclesiastico*, 1946, 157-163.

Can. 1372. — 1) *A. A. S.*, XX, 135; *Periodica*, XV, 9. — 2) *A. A. S.*, XX, 135.

simul data. Declaratur qualis debeat esse familia et schola ut aptae sint ad bonam et christianam dandam educationem. Finis autem educationis est hominem christianum efformare qui si talis erit, erit etiam optimus in statu civili civis ³.

4. - S. C. S. Officii, decreto 21 Martii 1931, declaravit: 1° Probari non posse methodum educationis sexualis vel initiationis sexualis, sed potius excitandam aestimationem castitatis eiusque amorem et desiderium, inculcandam esse frequentationem Sacramentorum Poenitentiae et Communionis atque devotionem B. Mariae Virgini. — 2° Theoriam sic dictam *eugenicam* sive positivam sive negativam, et indicata ab ea media ad humanam progeniem in melius provehendam, posthabitis legibus naturalibus divinis et ecclesiasticis matrimonialibus, esse omnino improbandam ut falsam et damnatam in Encyclica *Casti Connubii* Pii XI, 31 Decembris 1930 ⁴.

5. - De mandato Pii XI, S. C. de Religiosis, 24 Aprilis 1932, notificavit Superioribus omnibus religionum quibus commissa est instructio et educatio cuiuscumque gradus pendere debere in posterum in hac re a S. C. de Seminariis, cum apud ipsam constituatur *Centrale officium pro scholis et catholicis institutis in Italia* ⁵.

6. - « D. - An licita sit directa sterilizatio sive perpetua sive temporanea, sive viri, sive mulieris.

R. - Negative et quidem prohiberi lege naturae, eamque, quoad sterilizationem eugenicam attinet, decreto huius S. C., die 21 Martii 1931, reprobata iam esse ». S. C. S. Officii hoc responsum dedit 21 Februarii 1940, quod R. Pontifex 22 Februarii 1940 approbavit; et S. C. die 24 Februarii 1940 promulgavit ⁶.

1374 Pius XI, Encyclicis Litteris 31 Decembris 1929, inter alia plura, scholas neutras condemnat (Vide can. 1372) ¹.

1375 Pius XI, Encyclicis Litteris 31 Decembris 1929, inter alia Ecclesiae ius vindicat cuiusvis disciplinae scholas aperiendi (Vide can. 1372) ¹.

1376 1. - S. C. de Seminariis, decreto 21 Iulii 1920, erigit Lublini Universitatem catholicam ¹.

2. - Decreto S. C. de Seminariis, 20 Decembris 1920, erecta est Catholica Universitas a Sacratissimo Corde Iesu, Mediolani ².

3. - Pius XI, Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus*,

3) *A. A. S.*, XXI, 723, et XXII, 49 ubi refertur textus italicus et textus latinus. — 4) *A. A. S.*, XXIII, 118; *Periodica*, XX, 242. — 5) *A. A. S.*, XXIV, 149. — 6) *A. A. S.*, XXXII, 73.

Can. 1374. — 1) *A. A. S.*, XXII, 49.

Can. 1375. — 1) *A. A. S.*, XXII, 49.

Can. 1376. — 1) *A. A. S.*, XIII, 320. — 2) *A. A. S.*, XIII, 321.

24 Maii 1931, totam materiam de Universitatibus et facultatibus studiorum ecclesiasticorum ordinavit. Praemittit Romanus Pontifex munus docendi sibi divinitus commissum ab Ecclesia semper in praxim deductum fuisse inde a primis saeculis et Patrum aetate, ac deinde medio aevo erectis tunc temporis *studiis generalibus* seu universalibus, et etiam nostris diebus non obstantibus spoliationibus ex parte Statuum civilium. Ad hoc autem ut iam erectae et erigendae in posterum Universitates progressui studiorum nostri temporis aptentur, Romanus Pontifex elaboratas diligentissime certas normas praesenti Constitutione promulgat. Huiusmodi normae seu leges sex titulis constant: titulo primo dantur *normae generales*. Definitur finis Universitatis Catholicae, declaratur eius erectio reservari Sanctae Sedi itemque statutorum approbatio. Tres gradus academici, baccalaureatus, licentiatius et laureatus declarantur. — Titulus alter agit *de personis et regimine*. Declarantur Officiales, seu Magnus Cancellarius, Praeses Facultatis, Rector Magnificus, Decanus Facultatis, Professores et determinatur cuinam competat eos nominare et amovere. Agitur deinde de auditoribus et modo et conditionibus requisitis ad adscriptionem. — Titulus tertius agit *de ratione studiorum*. Describitur primo methodus adhibenda in singulis facultatibus. Determinatur studiorum curriculum quod 5 annos pro theologia, 3 pro iure canonico, 4 pro philosophia, 3 pro Instituto biblico, 3 pro Instituto studiorum orientalium, 4 pro Instituto utriusque iuris, 3 pro Instituto archaeologiae, 3 pro sectione cantus gregoriani in Instituto musicae sacrae, 5 in sectione compositionis, 4 in sectione organi. Dantur normae pro examinibus disciplinarum principalium, auxiliarium et specialium. — Titulo quarto agitur *de collatione graduum academicorum*. Gradus nomine Summi Pontificis conferuntur. Non conferuntur nisi iis qui scholas frequentaverint. Declaratur tempus necessarium frequentationis scholarum ad gradus varios obtinendos in singulis facultatibus, et pro singulis gradibus. Candidatus ad lauream consequendam praeter examina debet dissertationem parare et publice defendere et praeterea potest alio experimento subiici. — Titulus quintus agit *de rebus didacticis et oeconomicis*, scilicet de aedificio, de bibliotheca et aliis adiumentis scientificis, de officialium et professorum honorariis et de discipulorum tributis. — Titulus sextus dat *normas aliquas transitorias* circa vacationem legum hac constitutione contentarum, et circa facultates theologicas alicubi canonice erectas ex privilegio³.

4. - S. C. de Seminariis, 12 Iunii 1931, promulgavit ordinationes ad Constitutionem Apostolicam *Deus scientiarum Dominus*, de Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum rite exsequendam. Huiusmodi ordinationes constant titulis quinque, articulis 49 et tribus appendicibus. Titulo primo qui inscribitur: *Normae generales*

3) *A. A. S.*, XXIII, 241; *Periodica*, XX, 298.

determinatur quatenam exhibenda sint Sacrae Congregationi ad obtinendam erectionem Universitatis cum iure conferendi gradus, tum pro prima erectione tum pro erectione stabili. Statuitur praeterea singulas Universitates tertio quoque anno relationem de statu academico et oeconomico ad S. Congregationem mittere debere. — Titulus alter de personis in regimine inscribitur. Ibi definiuntur limites officii Magni Cancellarii, Rectoris vel Praesidis, Decani facultatis et Professorum. Deinde dantur normae pro admissione auditorum, determinatur quatenam documenta afferre auditores debeant et quatenam studia ingressui in Universitatem praemittenda sint. Dantur item normae pro transitu de una ad aliam Facultatem aut Universitatem. — Titulus tertius agit de ratione studiorum. Sequenda praecipitur doctrina S. Thomae. Methodus positiva et scholastica simul uniendae. Lingua latina in Sacra Scriptura, Theologia, philosophia et iure canonico adhibenda ex praecepto. Determinatur quo anno academico exercitationes inchoandae sint. Iis qui iam studia philosophica et theologica perfecerunt concedi potest contractio annorum ad lauream obtinendam. Definiuntur specificiter quatenam sint disciplinae principales, auxiliares et speciales in singulis facultatibus scilicet in theologia, in iure canonico, in philosophia etc. — Titulus quartus est de collatione graduum academicorum. Requisita indicantur ad lauream *ad honorem* postulandam. Definitur examen necessarium ad obtinendam licentiam, scilicet coram quatuor examinatorebus subeundum de universa disciplina facultatis saltem per horam. Ad lauream consequendam dissertatio conscribenda, exhibenda, probanda et defendenda est coram quinque saltem examinatorebus et praeterea examen orale subeundum. — Titulo quinto de rebus didacticis et oeconomicis agitur, scilicet de aedificio, de bibliotheca, de laboratoriiis scientificis. Determinatur qua ratione definienda sint honoraria officialium et professorum, et qua ratione auditores contribuere debeant ad sumptus necessarios. In Appendice prima, exempli gratia, afferuntur disciplinae speciales et cursus particulares facultatis theologicae, iuris canonici et philosophicae. — In Appendice altera dantur normae ad quas Universitas statuta conficere debet. — In Appendice tertia dantur normae pro relatione triennali ad Sacram Congregationem de Seminariis mittenda⁴.

1377 1. - S. C. de Seminariis, decreto 7 Augusti 1917, habita consideratione quod novus Codex iuris canonici unicus sit fons disciplinae ecclesiasticae universalis, decernit ut ipse unicus textus in Universitatibus adhibeatur et proponatur synthetice et analytice. Alii vero libri ordini Codicis, si qui adhibeantur a professoribus, aptandi erunt¹.

1) *A. A. S.*, XXIII, 263.

Can. 1377. — 1) *A. A. S.*, IX, 439; *Periodica*, IX, 65.

2. - S. C. de Seminariis, ratione habita decreti 7 Augusti 1917, de quo supra, alio decreto 31 Octobris 1918, quaedam statuit in experimentis seu examinibus ad gradus academicos in iure canonico consequendos servanda, scilicet: « I. Quoniam in praelectionibus Codex I. C. est tamquam textus adhibendus, periculis materia sint ipsi Codicis canones, vel omnes vel partim, pro diversitate gradus adipiscendi, remoto quolibet indice thesium, vel quae doctrinam exhibeant in ipsis canonibus contentam; II. Candidati ad academicos gradus exegesis seu interpretationem exponant canonum, prout habentur in Codice, sive singillatim considerentur, sive coniuncte cum aliis; III. Candidati non modo singulos canones interpretari et explicare, quantum gradus ratio exigit, probe noverint; sed etiam de uniuscuiusque instituti iuridici ortu, progressu et historia, doctrinae suae specimen dabunt »².

3. - S. C. de Seminariis, decreto 23 Iunii 1922, concessit Universitati Gregorianaee ius conferendi gradum magistri aggregati iis qui duobus annis scholas magisterii frequentaverint, certis adimpletis conditionibus³.

4. - Pius XI, motu proprio *Bibliorum Sacrorum* 27 Aprilis 1924, quaedam statuit de gradibus academicis in Sacra Scriptura, et de eorum effectibus canonicis (Vide can. 1366).

5. Commissio Pontificia de Re Biblica, 26 Februarii 1927, declaravit ad gradus academicos in Sacra Scriptura contendere eos tantum posse: « 1° qui, expleto biennio philosophico, in aliqua Universitate aut athenaeo a Sancta Sede approbato cursum theologicum ad normam can. 1365 vel 589 regulariter peregerunt et ibidem lauream in sacra theologia legitime adepti sunt; — 2° vel qui, studiis iuxta praescriptiones iuris peractis in instituto cui non est facultas apostolica concedendi lauream, per duos saltem annos in aliqua Universitate aut Athenaeo a Sancta Sede approbato studia theologica prosecuti, doctores in sacra theologia ibidem renunciati sunt; — 3° vel religiosi qui, studiis iuxta praescriptiones iuris peractis, in proprio instituto adepti sunt titulum qui ipsis, ex facultate a Sancta Sede religioni data, ad instar laureae in sacra theologia legitime collatus est »⁴.

6. - S. C. de Seminariis, 29 Aprilis 1927, declaravit praescriptionem contentam in Litteris *Pascendi* 8 Septembris 1907 Pii X, quibus sub poena nullitatis requiritur ut laureae in theologia et iure canonico praemittatur curriculum philosophiae scholasticae, adhuc vigere⁵.

7. - S. C. de Seminariis, auctoritate Pii XI, 11 Aprilis 1928, declaravit laicos ad lauream in iure canonico consequendam admitti posse etsi curriculum philosophiae scholasticae non peregerint, non

2) *A. A. S.*, XI, 19. — 3) *A. A. S.*, XXIV, 510. — 4) *A. A. S.*, XIX, 160; *Periodica*, XIV, 54. — 5) *A. A. S.*, XIX, 194.

obstantibus Litteris *Pascendi* 8 Septembris 1907 et decreto S. C. de Seminariis 29 Aprilis 1927 de quo supra⁶.

8. - S. C. de Seminariis, decreto 12 Martii 1936, concessit pontificio Instituto Musicae Sacrae ius conferendi gradum magisterii sive in cantu gregoriano, sive in compositione sacrorum concertuum, sive in pulsandis organis, doctoratui in munere docendi aequiparatum, sine necessitate doctoralis dissertationis⁷.

9. - Comm. Pont. de Re Biblica, die 6 Iulii 1942, respondens ad quaesitum sibi propositum circa examina ad Prolytatum coram Pontificia Commissione Biblica permisit ut examen Baccalaureatus sat magno intervallo divideretur ab examine ad Prolytatum⁸.

1380 1. - S. C. Consistorialis, decreto 30 Aprilis 1918, dat normas de frequentatione clericorum in laicis Universitatibus. Praemittit Sacra Congregatio clericos laicas Universitates frequentare non posse nisi de Episcopi sui licentia. Episcopi autem in hac licentia concedenda haec prae oculis habere debent: 1° Nemo mittatur nisi sacerdos bonos fructus promittens ex parte pietatis et intellectus. — 2° In hac re Episcopi prae oculis habeant utilitatem et necessitatem dioecesis. — 3° Sacerdotes Universitatem frequentantes ab examinibus neosacerdotum ne eximantur. — 4° Etiam post examina sacerdotes Universitatem frequentantes ab Ordinario pendere debent. — 5° Iste normae valent etiam pro religiosis Universitatem frequentantibus¹.

2. - Secretaria Status, Litteris circularibus 18 Novembris 1920, respondens variis quaestionibus sibi ab Ordinariis propositis circa convenientiam et utilitatem permittendi clericis frequentationem scholarum *normalium* (in Italia in talibus scholis consequebantur alumni diploma magisterii inferioris) ut habiles declararentur magisterio, statuit: 1° Ordinarios frequentationem talium scholarum permittere non debere nisi sacerdotibus post expletum cursum studiorum. — 2° Omnino prohibendam frequentationem scholarum mixtarum in quibus nempe mares et foeminae mixti sunt. — 3° Si alumnus scholas frequentare debeat extra suam residentiam morari debet apud sacerdotem aut ecclesiasticum institutum. — 4° Si extra dioecesim morari alumnus debeat, maneat sub vigilantia Ordinarii loci. — 5° Sacerdos diplomatus manet subiectus proprio Ordinario cuius consensus est necessarius ut officium docendi assumat. Ordinarius consensum revocare potest. — 6° Hae normae valent etiam pro sacerdotibus qui iam sunt magistri. — 7° Ordinarius antequam licentiam concedat frequentandi scholas normales a petentibus requiret subscriptionem supradictis conditionibus².

6) *A. A. S.*, XX, 157. — 7) *A. A. S.*, XXVIII, 417; *Periodica*, XXVI, 204. — 8) *A. A. S.*, XXXIV, 232.

Can. 1380. — 1) *A. A. S.*, X, 237; *Periodica*, IX, 120; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 73. — 2) Hae Litterae circulares publicatae sunt in *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIX, 72.

3. - S. C. Concilii, Decreto 22 Februarii 1927, quaedam statuit de sacerdotibus qui in scholis Status civilis munere magistri fungi debent: 1° Declaratur vim retinere praescripta S. Sedis de clericis Universitates laicas frequentantibus, praesertim Litteras 18 Novembris 1920. — 2° Sacerdotes magistri a servitio dioecesis et a subiectione suo Ordinario non eximuntur. — 3° Ordinarii curent ut sacerdotes magistri munere fungantur in dioecesi. — 4° Ad munus magistri exercendum licentia Ordinarii, quae revocabilis est, necessaria est. — 5° Licentia ne concedatur, nisi sacerdotibus idoneis qui exemplo sint. — 6° Ut munus in aliena dioecesi exerceatur, necessaria quoque est licentia Ordinarii illius loci. — 7° Ordinarius proprius ne licentiam concedat pro exercendo munere in aliena dioecesi, nisi praevidente venia Ordinarii illius dioecesis. — 8° Sacerdos magistro fungens in aliena dioecesi vigilantiae et auctoritati Ordinarii illius loci se submittat. — 9° Ordinarius loci poterit praecipere ut sacerdos magister alicui ecclesiae addicatur; vicarii foranei vigilantiae substet; referat in qua domo commoretur; mulieres suspectas ne frequentet; apud domum religiosam degat; ne munus exerceat in scholis ubi sunt puellae; conferentiis casuum intersit; parochum in suis officiis adiuvet. — 10° Ordinarius loci Ordinario proprio singulis annis referat de moribus et vita. — 11° Si sacerdos eo loco discedat per notabile tempus, Ordinarium moneat, et in dioecesim suam reversus Ordinario proprio se sistat³.

4. - S. C. de Seminariis, litteris circularibus 30 Aprilis 1938, Ordinariis Italiae datis, desiderium esse S. Sedis dicit, ut aliqui clerici gradus academicos consequantur tam in sacris quam in profanis scientiis. At voluntas expressa Summi Pontificis est ut gradus academicos clerici omnes saeculares et religiosi in Universitate Catholica Mediolanensi consequantur, si id fieri possit; idest si ibi erecta sit facultas in qua gradus consequendus est⁴.

5. - S. C. de Seminariis etc., 20 Augusti 1942, normas edidit de personis ecclesiasticis qui studia academica apud universitates civiles complere intendunt. Iuxta ipsas nullus vir ecclesiasticus qui non sit sacerdos et studia philosophica et theologica rite non perfecerit universitates huiusmodi adire poterit. Omnibus autem aduentibus necessaria erit licentia seu nihil obstat S. Congregationis per Ordinarios necessariis additis informationibus petendum. Sacerdotes universitatem aduentes in convictu ecclesiastico aut in domo religiosa atque in eorum defectum apud aliquem sacerdotem ab Ordinario designatum degant. Sacerdotes studentes ab examinibus a Codice praescriptis (can. 130 et 590) non eximantur; associationibus inter studentes civiles fieri solitis ne adscribantur et ea omnia evitent quae dignitatem sacerdotalem dedecent. Si sacerdos universitatem frequentans vitam a

3) A. A. S., XVIII, 99; II *Monitore ecclesiastico*, XXXIX, 100. — 4) II *Monitore ecclesiastico*, L, 396.

spiritu ecclesiastico alienam ducat, a proprio Ordinario ei frequentatio universitatis interdicenda erit. Expletis studiis sacerdotes gradus academicos consecuti sub proprii Ordinarii plena iurisdictione manent, ideoque officia aut munera civilia sine Ordinarii licentia assumere nequeunt. In fine normarum edicitur easdem valere etiam pro religiosis viris et mulieribus⁵.

1381 1. - Pius XI vindicat Ecclesiae ius vigilantiae super universam catholicam educationem, in Encyclicis 31 Decembris 1929 (Vide can. 1372)¹.

2. - S. C. de Seminariis, 15 Aprilis 1938, litteras misit ad Ordinarios locorum de quibusdam erroribus circa stirpes humanas confundendis in scholis a doctoribus catholicis (*tesi sul razzismo*). Huiusmodi errores in praedictis litteris octo thesibus compendio referuntur².

1385 1. - Commissio Pontificia de Re Biblica, 17 Novembris 1921, declaravit licere in editionibus versionis Vulgatae tam Novam quam Veteris Testamenti lectiones varias aliaque huiusmodi studiorum adiumenta ad calcem textus adiacere¹.

2. - Commissio Pontificia de Re Biblica, 1 Iulii 1933, declaravit: 1° Non licere viro catholico interpretari textum psalmi 15, *Non derelinquas in inferno...* quasi auctor sacer non sit locutus de resurrectione D. N. I. Christi. — 2° Non licere asserere verba Iesu Christi: *Quid prodest homini...* sensu litterali non respicere aeternam salutem animae, sed solum vitam temporalem hominis non obstante unanimi interpretatione catholica².

1386 1. - De servandis a Missionariis in edendis libris, foliis, libellis, periodicis de rebus praesertim politicis agit, praeter alia, Instructio S. C. de Propaganda Fide, 6 Ianuarii 1920 (Vide can. 138).

2. - S. C. Concilii, 7 Iunii 1932, decretum edidit pro observantia can. 1386, de censura speciali adhibenda in publicatione gratiarum in ephemeridibus sacris (Vide can. 1261).

1388 Decreto S. Poenitentiarum, 31 Decembris 1937, edita est nova collectio indulgentiarum: « *Praesces et pia opera in favorem omnium christifidelium vel quorumdam coetuum personarum* », typis polyglottis Vaticanis (Vide can. 919).

5) Hae normae non sunt promulgatae in A. A. S.; legi possunt in II *Monitore ecclesiastico*, 1942, 164-165; vel in *Commentarium pro Religiosis*, XXIV (1941), 3 sqs.

Can. 1381. — 1) A. A. S., XXII, 49. — 2) II *Monitore ecclesiastico*, L, 175; ibidem autem p. 177 et sqs. explanatio et refutatio thesium habetur.

Can. 1385. — 1) A. A. S., XIV, 27. — 2) A. A. S., XXV, 344.

1390 S. Rituum Congregatio, 10 Augusti 1946, Decretum edidit de facultate edendi libros liturgicos, sublata qualibet concessione in contrarium. In ipso haec statuuntur:

« 1° Uni dumtaxat Typographiae Vaticanae, ceteris exclusis, libros liturgicos typis excudendi ius esto.

2° Quilibet typographus, sive pontificio diplomate gaudet, sive non, toties a S. Rituum Congregatione licentiam obtinere debet, quoties hos libros edere velit.

3° Administrationis Bonorum S. Sedis est pro publica horum librorum divulgatione singulis vicibus condiciones ferre.

4° Concordantia cum editione Vaticana ab Ordinario, iuxta can. 1390 Cod. Iuris Canonici concedenda, ne subscribatur ab ipsis, nisi post diligentem atque accuratam viri in re liturgica periti revisionem.

5° Ad huius decreti effectum, hi qui sequuntur liturgici accensentur libri:

Breviarium Romanum — Missale Romanum — Rituale Romanum — Martyrologium Romanum — Caeremoniale Episcoporum — Memoriale Rituum — Octavarium Romanum — Collectio Decretorum S. Rituum Congregationis »¹.

1391 1. - Videri potest responsum Commissionis Pontificiae de re biblica, 17 Novembris 1921, de editionibus versionis Vulgatae lectiones varias referentibus (Vide can. 1385)¹.

2. - « D. - Utrum particula *et* canonis 1391, quo praescribitur: *versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus, etc.*, interpretanda sit copulative an disiunctive.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 20 Martij 1923².

3. - Commissio de Re Biblica, 30 Aprilis 1934, declaravit permitti non posse in ecclesiis populo praelegi pericopas liturgicas epistolarum et evangeliorum secundum versionem ex textibus primigeniis graecis vel hebraicis, sed versionem faciendam esse ex Vulgata, ut legi possit fidelibus, ex textu ab Ecclesia pro sacra liturgia approbato³.

4. - Comm. Pont. de Re Biblica ad solvendam quaestionem sibi propositam de usu et auctoritate versionum biblicarum et ad magis declarandum decretum 30 Aprilis 1934, de quo supra, aliquas normas dedit. In ipsis edicitur: versiones Sacrae Scripturae in lingua vernacula legitime editae a fidelibus pro privata ipsorum pietate adhiberi possunt; pericopae biblicae in Missa legendae e textu Vulgatae in lin-

Can. 1390. — *A. A. S.*, XXXVIII, 371-373.

Can. 1391. — 1) *A. A. S.*, XIV, 27; *Periodica*, XI, 46. — 2) *A. A. S.*, XVI, 115; *Periodica*, XIII, 86. — 3) *A. A. S.*, XXVI, 315.

guas vernaculas vertendae sunt integra manente facultate illam ipsam versionem, si expediat, ope textus originalis vel alterius versionis magis perspicuae apte illustrandi. Commissio Pont. de Re Biblica, 22 Augusti 1943⁴.

1393 1. - S. C. S. Officii locorum Ordinarios et Superiores religiosos enixe hortatur, ut in curanda praevia censura librorum caute omnino procedant, et licentiam edendi ne concedant, nisi postquam a censoribus idoneis, in re vere peritis, ad examen deputatis sententiam faventem habuerint, ad evitandum ne libri cum praescripta licentia Ordinarios editi deinde a S. C. S. Officii prohibeantur. S. C. S. Officii, 29 Martij 1941¹.

2. - S. C. S. Officii, 17 Aprilis 1942, decretum edidit de praevia censura librorum pietatis. Cfr. can. 1261, 9.

1395 1. - S. C. S. Officii, *Instructione* 3 Maii 1927 ad Ordinarios locorum directa, eosdem hortatur ad utendum iure sibi a can. 1395 concesso prohibendi, si opus sit, libros in suis dioecibus editos vel diffusos de sensuali et mystico-sensuali litterarum genere, vel si de libris iam ex se vi canonis 1399 prohibitis agitur, declarandi huiusmodi libros ipso facto prohibitos (Vide can. 1399)¹.

2. - S. C. Consistorialis, 14 Iunii 1938, zelum Ordinarios excitat, ad vigilantiam super malas publicationes quae passim prodeunt cum animarum damno. In memoriam revocat praescripta can. 343, 1395 et 1397².

3. - S. C. S. Officii, 17 Aprilis 1943, dolens quod in pravis libris denuntiandis morae et omissiones sunt saepe conquerendae plurimique christifideles in exitiali ignorantia circa denuntiationes et prohibitionem perniciosorum librorum versantur, praecipua sacrorum canonum hac de re praescripta in memoriam revocat, praecipue vero obligationem Ordinarios in suo territorio prohibendi praevidendos libros (can. 1395, § 3). Ibidem eadem S. Congregatio Ordinarios aliosque curam animarum habentes hortatur ut fideles edoceant quid importet prohibitio librorum; quinam libri sint ipso iure communi prohibiti vel lege naturali vel lege positiva Codicis vel insertionem in *Indicem Librorum Prohibitorum*³.

1396 1. - Pius XI damnavit diarium *l'Action française* et promulgari praecepit decretum 29 Ianuarii 1914 quo aliqua opera Caroli Maurras damnantur. S. C. S. Officii, 29 Decembris 1926¹.

4) *A. A. S.*, XXXV, 270-271.

Can. 1393. — 1) *A. A. S.*, XXXIII, 121.

Can. 1395. — 1) *A. A. S.*, XIX, 186. — 2) *Il Monitore ecclesiastico*, L, 242. — 3) *A. A. S.*, XXXV, 144-145.

Can. 1396. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 529; *Periodica*, XV, 224. Videri etiam possunt de

2. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 26 Maii 1928, declaravit Orientales sicut fideles cuiuscumque ritus teneri seu ligari decretis damnationis librorum et diariorum a Sacra Congregatione S. Officii editis, quippe quae, potiusquam disciplinam, directe spectant doctrinam Ecclesiae. Vult enim sancta mater Ecclesia his decretis fidem et mores tueri et decreta proinde ad normam can. 1396 ubique locorum obligant².

3. - Decreto S. C. S. Officii, 10 Iulii 1939, prohibitio diarii *Action française* aufertur (Vide etiam can. 1, 894, 1402)³.

1399 1. - S. C. S. Officii, 30 Martii 1921, prohiberi ipso iure ad normam can. 1399, n. 12, declaravit imagines pictas cuiusdam novae scholae belgicae (Vide can. 1279).

2. - S. C. S. Officii, 3 Maii 1927, *Instructionem* edidit, de sensuali et mystico-sensuali litterarum genere in qua declaratur quam damnosa animabus sit huiusmodi litteratura, quam nostris diebus extensa, et quam dolenda cooperatio ad ipsam scriptorum qui se catholicos profitentur. Memorat Instructio regulas Codicis vi quarum libri qui morum integritatem data opera laedunt prohibiti ipso iure sunt. Excitatur zelus Ordinariorum ad impediendam divulgationem in suis dioecesibus talis litteraturae utendo iure sibi a Codice concessa declarandi libros ipso iure prohibitos et prohibendi eos qui prohibiti ipso iure non sint¹.

3. - « Cum quaesitum fuerit utrum fideles orientalis ritus teneantur, praeterquam can. 1396 Cod. I. C., etiam can. 1399, S. Congregatio pro Ecclesia Orientali respondendum censuit: Affirmative » 20 Ianuarii 1944².

1402 Cum Summus Pontifex ipse ephemeridem *Action française* prohibuerit, ipse solus potest eiusdem lectionem permittere. Concedit tamen Summus Pontifex Episcopis Galliae « ut veniam dare queant, raro quidem et gravibus tantum de causis, fidelibus suae cuiusque iurisdictionis subiectis, legendi commentarii *l'Action française* ». Facultas legendi hanc ephemeridem non continetur in facultate generali legendi libros prohibitos. Ita Summus Pontifex Pius XI, in audientia Cardinali Parisiensi concessa 24 Februarii 1927¹.

haec re: *Epistola* Pii XI, ad Card. Andrieux, 5 Septembris 1926, *A. A. S.*, XVIII, 382; item Chirographum 5 Ianuarii 1927, *A. A. S.*, XIX, 5; *Normae directivae Episcoporum Galliae* apud *Periodica*, XV, 219 et sqs. etc. — 2) *A. A. S.*, XX, 195; *Periodica*, XVII, 131. — 3) *A. A. S.*, XXXI, 303; *Periodica*, XXVIII, 312; *Apollinaris*, XII, 311, et sqs.

Can. 1399. — 1) *A. A. S.*, XIX, 186; *Nouvelle Revue Théologique*, 54 (1927), 546; *Periodica*, XVI, 20. — 2) *A. A. S.*, XXXVI, 25.

Can. 1402. — 1) *Periodica*, XVI, 15. Decreto autem S. C. S. Officii, 10 Iulii 1939, abrogata est prohibitio legendi ephemeridem *Action française*. Vide *Monitore ecclesiastico*, vol. 64 (1939), p. 204; et responso S. Poenitentariae, 24 Iulii 1939, declaratur confessarios absolvere posse socios *Action française* certis sub cautionibus: *A. A. S.*, XXXI, 317.

1406 1. - S. C. S. Officii, Decreto 22 Martii 1918, iussu Benedicti XV, declaravit praescriptiones respicientes *Consilia a vigilantia* et *iuramentum animomodernisticum*, de quibus in Constitutione *Pascendi* Pii X, 8 Septembris 1907, et in Motu proprio *Sacrorum Antistitum* Pii X, 1 Septembris 1910, ob serpentes in praesenti modernisticos errores, latas, natura quidem sua, temporarias esse ac transitorias, ideoque in Codicem iuris canonici referri non potuisse; aliunde tamen, cum virus Modernismi diffundi minime cessaverit, eas pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit¹.

2. - « D. - An Superiores in societatibus clericalibus sine votis, de quibus agunt canones 673-681, fidei professionem ad normam canonis 1406, § 1, n. 9 emittere teneantur.

R. - Affirmative ». C. I., 25 Iulii 1926².

3. - Rector Facultatis pontificiae emittere debet professionem Fidei. S. C. de Seminariis, 12 Iulii 1931, art. 5. Itemque Professores. Art. 6 (Vide can. 1373)³.

1410 1. - S. C. Concilii, 16 Iunii 1927, ad dubia: « I. An augmentum, de quo in casu, sit tamquam accessio seu dotis beneficii sive muneris uniuscuiusque obtentoris (canonicatus, parociae, vicariatus, cappellaniae) habendum, iisdemque proin iuris praescriptionibus respective obnoxium; II. An saltem pro canonicis ceterisque, qui ad choralem residentiam tenentur, tertia pars augmenti in casu sit inter distributiones computanda, prout generatim de tertia parte assignationis cavetur in Codice ». Respondit: « Negative ad utrumque dubium »¹. — Agebatur in casu de augmento dato certis viris ecclesiasticis a Gubernio civili. Vide votum Consultoris in *A. A. S.* l. c.

2. - S. C. Concilii, 12 Decembris 1931, ad dubium: « An, et quam mensura, proventus fodinarum beneficialium pertineant ad dotem beneficii vel ad beneficiarium in casu ». Respondit: « Proventus fodinarum beneficialium pertinere ad dotem beneficii, detracta congrua summa pro expensis factis et pro amissione fructuum naturalium »².

1412 S. C. Consistorialis, 1 Augusti 1919, definivit quid requiratur ad constituendas paroccias et quid agendum in casu quo aliquid deficiat ad earum legitimam erectionem (Vide can. 216).

Can. 1406. — 1) *A. A. S.*, X, 136; *Periodica*, IX, 30. — 2) *A. A. S.*, XVIII, 393; *Periodica*, XV, 171; *Ius Pontificium*, 1926, 133. — 3) *A. A. S.*, XXIII, 263.

Can. 1410. — 1) *A. A. S.*, XX, 389. — 2) *A. A. S.*, XXIV, 147; *Ius Pontificium*, XII (1932), 174.

1415 Paroeciae erectae in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis ad normam can. 1315, § 3, sunt beneficia etsi dotem ad normam can. 1410 non habeant. Litterae Delegati Apostolici Statuum Foederatorum, 10 Nov. 1922¹.

1417 1. - S. C. Concilii, 3 Iulii 1918, ad dubia: « I. Utrum liceat clausulas apponere in limine foundationis beneficii, vi cuius primus obtentor liber sit ab oneribus beneficio adnexis rite ferendis, etiam cum agitur de oneribus, quae alicui ecclesiae paroeciali vel fidelis populi necessitati respondeant; — et quatenus affirmative, II. Utrum beneficiatus primus obtentor, dum onera non implet, ius habeat assistendi functionibus suae ecclesiae sive fundatis sive adventitiis, necnon et stipendium pro his percipiendi; — et quatenus negative ad secundum, III. Utrum sustineri possint clausulae contrariae olim adiectae in limine foundationis et ab Ordinariis approbatae ». Respondit: « Ad I. Affirmative; Ad II. Concedi posse, dummodo nihil obstet ex parte interesse habentium; Ad III. Provisum in praecedentibus »¹.

2. - Quid sit *lex foundationis* definitur in voto consultoris causae resolutae a S. C. Concilii 9 Iunii 1923 (Vide can. 396)².

1418 Decretum erectionis est de praecepto faciendum, non requiritur autem ad valorem erectionis paroeciae. S. C. Concilii, 20 Martii 1932 (Vide can. 466)¹.

1421 Quid sit dismembratio definitur in *resolutione* S. C. Concilii 14 Ianuarii 1922 (Vide can. 1427)¹.

1425 Circa administrationem honorum paroeciae domui religiosae incorporatae omnino videndum est responsum C. I., 26 Iulii 1926 (Vide can. 631).

1427 1. - S. R. Rota, sententia 10 Augusti 1917, decidit constare de matricitate ecclesiae in causa proposita, quatenus matricitas praecminentiam tantummodo honorificam importat¹.

2. - S. C. Consistorialis, 1 Augusti 1919, dedit normas ad dividendas paroecias praesertim pro dioecesibus quae antea a S. C. de Propaganda Fide dependebant (Vide can. 216).

3. - S. C. Concilii, 14 Ianuarii 1922, ad dubia: « I. An loci Ordinario absque beneplacito apostolico competat dismembratio paroeciarum in casu; — et quatenus negative: II. An et quomodo, praeter

Can. 1415. — 1) Vide Bouscaren, I, ad can. 216.

Can. 1417. — 1) *A. A. S.*, XI, 78; *Periodica*, X, 64. — 2) *A. A. S.*, XVI, 342.

Can. 1418. — 1) *A. A. S.*, XXV, 436.

Can. 1421. — 1) *A. A. S.*, XIV, 229; *Ius Pontificium*, 1922, 60.

Can. 1427. — 1) *A. A. S.*, X, 453.

sanationem quoad praeteritum, concedi possit facultas peragendi dismembrationem aliarum paroeciarum in casu ». Respondit: « Ad I. Affirmative; Ad II. Provisum in primo »².

4. - S. C. pro Ecclesia Orientali, 30 Aprilis 1930, antiquam quaestionem inter duas ecclesias, unam ritus graeci et alteram ritus latini resolvens respondit: Constare de matricitate ecclesiae orientalis ritus et amplius, seu constare de iure matricitatis ecclesiae graecae quatenus importat honorificam praecedentiam; atque iterum perpetuum silentium auctoritate apostolica super hac quaestione imposuit. Resolvit pariter in eadem causa nullum onus ecclesiae filiali imponendum esse. Norma praecedentiae in processibus desumenda erit ex antiquo concordato seu conventionem inter duas ecclesias³.

5. - S. C. Concilii, 13 Iunii 1931 (Resolutio approbata fuit a Romano Pontifice 24 Iunii 1931), in causa sibi proposita resolvit non constare de matricitate ecclesiae super alteram ecclesiam in casu; constare e contra de eiusdem maioriata. In hac causae disceptatione definitur quid sit et quid importet ecclesiae alicuius matricitas et quid ecclesiae super alteram simplex maioriata seu praecminentia. Ad matricitatem requiritur ut filialis ecclesia a matrice dismembrata fuerit, in titulum erecta fuerit et in cura animarum autonoma seu independens sit a matrice, ac insuper ad normam can. 1427, ut filialis ex redditibus matricis dotationem obtinuerit. Distinguuntur etiam signa recognitionis matricitatis et signa simpliciter reverentia unius ecclesiae ad alteram quae non necessario matricitatem important⁴.

1429 1. - Ordinarius potest renuntiationem valide acceptare elapso iam mense ab ipsa renuntiatione facta. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 189).

2. - Dari potest pensio parochi renuntianti ex beneficio renuntiato. S. C. Concilii, 11 Novembris 1922¹.

3. - « D. - Utrum loci Ordinarius possit admittere renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio paroeciali in favorem parochi renuntiantis.

R. - Affirmative, firmo praescripto canonis 1429, § 2 ». C. I., 20 Maii 1923².

1432 1. - « D. - Utrum, ad normam canonis 1432, § 3, devolvatur ad S. Sedem collatio beneficii, si Ordinarius intra semestre ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit non ex negligentia, sed ob absolutum defectum subiectorum.

R. - Negative ». C. I., 24 Novembris 1920¹.

2) *A. A. S.*, XIV, 229; *Ius Pontificium*, 1922, 60. — 3) *A. A. S.*, XXII, 274; *Periodica*, XIX, 296. — 4) *A. A. S.*, XXV, 208; *Periodica*, XXII, 159.

Can. 1429. — 1) *A. A. S.*, XV, 454. — 2) *A. A. S.*, XVI, 116.

Can. 1432. — 1) *A. A. S.*, XII, 577; *Periodica*, X, 249; *Ius Pontificium*, 1923, 124.

17 — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

2. - Applicatio can. 1432 devolventis ad Sanctam Sedem collationem beneficii habetur in resolutione S. C. Concilii, 12 Novembris 1921 et 10 Iunii 1922 (Vide can. 462) ².

3. - S. C. Concilii non agnovit ius Capituli Collegialis Beatae Mariae de Eleemosyna eligendi dignitates. S. C. Concilii, 15 Iunii 1940. (Cfr. supra can. 396, 7).

1435 1. - C. I., 1 Iulii 1922, resolvit ad Sanctam Sedem spectare, vi reservationis, collationem dignitatum quarumlibet etiam illarum quae nulla emolumenta adnexa habeant (Vide can. 396).

2. - C. I., 26 Novembris 1922, declaravit servandum esse in conferendis beneficiis Romae fundatis praescriptum can. 1435, § 3, ita tamen ut, si nullus inter indigenas reperiatur idoneus seu dignus, beneficia conferri possint et debeant aliis idoneis et dignis ad normam can. 404 (Vide can. 404).

3. - Dataria Apostolica, 11 Novembris 1930, promulgavit *normas servandas ab Ordinariis in impetranda ab Apostolica Sede collatione beneficiorum*. Normae tendunt ad observantiam can. 396, 1435, et 1432, § 3. Quae sequuntur continent normae: 1° A die vacationis beneficii reservati ad diem recursus ad Sanctam Sedem pro collatione intercedat tale spatium temporis ut clerici notitiam de collatione faciendam habeant. — 2° In supplici libello ad Cardinalem Datarium praesententur nomina omnium clericorum qui beneficium optant, indicatis saltem tribus dignioribus. — 3° Si beneficia conferenda concursus legi subiaceant, suffragia in concursu obtenta de idoneitate et scientia cum vitae curriculo una cum libello mittantur Romam. Si agatur de canonico theologo promovendo, servandus erit motu proprio Pii XI, 27 Augusti 1924, de gradu academico requisito. Quodsi Ordinarius in hoc dispensandum esse censuerit, de scientia candidati testimonium ferat, onerata eius conscientia. — 4° Si agatur de beneficio cum cura animarum, semper requiritur iudicium Ordinarii de scientia, pietate, zelo animarum et idoneitate candidati. Romanus Pontifex libenter semper accipiet votum Ordinarii circa candidatum quem magis dignum et idoneum reputat ¹.

4. - Dataria Apostolica, 1 Ianuarii 1942, promulgavit *Instructionem* « de observandis a Reverendissimis Ordinariis cum ab Apostolica Dataria collationem petant beneficiorum non consistorialium, quae ad normam iuris Apostolicae Sedis sint reservata vel devoluta ». In ipsa praemittuntur normae quaedam circa beneficia a Codice Sedi Apostolicae servata (can. 396, § 1 et 1455), aut devoluta (can. 1432, § 3). Deinde definitur qua ratione collatio beneficiorum reservatorum a S. Sede obtinenda sit et quid continere debeant litterae, utique la-

¹) A. A. S., XIV, 459.

Can. 1435. — 1) A. A. S., XXII, 525; *Periodica*, XX, 90.

tine conscriptae et a Reverendissimis Ordinariis subsignatae, illam collationem petentes. Continere nempe debent: nomen et naturam beneficii vacantis, an sit dignitas, an simplex canonicatus, an curam animarum adnexam habeat, an sit iuris patronatus; quonam ex tempore beneficium vacet: qua ratione vacaverit, an morte, an renuntiatione, an translatione, an privatione; quinam sit annuus beneficii redditus; nomen et cognomen candidati; an candidatus possideat aliud beneficium; an candidatus pertinuerit ad aliquam religionem; an beneficium legi concursus obnoxium sit ².

5. - D. - « An, ad mentem can. 1435, § 1, n. 4, collati cum canonicibus 6, nn. 2-4 et 20 Cod. I. C., sit Apostolicae Sedi reservatum beneficium resignatum intuitu alterius beneficii reservati ». S. C. Concilii, 20 Decembris 1942, respondit: « Affirmative » ³.

6. - S. Congregationi Concilii propositum fuit hoc dubium: « An, ad normam can. 1435, § 3 Codicis Iuris Canonici, sit S. Sedi reservata collatio beneficiorum vacantium in Titulis vel Diaconiis dum Cardinales Titulares a Romana Curia absunt ». S. autem Congregatio, 12 Iunii 1943, respondit: « Affirmative » ⁴.

1440 Non sunt considerata diminutio beneficii onera quae ei imponuntur ex indulto Sanctae Sedis in concordatis concessio. Talia enim onera censentur beneficio legitime imposita ex iure particulari. S. C. Concilii, 10 Martii 1923 ¹.

1441 Si Ordinarius in collatione parocciarum taxam favore Seminarii parociae iam obnoxiae tributo seminaristico imponere velit, ad Sanctam Sedem pro necessariis facultatibus recurrere debet. C. I., 16 Octobris 1919 (Vide can. 1355).

1448 Ius patronatus agnoscitur solummodo in fundatoribus non vero ex consuetudine aut ex privilegio aut alio titulo. S. C. Concilii, 12 Novembris 1921 et 10 Iunii 1922 ¹.

1449 Decisione S. Romanae Rotae, 14 Novembris 1919, bene definiuntur variae species iuris patronatus, familiaris et gentilii (Vide can. 1454) ¹.

1451 1. - « D. - Quenam sit vis verbi *curent* canonis 1451, § 1? R. - Verbum *curent* citati canonis declarat ab Ordinariis locorum suadendum esse patronis ut, loco iuris patronatus quo fruuntur aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua

2) A. A. S., XXXIV, 113-118. — 3) A. A. S., XXXV, 148-150. — 4) A. A. S., XXXV, 399-400.

Can. 1440. — 1) A. A. S., XV, 588.

Can. 1448. — 1) A. A. S., XIV, 459; *Periodica*, XI, 194; *Ius Pontificium*, 1922, 89.

Can. 1449. — 1) A. A. S., XIII, 61.

pro se suisve acceptent; et hinc patronos, praesertim ecclesiasticos, optime se gerere, si his suasionibus obsequantur ». C. I., 12 Novembris 1922 ¹.

2. - S. C. Concilii, proposito sibi dubio: « An dignitates, canonicatus aliaque beneficia minora ecclesiae cathedralis C. subsint reservationibus apostolicis, in casu », 11 Novembris 1944, respondit: « Affirmative ». Agebatur autem in casu de beneficiis iurispatronatus municipalis a Pio VII concessi etiam quod dignitates attinet. Anno autem 1912 Municipium C., conventionem cum Episcopo inita, in favorem Episcopi iurispatronatus formaliter et in perpetuum renuntiaverat. Hac renuntiatione beneficia iurispatronatus liberae collationis facta fuisse declarat S. Congregatio ².

1452 S. C. Concilii, 14 Februarii 1920, respondit, non obstante praescripto can. 1452, sustineri usum praesentationis popularis ad beneficia paroecialia in certis regionibus ditionis Venetae vigentem. Haec autem est praxis ibi vigens. Capita familiarum in comitiis eligunt praesentandum inter clericos omnes qui praevio concursu ab Ordinario idonei renuntiati sunt. Praxis haec admittitur quia in ipsa libertati Ecclesiae magis consulitur quam in forma a can. 1452 statuta ¹.

1454 S. Romana Rota, sententia 14 Novembris 1919, confirmavit decisionem qua agnitum est iurispatronatus alicui personae agnatae fundatoris. In causae discussione seu in motivis *in iure* definiuntur variae species iurispatronatus, agnoscitur ius fundatoris conditiones apponendi etiam iuri communi contrarias, modo honestae sint ¹.

1460 S. C. Concilii, 15 Martii 1930, resolvit standum esse, in causa iurispatronatus, decreto Curiae quo agnoscebatur ius sacerdotis praesentati ad paroeciam post electionem ad normam decreti convocantis comitia patronorum. Agebatur in casu de iurepatronatu populari exercendo collegialiter a determinatis personis physicis communitatis. Ibi etiam de iure suffragium ferendi per litteras aut per procuratorem vi can. 163 excluso ¹.

1462 1. - S. C. Concilii, 14 Februarii 1920, sustineri respondit praxim qua, vigente iurepatronatus populari, ius habentes praesentandum eligunt inter plures ab Ordinario in concursu iam approbatos (Vide can. 1452).

Can. 1451. — 1) *A. A. S.*, XIV, 663; *Periodica*, XI, 181; *Ius Pontificium*, 1922, 131-2) *A. A. S.*, XXXVII, 118-120.

Can. 1452. — 1) *A. A. S.*, XII, 163; *Periodica*, X, 191.

Can. 1454. — 1) *A. A. S.*, XIII, 61.

Can. 1460. — 1) *A. A. S.*, XXV, 315; *Periodica*, XXII, 138.

2. - « D. - Utrum ad normam canonis 1462 paroeciae aliave beneficia obnoxia iuri patronatus laicalis conferri semper debeant per concursum, ita ut patronus etiam laicus non possit praesentare nisi clericum legitime ex concursu probatum.

R. - Affirmative, si paroeciae aliave beneficia iuris patronatus laicalis sint obnoxia concursui iure particulari, ex. gr., foundationis vel legitimae consuetudinis; secus negative ». C. I., 12 Novembris 1922 ¹.

1470 Decreto S. C. Consistorialis, 20 Decembris 1919, auferuntur quidam abusus circa iurispatronatus in Insula Melevitana. Ius patronatus in casu revocatur a Sancta Sede nisi determinatae ab ipsa et eius auctoritate variae conditiones serventur ¹.

1472 Proventus fodinarum beneficialium pertinet ad dotem beneficii, detracta congrua summa pro expensis et pro amissione fructuum beneficii. S. C. Concilii, 12-17 Decembris 1931 (Vide canonem 1410) ¹.

1473 1. - S. C. Consistorialis litteris circularibus, 29 Iunii 1919, subvenire nititur honestae cleri italici sustentationi. Consideratis praesentis temporis necessitatibus, Sacra Congregatio hortatur Ordinarios ad taxam missarum manualium saltem ad tres libellas augendam. Concedit Ordinariis ad taxam manualium reducere onera missarum ex legatis. Si id petierint Ordinarii Sancta Sedes facile concedet ut beneficiis pinguioribus pensio imponatur in favorem clericorum indigentium. Ordinarii fidelibus inculcare ne desinant ut clerico opitulentur ne ipse clerus ob defectum mediorum ad vitam necessarium deficiat ¹.

2. - S. C. Concilii, 12 Decembris 1931, declaravit proventus fodinarum in fundis beneficialibus, detracta congrua summa pro expensis et pro amissione fructuum, pertinere ad dotem beneficii (Vide canonem 1410).

1475 1. - S. C. Concilii, 9 Iulii 1921, ad dubia: « I. An Episcopus, Missam pontificalem celebraturus, satisfaciat obligationi horae canonicae (tertia vel nonae), recitando preces a Caeremoniali Episcoporum praescriptas; II. An Episcopus satisfaciat respectivae obligationi officii divini, dum pontificaliter celebrat in Vesperis et Laudibus, in processione Litaniarum maiorum et minorum aliisque in sollemnibus functionibus, quamvis secundum rubricas Caeremonialis Episcoporum, chorus aut certi cantores partes officii recitare aut ca-

Can. 1462. — 1) *A. A. S.*, XIV, 663; *Periodica*, XI, 181.

Can. 1470. — 1) *A. A. S.*, XII, 38; *Nouvelle Revue Théologique* 47 (1920), 367.

Can. 1472. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 147; *Periodica*, XXI, 193.

Can. 1473. — 1) *A. A. S.*, XI, 277. Has normas invenire poteris in meas *Institutiones*, II, ed. 3, p. 588.

nere debeant, quin ipse eas recitet ». Respondit: « Ad I. Affirmative; ad II. Negative, nisi aliqua caeremonia, iuxta rubricas Caeremonialis Episcoporum, ipse impediatur »¹.

2. - S. C. Concilii, 10 Martii 1923, ad dubia: « I. Utrum post Codicem I. C. sustineri possint onera in schedula convocatoria, canonicis de officio imposita in casu; — et quatenus affirmative: II. Utrum haec onera debeant a praedictis canonicis impleri, non solum absque ulla retributione, sed etiam non modicis ex proprio peculio sumptibus in casu... ». Respondit: « Ad I. Affirmative; Ad II. Affirmative ». Agebatur in casu de oneribus impositis vi iuris particularis in Hispania vigentis ex Concordato².

1480 S. C. Concilii, 20 Novembris 1930, ad dubium: « An redditus intercalares sive civiles sive naturales distribuendi sint in Italia iuxta annum solarem seu civilem ». Respondit: « Affirmative »¹.

1483 S. C. Consistorialis, 30 Iunii 1934, dedit *normas* de administratione mensarum episcopalium in Italia. Normae 28 articulis constant duobus capitibus contentis. Capite primo agitur de administratione mensarum *sede plena*. Observantia canonum urgetur praesertim can. 432, 433, 444, 1480, 349, 1483, 1530-1533, 1538, 1541, 1563 § 1, 1497 § 2, 1299 § 3, 1301. Capite altero agitur de administratione mensae *sede vacante*. Revocatur memoriae observantia can. 430, 436, 442, 1522, n. 1 etc.¹.

1486 Ordinarius potest admittere renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis in favorem renuntiantis. C. I., 20 Maii 1923 (Vide can. 2150).

1489 1. Causae piae duplex est forma: vel corpus constituit per se stans in personam iuridicam erectum; vel bona pio fini destinata cuidam personae iuridicae iam existenti ceduntur. Causas pias primae formae Codex inter instituta recenset (can. 1489 sqs.), alterius formae foundationes appellat (can. 1544 sqs.). In foundationibus non est locus erectioni cum bona credantur personae iam erectae. At etiam in foundationibus acceptatio necessaria est et ad acceptationem necessaria licentia Ordinarii. Sine hac licentia acceptatio valet, at potest ab Ordinario rescindi. Bona in utraque forma causae piae sunt ecclesiastica. Si autem bona ad pium finem sine Ordinarii interventu, et in personam iuridicam erigantur, vel personae laicali tradantur, causa pia ecclesiastica non existit, sed solum *institutum pium laicale*

Can. 1475. — 1) *A. A. S.*, XIII, 477. — 2) *A. A. S.*, XV, 588.

Can. 1480. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 16; *Ius Pontificium*, XI (1931), 107; *Periodica*, XX, 140.

Can. 1483. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 551. Has normas invenire poteris in *meas Institutiones*, II, ed. 3, p. 588.

et bona laicalia remanent in quae tamen vigilantia Ecclesiae exerceri potest. S. R. Rota, 9 Iulii 1920¹.

2. - Foundationes, quae ex privata fidelium voluntate fiunt ad finem religiosum, absque ullo interventu auctoritatis ecclesiasticae vocantur simpliciter *causae piae*, et earum bona in privatorum dominio manent, non afficiuntur legibus ecclesiasticis, sive in favorabilibus sive in odiosis. At ad Ecclesiam pertinet ut piae fidelium voluntates executioni mandentur. S. R. Rota, 30 Iulii 1930².

1495 1. - Benedictus XV, Litteris 12 Martii 1919, ad Card. Czernoch, condemnat temeritatem eorum « qui non verentur haec contendere: — Bona sive mobilia sive immobilia singulorum beneficiorum seu institutorum ecclesiasticorum, immo etiam piarum quarumvis foundationum, quoquo modo ad ecclesias et instituta illa pertinentium, esse inalienabilem proprietatem omnium in Hungaria existentium catholicorum, eorumque administrationem, iusque de illis pro lubitu disponendi, non tantum in fines praestitutos, sed etiam in alios prorsus fines, transferendam esse ad comitia sic dicta catholicorum »¹.

2. - S. R. Rota, 5 Maii 1922, ius proprietatis bonorum quorundam alicui sodalitati adiudicavit, ius vero administrationis eorundem bonorum Ecclesiae cathedrali².

1500 S. C. Concilii, 16 Iulii 1932, resolvit dismembrata portione territorii alicuius paroeciae et unita territorio alterius paroeciae in alia dioecesi, decimas ex usu solvi solitas paroeciae *a qua* portio territorii dismembrata est, eidem etiam in posterum solvendas esse ne, ad normam can. 1427, § 3, paroecia *a qua* sufficientibus redditibus careret, non obstante quod territorium decimis gravatum nunc alteri dioecesi adnexum sit¹.

1502 Cui solvendae sint decimae in casu dismembratae paroeciae in casu particulari resolvit S. C. Concilii 16 Iulii 1932 (Vide can. 1500).

1503 1. - Ad fraudes vitandas monuit S. C. pro Ecclesia Orientali, 2 Aprilis 1929, se licentiam Orientalibus quibusdam qui stipem in Occidentalibus regionibus quaeritabant, non dedisse (Vide can. 622)¹.

Can. 1489. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XII, 486 sqs. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 487, n. 8. Vide etiam *Resolutionem* S. Congregationis Concilii, 13 Novembris 1920 sub can. 864.

Can. 1495. — 1) *A. A. S.*, XI, 122. — 2) *A. A. S.*, XV, 84.

Can. 1500. — 1) *A. A. S.*, XXV, 470.

Can. 1503. — 1) *A. A. S.*, XX, 107.

2. - S. C. pro Ecclesia Orientali, decreto 7 Ianuarii 1930, quaedam statuit de clericis orientalibus eleemosynas in Occidente colligentibus (Vide can. 622).

1504 1. - S. C. Concilii, 20 Augusti 1917, resolvit tributum *cathedratici* sede vacante non posse imponi, quippe quod in obsequium Episcopi, non in subsidium, solvitur ¹.

2. - S. C. Concilii, 13 Martii 1920, petitioni aliquarum provinciarum ecclesiasticarum in Gallia ut approbaretur quaedam ratio exigendi *cathedraticum*, ad consulendum expensis cancellariae, ab ecclesiis paroecialibus primae classis in summa decem francorum, ab aliis ecclesiis octo francorum etc..., habita ratione quod *cathedraticum* non solvitur ad expensas perferendas sed in obsequium Cathedrae, et attendita diuturna desuetudine, respondit: Prout petitur non expedire ².

1505 S. C. Concilii, 20 Martii 1931, ad dubium: « An distributiones quotidianae obnoxiae sint tributo, de quo in art. 57 Instructionum diei 20 Iunii 1929 circa bona ecclesiastica ». Respondit: « Negative, seu distributiones quotidianas et, si omnes beneficii redditus distributionibus constant, tertiam earundem partem, tributo de quo agitur non esse obnoxias » ¹.

1507 1. - S. C. Concilii, 11 Decembris 1920, in causa *Taxarum* respondit: 1° uniformitatem in taxis Curiae in tota provincia ecclesiastica servandam esse nec posse duplicem taxam, alteram maximam, alteram minimam definiti; 2° pluries vetitum fuisse quidquam exigere, praeter expensas materiae, pro facultate concedenda exercendi sacros ordines, administrandi Sacramenta, concionandi, colligendi eleemosynas, etc.; 3° nullum emolumentum pro concessis dispensationibus matrimonialibus, sine expressa S. Sedis facultate exigi posse. Praeterea S. Congregatio reprobatur graviores taxam a sacerdotibus extradiocesanis exigi ¹.

2. - Tolerari potest in locis missionum ut in taxis definiendis aliqua libertas relinquatur missionariis et ut paulatim ad uniformitatem deveniatur. S. C. de Prop. Fide, 14 Martii 1922 ².

1509 Fines certi et indubii paroeciarum non admittunt praescriptionem; bene vero eam admittunt fines incerti et dubii. S. R. Rota, 31 Ianuarii 1919 ¹.

Can. 1504. — 1) *A. A. S.*, IX, 497. — 2) *A. A. S.*, XII, 444.

Can. 1505. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 165.

Can. 1507. — 1) *A. A. S.*, XIII, 350; *Periodica*, X, 353. — 2) *Sylloge*, n. 97, p. 166.

Can. 1509. — 1) *A. A. S.*, XI, 469.

1511 Decisio S. R. Rotae 21 Iunii 1924 agit de tempore ad praescribendum necessario, quando praescriptio coepta ante Codicem post Codicem complenda est ¹.

1513 1. - S. C. Concilii, 23 Aprilis 1927, ad dubium: « Utrum testamentum D. Angeli in favorem D. Ioannis contineat transmissionem fiduciarium ad conservanda bona utilitate patronatus in casu, an potius liberam heredis institutionem ». Respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram; et applicentur in re canones 1515, 1516 et, si opus fuerit, canon 1517 » ¹.

2. - « D. - Utrum verbum *moneantur*, de quo in canone 1513, § 2, sit praeceptivum an tantum exhortativum.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 17 Februarii 1930 ².

1516 Ob civilium legum prohibitionem nonnumquam bona ad pias causas destinata aliter civiliter sunt inscripta, quam quod revera voluit pius fundator. In tali casu clericus vel religiosus qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos sive ex testamento fiducialiter accepit, debet de sua fiducia Ordinarium certiore reddere eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare. Unde actus inter vivos et testamenta, accedente fiducia, nihil prorsus valent ecclesiastico in foro, sed ipsa fiducia, potissimum in scripto consignata, unicum fontem constituit ad disponentium voluntatem eruendam. S. R. Rota, 6 Iunii 1930 ¹.

1517 1. - « D. - Utrum Ordinarius, ad normam canonis 1517 et canonis 1551, ob imminutos redditus, onera Missarum reducere valeat, si id in tabulis foundationum expresse caveatur.

R. - Affirmative ». C. I., 14 Iulii 1922 ¹.

2. - S. C. Concilii, 21 Maii 1927, ad dubia: « I. An cappellaniis in casu adnexa sit celebratio cotidiana Missarum; — et quatenus affirmative: II. Ad quam usque rationem rector paroeciae S. A. teneatur redditus cedere in favorem cappellaniarum in casu ». Respondit: « Ad I. Affirmative; Ad II. Ad rationem taxae diocesanae » ².

Can. 1511. — 1) *A. A. S.*, XVI, 473.

Can. 1513. — 1) *A. A. S.*, XX, 362; *Periodica*, XVIII, 44; *Ius Pontificium*, 1928, 145. — 2) *A. A. S.*, XXII, 196; *Apollinaris*, III, 247; *Periodica*, XIX, 269; *Ius Pontificium*, 1930, 144.

Can. 1516. — 1) *Decisiones et sententiae*, XXII, 310 et sqs.

Can. 1517. — 1) *A. A. S.*, XIV, 529; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 125. — 2) *A. A. S.*, XXI, 116.

1519 1. - Episcopus ut administrator bonorum ecclesiasticorum in sua dioecesi ius habet leges condendi pro aequa bonorum administratione et distributione. S. R. Rota, 28 Februarii 1919¹.

2. - S. C. Concilii, 20 Iunii 1929, *Instructionem*, ad Ordinarios dioecesanos Italiae, dedit de Administratione bonorum beneficialium et ecclesiasticorum in Italia ad normam Codicis iuris canonici et Concordati inter Italiam et Sanctam Sedem. Instructio constat septem capitibus et sexaginta duobus articulis. En rubricae singulorum Capitulum: 1° De consignatione gestionis oeconomicalis ante Concordatum vigentis ad Ordinarios locorum. — 2° De officio administrativo dioecetano. — 3° De custodia titularum et pecuniae. — 4° De administratione beneficiorum vacantium. — 5° De administratione beneficiorum non vacantium. — 6° De vigilantia dioecesana. — 7° De officio administrativo centrali penes S. C. Concilii².

3. - S. C. Concilii, 24 Maii 1939, promulgavit dispositiones pro custodia et conservatione rerum ecclesiasticarum ad historiam et artem sacram in Italia pertinentium³.

1520 In Missionibus consilii administrationis esse possunt illi qui constituunt Consilium Missionis. Praefectus S. C. de Propag. Fide, 13 Iunii 1921 (Vide etiam can. 1521 et 1126)¹.

1521 1. - Consilium missionariorum de quo in can. 302, tenere potest etiam locum consilii administrationis de quo in canon. 1521 et 1532. C. I., 26 Ianuarii 1919 (Vide can. 1126).

2. - S. R. Rota, decisione 15 Maii 1925, adiudicavit ecclesiae cathedrali administrationem bonorum quorundam ad aliquam sodalitatem pertinentium¹.

3. - Pius XI, Epistola Encyclica *Maximam*, 18 Ianuarii 1924, ad Ordinarios locorum Galliae directa quaestionem dirimit de consociationibus dioecesanis. Praemittit Romanus Pontifex deploranda facta quibus in Gallia ad separationem Ecclesiae a Statu perventum est. Considerata deinde cleri populique gallici bona voluntate et liberalitate necnon gallicae ecclesiae precaria condicione, consociationes dioecesanarum, ab illis diversas quas antea Pius X damnaverat, ad experimentum, cautionibus quibusdam datis, permittit. Quamvis igitur nihil stricte praecipere intendat Romanus Pontifex, ad experimentum tamen tentandum ipse hortatur. Finis autem harum associationum dioecesanarum esse debet subvenire sumptibus et sustentationi cultus

Can. 1519. — 1) *A. A. S.*, XII, 85. — 2) *A. A. S.*, XXI, 384. Vide etiam Bertola-Jemolo, *Codice ecclesiastico*, p. 523 et 397 et sqs. ubi legislatio concordataria Italiae integre refertur. — 3) *A. A. S.*, XXXI, 230-238.

Can. 1520. — 1) Vide Sartori, *l. c.*, ad can. 1520.

Can. 1521. — 1) *A. A. S.*, XV, 31.

catholici sub auctoritate Sanctae Sedis et Episcopi secundum constitutionem Ecclesiae catholicae. Consociationes singulae constant praeside Episcopo, triginta saltem membris titularibus in dioecesi residentibus et numero illimitato membrorum honorariorum quae iure suffragii non gaudent².

4. - S. C. Concilii, 25 Iunii 1930, ad Ordinarios Italiae dedit *Instructionem* de ecclesiis et aliis entibus culturalibus in applicatione Concordati italici. Instructio constat quinque capitibus et viginti octo articulis. — Capite primo agitur de ecclesiis, scilicet de eorum personalitate iuridica et de modo eiusdem agnitionem ex parte Status civilis obtinendi. — Capite altero agitur de consiliis fabricae ecclesiarum, scilicet de eorum muneribus, statutis et obligationibus. — Caput tertium agit de sanctuariis, scilicet de eorum libera administratione vindicanda Ecclesiae. — Caput quartum est de Confraternitatibus, idest de earum personalitate iuridica ab Ecclesia concessa a qua dependent et qua ratione. — Capite quinto sermo est de foundationibus cultus earum characterem autonomo ab auctoritate, si casus ferat, etiam civili agnoscendo³.

1524 1. - Benedictus XV, Epistola 11 Martii 1920, ad Episcopum Bergomensem directa occasione erecti in illa dioecesi officii opificum rationibus, pro eorum varietate, provehendis, institutionem ipsam laudat, at, ut fructus bonos afferre possit, valide commendat observantiam praescriptionum Sanctae Sedis in re sociali et praesertim *Encycl. Rerum novarum*¹.

2. - Benedictus XV, Epistola 14 Iunii 1920, ad Cardinalem Venetiarum, operariis moderationem in suis iuribus prosequendis, heris autem aequitatem potius quam strictum ius erga operarios commendat. Ad inconsultos motus operariorum evitandos et impediendos principiorum catholicorum observantiam incitat. Hortatur pariter Ordinarios ad associaciones catholicas fovendas, quae recta principia teneant et ad praxim deducant².

3. - S. C. Concilii litteris ad Episcopum Insulensem datis, 5 Iunii 1929, occasione suborti inter heros et opifices conflictus quaedam principia de quaestione sociali tradidit. Affirmatur initio competentia Ecclesiae in dirimendis conflictibus socialibus, quia haec quaestiones non sunt generatim quaestiones mere oeconomicae. Agnoscitur ius et utilitas constituendi syndacatus seu societates operariorum et herorum sive separatorum sive mixtas. Hortatur Sacra Congregatio ad has societates secundum normas fidei et morum constituendas. Ut sint huiusmodi societates seu syndacatus instrumenta pacis socialis, Sacra Congregatio hortatur ad syndacatus mixtos operariorum et herorum. Ge-

2) *A. A. S.*, XVI, 5; *Periodica*, XIII, 30. — 3) *A. A. S.*, XXII, 410; *Periodica*, XIX, 322. Cfr. etiam Bertola-Jemolo, *l. c.*, p. 511 et p. 397 et sqs.

Can. 1524. — 1) *A. A. S.*, XII, 109. — 2) *A. A. S.*, XII, 290.

neratim, nisi aliquid obstet, syndacatus inter catholicos exclusis a catholicis, constitui debent. Praemissis his principiis S. Congregatio conflictum practicum dirimit³⁾.

4. - Pius XI, Litteris Encyclicis *Quadragesimo anno*, 15 Maii 1931, ad locorum Ordinarios directis, universam materiam de ordine sociali instaurando et ad evangelicae legis normam perficiendo tractat. Praemittit Romanus Pontifex historiam Constitutionis *Rerum novarum* Leonis XIII, 15 Maii 1891. Occasione capta sollemnis commemorationis illius Constitutionis, Pius XI intendit hac sua Constitutione tria evolvere capita: 1° Quae bona in societate ex Constitutione *Rerum novarum* effluxerint. — 2° Eiusdem Constitutionis quaedam capita evolvere eamque a dubitationibus quibusdam vindicare. — 3° Radicem praesentis socialis perturbationis detegere et viam ostendere salutiferae instaurationis.

1° Constitutio *Rerum novarum* habenda est ut *magna charta* ordinis socialis christiani. Ex ipsa orta est disciplina socialis catholica in scholis, in conventibus socialibus, in libris catholicorum ex tunc tradita; quae disciplina socialis, non solum inter catholicos sed etiam inter eos qui extra Ecclesiam sunt, magnum influxum exercuit. Ex disciplina autem sociali huiusmodi in variis societatis civilibus multiplicatae sunt societates operariorum et agricolarum. Dolendum vero quod valde paucae societates herorum efformatae sint. — 2° Affirmat et probat Romanus Pontifex ius Ecclesiae interloquendi in quaestione sociali, quia res oeconomicae et morales inter se stricte colliguntur et quia ceteri fines fini ultimo subordinantur. Agit: a) De iure proprietatis. Docet ius proprietatis privatae a Deo esse, at duplicem rationem dominii seu proprietatis memorat, nempe individualem et socialem. Vitandus aequae est, in defendendo iure proprietatis, *individualismus* et *collectivismus* ne incidatur in *modernismum* *moralem iuridicum* et socialem. Ius dominii distinguendum est ab eiusdem usu. Ius dominii privati protegitur iustitia commutativa, eius autem usus aliis virtutibus regitur. Ratio dominii privati non nimis extendenda est. Salvo iure proprietatis, publica auctoritas, lege naturali duce, decernere potest quatenus iura dominorum cum bono publico componi possint. Heris autem gravia circa liberos redditus officia incumbunt. Modi acquirendi dominium sunt occupatio et specificatio. — b) Deinde agit de re seu *capitali* et de *opera*. Haec duo, *capitale* et *opera*, sunt duo media quibus ingentes divitiae gignuntur. Neutrum sine altero quidquam efficere potest, et quae fiunt neutrum sibi exclusive potest arrogare. Diu nimiam partem sibi arrogavit capitale, exaggerate socialistae omnia operae attribuunt. Neutrum ab emolumentis participandis excludendum est. Sit sua cuique pars, et partitio magis bono communi conformanda est. — c) Tum Romanus Pontifex agit de redemptione proletariorum. Nostris diebus non magis, ut temporibus

3) A. A. S., XXI, 494; *Periodica*, XVIII, 237.

transactis, grassatur *pauperismus*, at socialem ordinem hodie vigentem consideranti sat clare apparet divitias nondum esse aequae distributas. Optandum ut in posterum melior partitio fiat; quod si fieri neglegatur, via non erit ad ordinem publicum efficaciter defendendum contra populorum concitatores. — d) Romanus Pontifex agit de iusto salario. Desiderandum ut contractui salariatus substituat contractus societatis. Quatenus sit iusta merces nequit una regula pro omnibus casibus definiri. Falsa censa est regula qua merces metienda declaratur unice ex fructibus productis. Etiam indoles operae individualis est socialis. Enitendum omnino est ut patresfamilias sibi suisque in familia sufficientem mercedem obtinere possint. Curanda est etiam officinarum conditio et ratio habenda boni communis. — e) Demum Romanus Pontifex de restauratione ordinis socialis agit. Necessarium esse docet institutiones reformare. Parvis communitatibus eripienda non sunt a publica potestate ea quae ipsa parva communitas praestare potest. Ad *classium luctam* impediendam commendatur constitutio ordinum seu syndacatum omnium personarum, opificum nempe et herorum qui in aliqua professione operantur. Intra iustos limites liberum certamen continendum. Vitandum tamen, quantum fieri potest, ne res publica liberae civium activitati se substituat, et ne hic ordo novus socialis corporativus politicam nimis sapiat et politicis scopis asserviat. Omnibus autem his ordinis socialis reformationibus lex moralis omnino praeesse debet. — 3° Radicem praesentis perturbationis sociali perquirens Romanus Pontifex eam invenit partim in mutata nostris diebus ratione oeconomicae socialis et in evolutione socialismi. Oeconomia socialis tempore Leonis XIII, hoc principio enuntiabatur: Non res seu capitale sine opera, nec sine re seu capitali potest opera subsistere. — a) Ex nimis libera competitione ortus est capitalismus oeconomicus, quo res oeconomica universa a parvo numero hominum pendet qui potentatum absolutum in re oeconomica exercent. Inde *nationalismus oeconomicus* et *imperialismus* et *internationalismus oeconomicus*. Quae omnia evitarentur si capitale et opera christiane considerarentur et caritate christiana competitiones temperarentur et bonum publicum prae bono quolibet privato prae oculis haberentur. — b) Socialismus christianismo radicitus infensus in duas partes nostris diebus divisus est. Altera violentior, quae luctam inter classes sociales fovet et licentiam privati dominii negat, Ecclesiae et ipsi Deo bellum indicens *communismus* seu *bolscevismus* appellatur. Altera pars mitior nomen retinet *socialismi*. Haec classium luctam et dominii privati illicentiam absolute non docet. Et si solummodo honestam inter varias classes sociales disputationem propugnat et Status civilis interventum in ordinanda privata proprietate eaque moderanda, admitti potest haec forma socialismi, quae verum socialismum non constituit, etiam a catholicis. Socialismus vero generatim dominium privatum illicitum

habet et classium luctam propugnat. At etsi his erroribus purgatus est, difficile componi potest socialismus cum fide catholica, quia societatem fingit a fide ipsa alienam, quod ex eo etiam patet quod vir catholicus et vir socialista inter se pugnantia principia enuntiant. Socialismus enim praescindens a moralitate et fide, si in societate vigeat, ipsam societatem efformat a religione alienam et religioni plane extraneam, quod cum principiis catholicis non concordat. Hinc dolendum quod plurimi catholici ad partes socialismi incaute transmigraverint. Nec eos excusare potest, quod ipsi transfugae affirmant, Ecclesiam nempe favere divitibus et capitalistis. Hoc enim verum non est, sed, si defectus habentur, id non evenit ex eo quod principia christiana bono operariorum opponantur sed potius ex eo quod non omnes qui christiani appellantur, christiane vere vivunt et operantur. Invitantur proinde catholici ad socialismum transfugae, ut ad recta principia redeant. — c) Ut remedium malis praesentibus afferri possit omnino necesse est ut spiritus christianus in societate reviviscere incipiat. Damno cuilibet materiali damnum salutis animarum supereminet, cuius damni radix et causa invenitur in inexplicabili siti divitiarum. Hinc incuria de bono animae, festorum dierum profanatio, impedita vita familiaris, extenuatio spiritus christiani in societate. Remedia his malis est observantia legis evangelicae qua Deus supremo gradu in ordine sociali esse agnoscitur, et qua observata in societate regnabit suavissima moderatio christiana, non purus egoismus et studium pecuniae cumulandae. Aliud elementum moderationis socialis afferet observantia caritatis evangelicae. Episcopi ad opus hoc prosequendum actione catholica utantur, et societatibus catholicis. Oportet ut opifices catholici, in societatem adunati et uniti, aliorum opificum seu operariorum apostoli fiant. Hoc facere curent Episcopi, ope sacerdotum ad hoc deputatorum. Opus etiam adjuvabit praxis promovenda inter operarios exercitiorum spiritualium. Non est permittendum ut filii tenebrarum filiis lucis prudentiores sint ⁴.

5. - Pius XI, Litteris Encyclicis 2 Octobris 1931, occasione aspermi rei oeconomicae discriminis et multorum hominum operum vacatione, in memoriam praeceptum caritatis evangelicae revocat ut egentibus meliori quo fieri potest modo provideatur. Queritur Romanus Pontifex quod consilia de minuendo bellico apparatu hucusque frustra data sint et hortatur Ordinarios ut et ipsi, quantum fieri potest operam dent ut minora dispendia in apparatu militari erogentur. Hortatur fideles ut suis Ordinariis obsequentes hac in re se se ostendant. Hortatur pariter ad orandum ⁵.

6. - Pius XI, Litteris Encyclicis *Divini Redemptoris*, 19 Martii 1937, de comunismo atheo, iterum quaedam resolvit de societatibus operariorum et herorum et de iustitia sociali ⁶.

4) A. A. S., XXIII, 177; *Periodica*, XX, 211. — 5) A. A. S., XXIII, 363; *Periodica*, XXI, 5. — 6) A. A. S., XXIX, 85; *Periodica*, XXVI, 275.

1530 Alienatio in iure canonico latissime intelligitur et comprehendit nedum actus translationis domini, sed alios quoque quibus ad longum tempus bonorum ecclesiasticorum administratione et usufructu Ecclesia privatur. Uni autem Ecclesiae ius est de bonis suis libere disponendi, abiudicata auctoritati civili qualibet potestate. Si ob non observatas iuris sollemnitates irrita fuit alienatio, Ecclesia habet actionem personalem contra male alienantem et realem ut rem, penes quemcumque possessorem, prosequatur. Per alienationem ipso iure nullam dominium non transferitur. S. R. Rota, 5 Maii 1922 ¹.

1532 1. - S. C. Concilii, 17 Maii 1919, ad dubia: « I. An loci Ordinarius vi canonis 1532 sanare valeat peractas sine debita licentia alienationes bonorum ecclesiasticorum, quorum valor non excedat triginta millia libellarum; — et quatenus affirmative: II. An idem Ordinarius, quum sanationem impertitur, teneatur servare praescriptas normas canonis 1532, § 2 et 3 ». Respondit: « Ad I. Negative; Ad II. Provisum in primo » ¹.

2. - S. C. Concilii, 12 Iulii 1919, ad dubium: « An donaria votiva alienari possint absque beneplacito Apostolicae Sedis ». Respondit: « Negative » ².

3. - « Quod spectat autem c. 1532, valor francorum aestimandus est ex ratione normali nummorum, non autem ex cursu cambii. Si fundus venundetur per partes, in ordine ad can. 1532 summae venditionum partialium coalescunt, si venditiones partiales (sive simultaneae sive aliquo temporis spatio separatae) hoc animo fiant ut totum fundum alienandum intendas; e contra non coalescunt, si una pars vendatur, quin ceteras partes intendas alienare ». S. C. de Propaganda Fide, 1 Iulii 1920 ³.

4. - « D. - I. Utrum pretium, de quo in canone 1532, § 3, idem sit ac valor rei secundum aestimationem a probis peritis scripto factam ad normam canonis 1530, § 1, n. 1; an vero maius pretium per publicam licitationem, etc., oblatum ad normam canonis 1531, § 2.

II. An requiratur Apostolicae Sedis beneplacitum ad alienationem perendam, si, indicta licitatione, pro pretio a peritis legitime taxato infra libellarum triginta millia, offeratur tandem pretium hac summa superius.

R. - Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Provisum in responsione ad I ». C. I., 24 Novembris 1920 ⁴.

5. - S. C. Concilii, 14 Ianuarii 1922, ad dubia: « I. Utrum ad alienationem rerum utcumque pretiosarum semper necessarium sit bene-

Can. 1530. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIV, 132 et sqs.

Can. 1532. — 1) A. A. S., XI, 382; *Periodica*, X, 66. — 2) A. A. S., XI, 416; *Periodica*, X, 66. — 3) *Sylloge*, n. 80, p. 138. — 4) A. A. S., XII, 577; *Revue des Communautés Religieuses*, Documents du Saint-Siège, 57; *Periodica*, X, 249; *Ius Pontificium*, 1923, 125.

placitum apostolicum, an possit Ordinarius intra certos summae limites huiusmodi alienationem permittere; II. Utrum ad alienationem quorumcumque donariorum votivorum requiratur beneplacitum apostolicum, an possit Ordinarius de eisdem disponere intra certam summae quantitatem; III. An ad alienationem donariorum votivorum requiratur beneplacitum apostolicum, quando ipse oblator donarii in alienationem ultro consentiat; IV. Utrum mera oblatio doni ad altare, vel ad sacram iconem, praesumptionem voti secum ferat; an positive constare debeat, donarium ex voto oblatum esse; V. An in Ordinarii facultate sit, quando Consilium administrationis et Capitulum cathedrale inter se dissentiant, supplere alterutrius consensum, tum in negotio alienationum tum in quovis aequipollenti contractu». Respondit: «Ad I. Ad Pontificiam Commissionem Codicis pro canonibus authentice interpretandis; Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; Ad III. Affirmative; Ad IV. Donarium praesumi votivum, nisi de contraria donatoris vel offerentis voluntate aliunde constet; Ad V. Negative»⁵.

6. - «D. - An vi canonis 1532, § 1, n. 2 requiratur licentia S. Sedis ad alienandas per modum unius plures res ecclesiasticas eiusdem personae, quae simul sumptae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum.

R. - Affirmative». C. I., 20 Iulii 1929⁶.

1536 Sententia Signaturae Apostolicae diei 6 Aprilis 1920 applicat donationibus iam ante Codicem perfectis can. 1536, § 1¹.

1542 1. - S. C. Concilii, 23 Ianuarii 1923, interrogata: «An Episcopus vi can. 1542, § 1, permittere possit redemptionem canonum titulis publicis iuxta horum valorem nominalem». — Respondit: «Negative, si valor nominalis sit superior valori reali». In animadversione notatur in contractibus et in solutionibus etiam in materia ecclesiastica, iuxta can. 1529 stari posse iuri civili. At Episcopus non cogitur permittere talem redemptionem canonum. Canon enim 1542, verbo *saltem*, sinit ut plus quaeratur quam vis pecuniae quae canonis respondeat. Plus autem exigere potest quasi tutor ecclesiae personae minoris ex can. 100, § 2. Dispositio can. 1542 applicabilis est etiam redemptioni censuum et aliarum praestationum favore ecclesiarum¹.

2. - S. R. Rota, decisione 22 Iunii 1923, ex lege civili italica in causa impositae taxae creditori census ipsum creditorem obligari ad

5) *A. A. S.*, XIV, 169; *Periodica*, XI, 8; *Ius Pontificium*, 1982, 56. — 6) *A. A. S.*, XXI, 574; *Apollinaris*, III, 241; *Periodica*, XVIII, 256; *Ius Pontificium*, 1929, 196.

Can. 1536. — 1) *A. A. S.*, XII, 252. Cfr. etiam decisionem S. R. Rotae 13 Augusti 1921. in *A. A. S.*, XIV, 239.

Can. 1542. — 1) *A. A. S.*, XV, 513; *Periodica*, XII, 151; *Ius Pontificium*, 1923, 179.

eam solvendam sententiavit, licet census, quando constitutus fuit, liber a qualibet taxa praesenti et futura declaratus fuerit².

3. - S. R. Rota, decisione 21 Iunii 1924, in appellatione a priore sententia 22 Iunii 1923, de qua supra, in eadem causa obligationem solvendi taxam adiudicavit debitori census ex pacto explicito facto in ipsa census impositione, reformata priore sententia. Admissa tamen fuit relate ad praeteritum praescriptio ex iure civili³.

1544 1. - Bona relicta pro Missis celebrandis designari possunt a pio fundatore *taxative* vel *demonstrative*. Cum fundus *demonstrative* legatur, heres tenetur supplere quod necessarium est ad onera Missarum adimplenda. Hoc principium applicavit S. C. Concilii, 21 Maii 1927¹.

2. - In *Instructione* ad Ordinarios Italiae, a S. C. Congregatione Concilii 25 Iunii 1930, capite V, art. 28, agnoscitur foundationis cultus character autonomus cum patrimonio proprio. In Italia Ordinarii, si id expedire iudicaverint, poterunt petere a Statu ut fundationes tales etiam civiliter agnoscantur (Vide can. 1521)².

3. - «Ut fundatio pia, ad mentem can. 1544, habeatur, requiritur quidem ad valorem (quando ipsa onerosa est), quod a persona morali acceptetur, at de substantia Ordinarii loci consensus haud requiritur, quamvis in huius facultate sit acceptationem absque suo consensu perpetrata rescindere, si fundatio potius in detrimentum, quam in utilitatem causae piae cedat. Similiter de rigore iuris non ita requiritur quod bona pro fundatione data annuos redditus producant, ut, iis subductis, de piae fundationis indole dubitandum sit». S. R. Rota, 30 Iulii 1930³.

1551 1. - Concesso alicui dioecesi indulto reducendi omnes missas fundatas, S. C. Concilii propositum est dubium: «Fundationes Missarum a confraternitatibus administratae Ordinariisque subiectae, sed erectae in ecclesiis religiosorum, comprehenduntur in indulto reducendi»? Quae, 10 Decembris 1921, respondit: «Negative»¹.

2. - Si tabulae fundationis expresse concedant, Ordinarius potest reducere etiam onera Missarum. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 1517).

1552 Si iudex partem conventam contumacem declaraverit et deinceps, ea absente, super merito sententiam tulerit, haec irrita est si iudex superior non constare de contumacia edixerit; quia pars

2) *A. A. S.*, XV, 515. Vide infra hoc eodem canone. — 3) *A. A. S.*, XVI, 473.
Can. 1544. — 1) *A. A. S.*, XX, 116; *Periodica*, XVIII, 163. — 2) *A. A. S.*, XXII, 410. — 3) *Decisiones et sententiae*, XXII, p. 486, n. 7. Vide etiam S. R. Rota, 6 Iunii 1930, et 11 Augusti 1930, vol. XXII, 313, 6, et 489, 9.

Can. 1551. — 1) Responsum editum est in *Il Monitore ecclesiastico*, XXXIX, 257 una cum aliis responsis eadem occasione datis eodem sensu.

conventa privata est iure se defendendi quod ad iudicii substantiam pertinet. S. R. Rota, 27 Februarii 1930¹.

1553 1. - Causa iudicata a iudice laicali nequit iterum a iudice ecclesiastico iudicari, nisi in iis quae forte contra ius canonicum iudicata sunt. Decisio S. R. Rotae, 28 Februarii 1919¹.

2. - S. C. Concilii, 11 Decembris 1920, ad dubium: « An approbari vel saltem tolerari possit consuetudo provocandi ad tribunal laicale vel partes ad hoc remittendi in causis de iure sedilium et scamnorum in ecclesiis ». Respondit: « Ad mentem. Mens est: tolerari non posse ut, si partes libere recurrerint ad Ordinarium, remittantur ad tribunal laicale; eo vel magis si agatur de lite intentata adversus Ordinarii praescriptum. Curandum autem ut mos, de quo in casu, removeatur »².

3. - S. R. Rota, decisione 18 Martii 1922, sententiavit rem iudicatam in foro saeculari impedire quo minus eadem causa in merito agitetur iterum in tribunali ecclesiastico primae instantiae (Vide can. 1886)³.

4. - Pius XI, lege n. 11, 7 Iunii 1929, indicatis variis fontibus iuris pro Civitate Vaticana statuit ibidem, circa res de quibus lex specialis desiderabatur, ut ius suppletivum, servandum esse ius Status Italici.

5. - Pius XI, Motu Proprio 21 Septembris 1932, ad melius providendum tribunalibus in Civitate Vaticana constituit Commissionem cum munere redigendi legem processualem ibi servandam⁴.

6. - Pius XII, Motu Proprio 1 Maii 1946, adprobavit legem de ordine iudiciali et de ratione procedendi in causis civilibus in Statu Civitatis Vaticanae servandis⁵.

1555 Etiam in causis a S. Officio actis necesse est ut reo essentielles defensiones dentur, idest: contestatio accusationum reo facienda; facultas accusationes impugnandi reo concedenda; libera rei defensio personalis aut per advocatos; quae omnia etiam in tribunali S. Officii habentur. Pius XII in Allocutione ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales et Administros Tribunalis S. Romanae Rotae... 6 Octobris 1946¹.

1557 1. - S. R. Rota, decisione 30 Ianuarii 1923, se competentem declaravit in causa promota ab aliqua Archiconfraternitate contra Archiepiscopum et parochum ad executionem urgendam in itae conventionis inter ipsam Archiconfraternitatem et Archiepiscopum, non

Can. 1552. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 117 et sqs.

Can. 1553. — 1) *A. A. S.*, XII, 85; *Nouvelle Revue Théologique*, 47 (1920), 628. — 2) *A. A. S.*, XIII, 262; *Periodica*, X, 293. — 3) *A. A. S.*, XIV, 652. — 4) *A. A. S.*, XXIV, 332. — 5) *A. A. S.*, XXXVIII, 170-172.

Can. 1555. — *A. A. S.*, XXXVIII, 391-397.

obstante exceptione ipsius Archiepiscopi affirmantis quaestionem esse de competentia S. C. Concilii, quia ipse egerat fretus rescripto sibi dato a S. C. Concilii. In casu non agebatur de recursu seu appellatione a decretis Ordinarii de quibus in can. 1601. Nec agebatur de confirmatione data a Romano Pontifice de qua in can. 1683¹.

2. - S. R. Rota, in decisione 30 Aprilis 1923, in causa incidentali de competentia ipsius Rotae, se incompetentem declaravit, et causam ad S. C. Concilii remisit. Titius a suo Ordinario suspensus, recursum interposuit ad S. C. Concilii ad obtinendam declarationem nullitatis poenae. Repulso cum monitione recursu, ipse ad S. R. Rotam ad satisfactionem obtinendam recurrit allegans suo favore can. 1557, § 2, et 1559, § 2 et 2210, § 1, n. 2. Proposita est a Ponente quaestio incidentalis per memoriale Turno. Pro intelligentia can. 1557 notatum fuit Episcopum considerari posse ut iudicem in sua dioecesi, vel ut administratorem politiae ecclesiasticae, vel ut subiectum iurium et obligationum seu ut personam privatam. Ut iudex Episcopus subicitur superioribus tribunalibus; quando agit ut administrator habet superiores solummodo Sacras Congregationes, unde non datur in hoc casu appellatio; ut persona privata a Rota iudicatur in contentiosis. Si causa, quae iudiciali et administrativo modo agitari potest, agitari coepta sit via administrativa, eidem viae datur praeventio. Iudicare utrum quaestio administrativo an iudiciali tramite videnda sit, re integra ad Decanum cum duobus auditoribus primis spectat².

3. - C. I., 22 Maii 1923, declaravit non posse institui actionem iudicalem contra Ordinariorum decreta etc. quae regimen dioecesis spectant, etiam si actio intentari velit ad damnorum refectionem (Vide can. 1601).

4. - Pius XI, *Motu Proprio* 20 Februarii 1937, speciali Commissioni 21 Septembris 1932 institutae ad iudicia in Statum Civitatis Vaticanae ordinanda quasdam causas civiles, quae personas aulae pontificiae respiciunt, subiecit³.

1565 « D. - Utrum, ad normam canonis 1565, § 1, pars ratione contractus conveniri possit coram Ordinario loci, in quo contractus initus est vel adimpleri debet, etiamsi e loco discesserit.

R. - Negative, salvo praescripto § 2 citati canonis ». C. I., 14 Iulii 1922¹.

1572 « D. - Utrum in controversia, quae ad normam can. 1572, § 2 dirimenda defertur ad dioecesanum tribunal, Episcopus convenire tantum, an etiam conveniri possit.

Can. 1557. — 1) *A. A. S.*, XV, 296. — 2) *A. A. S.*, XV, 296. *S. R. Rotae decisiones seu sententiae*, XV, 82 et sqs. — 3) *A. A. S.*, XXIX, 49; *Periodica*, XXVI, 225; *Apolinaris*, X, 7.

Can. 1565. — 1) *A. A. S.*, XIV, 529; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 125.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 29 Aprilis 1940¹.

1573 Cum incertum esset utrum Vicarii Apostolici Officialem ad normam can. 1573 nominare possent aut deberent, re ad Romanum Pontificem proposita, ipse, in audientia 7 Aprilis 1927, facultatem nominandi Officialem ad normam canonis 1573 concedere dignatus est. S. C. de Propaganda Fide, 7 Aprilis 1927¹.

1574 1. - S. C. Concilii, 14 Decembris 1918, ad dubia: « I. An consuetudo per 170 annos usitata, qua in tribunalibus dioecesis Wratislaviensis admittuntur iurisperiti laici cum voto deliberativo in causis matrimonialibus et contentiosis, exclusis semper criminalibus, legitima dici et deinceps tolerari possit; II. An in futurum laici homines, in iure et in canonibus periti, in iudiciis ecclesiasticis admitti possint tamquam auditores ad causas instruendas, praeter criminales, vel tamquam assessores cum voto consultivo in iis causis, quae aliquo modo connexae sunt cum legibus civilibus ». Respondit: « Negative ad utrumque »¹.

2. - « D. - An Officialis, cum potestate ordinaria iudicandi et absque ulla causarum reservatione ad normam canonis 1573, § 1 et 2 electus, constituere possit tribunal collegiale, vocando per turnum iudices synodales iuxta canonem 1574 nominatos.

R. - Affirmative, nisi Episcopus aliter in singulis casibus statuatur ». C. I., 28 Iulii 1932².

1581 S. C. Concilii, 14 Decembris 1918, declaravit admitti non posse consuetudinem etiam centenariam qua laici ut iudices aut auditores in tribunalibus ecclesiasticis sedeant (Vide can. 1574).

1587 Defensor vinculi requiritur in causis matrimonii rati et non consummati. S. C. de Sacramentis, 7 Maii 1923, n. 27¹.

1588 Signatura Apostolica, sua decisione 15 Martii 1921, reiecit recursum promotoris iustitiae, quia promotor qui petebat restitutionem in integrum non erat promotor competens, cum esset alterius tribunalis diversi ab eo quod sententiam tulerat; et quia in casu non constabat agi de bono publico¹.

Can. 1572. — 1) *A. A. S.*, XXXII, 212.

Can. 1573. — 1) *Sylloge*, n. 127, p. 277.

Can. 1574. — 1) *A. A. S.*, XI, 128. — 2) *A. A. S.*, XXIV, 314; *Ius Pontificium*, 1932, 325.

Can. 1587. — 1) *A. A. S.*, XV, 389. Item in causis sacrae ordinationis, S. C. De Sacram. 9 Iunii 1931, n. 18, *A. A. S.*, XXIII, 457.

Can. 1588. — 1) *A. A. S.*, XIII, 269; *Periodica*, X, 325.

1594 1. Decreto S. C. Consistorialis, 15 Februarii 1919, permittitur Episcopis Sanctae Sedi immediate subiectis ut sibi eligant pro appellationibus a sententiis sui tribunalis Archiepiscopum viciniorem etiam qui non sit Metropolita. Item instituitur Romae tribunal Vicariatus Urbis tanquam tribunal appellationis pro Episcopis Provinciae Romanae¹.

2. - Pius XI Litteris Apostolicis *Qua cura*, 8 Decembris 1938, loco tribunalium ordinariorum primae et secundae instantiae pro causis matrimonialibus instituit in Italia tribunalia regionalia. Cfr. can. 1964, 5.

3. - S. C. de Sacramentis, 10 Iulii 1940, edidit normas pro exsequendis Litteris Apostolicis *Qua cura*, 8 Decembris 1938, Motu Proprio datis. Cfr. can. 1964.

4. - S. C. de Sacramentis, 20 Decembris 1940, decretum edidit « de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Insularum Philippinarum pro causis nullitatis matrimonii decidendis ».

Item eadem S. Congregatio, 28 Aprilis 1941, normas promulgavit « pro exsequendo decreto diei 20 Decembris 1940 de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Insularum Philippinarum ». Cfr. can. 1964.

5. - Pius XII, Motu Proprio *Apostolico Hispaniarum Nuntio*, 7 Aprilis 1947, apud Nuntium Apostolicum in Hispania restituit tribunal Rotae Hispanicae a Pio XI, 11 Iunii 1932, suppressum pro appellationibus in causis ecclesiasticis a tribunalibus metropolitanis. Eodem Motu Proprio promulgatae sunt etiam normae a S. Rota Nuntiaturae Apostolicae in Hispania servandae, quae constant quinque capitibus, nempe: 1° De constitutione tribunalis; 2° De officio auditorum, officialium et ministrorum tribunalis; 3° De competentia; 4° De procuratoribus et advocatis; 5° De ordine iudicialium².

1596 Si tribunal appellationis causam in prima instantia iudicatam a tribunali collegiali praescriptum can. 1596 neglegat, non ideo sententia tribunalis appellationis vitio insanabilis nullitatis laborat: Canon enim 1596 nullam habet clausulam irritantem. Id tamen valet solum pro casu quo non agatur de causis de quibus in can. 1576, § 1, n. 1. S. R. Rota, 11 Augusti 1930¹.

1598 1. - S. R. Rota, 29 Iunii 1934, promulgavit *normas Sacrae R. Rotae tribunalis* de mandato Pii XI, in quibus plura definiuntur spectantia ad constitutionem Tribunalis et ad officium Auditorum aliorumque Tribunali addictorum, et plures de iudiciis generales Codicis leges indoli atque stylo Rotae aptantur¹.

Can. 1594. — 1) *A. A. S.*, XI, 72. — 2) *A. A. S.*, XXXIX, 155-163.

Can. 1596. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 584 sqs.

Can. 1598. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 194. Normas has videre poteris in meis *Instituti-*

2. - S. Romana Rota, 8 Iunii 1945, decretum edidit de ordinario Studio apud eandem Sacram Romanam Rotam, quod per triennium frequentare tenentur omnes qui ad titulum Procuratoris et Advocati Rotalis assequendum adspirant².

1599 1. - S. R. Rota, 30 Ianuarii 1923, se competentem declaravit in causa promota ab aliqua Archiconfraternitate contra Episcopum et parochum ad executionem inita conventionis obtinendam (Vide can. 1557).

2. - S. R. Rota, 30 Aprilis 1923, se incompetentem declaravit in causa promota a sacerdote suspenso contra Ordinarium suspendentem, ad refectionem damnorum concedendam (Vide can. 1557).

1601 1. - Limitatio competentiae S. R. Rotae videndi de dispositionibus Ordinariorum quae non sunt *sententiae*, non provenit ex indole rei controversae, sed ex parte formae, quatenus ea veste iuridica carent quae essentialis est ut iudicio appellationis submitti queant. S. R. Rota, 17 Iunii 1920¹.

2. - S. R. Rota, 30 Aprilis 1923, se incompetentem declaravit ad acceptandam appellationem, etiam ad refectionem damnorum concedendam, contra decretum suspensionis ab Ordinario latum (Vide can. 1557).

3. - « D. - I. Utrum ad normam canonum 1552-1601 institui possit actio iudicialis contra Ordinariorum decreta, actus, dispositiones, quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectent, ex. gr., provisionem beneficiorum, officiorum, etc., aut recusationem seu denegationem collationis beneficii, officii, et. — Et quatenus negative:

II. Utrum ob eiusmodi decreta, actus, dispositiones, actio iudicialis institui possit, saltem ratione refectionis damnorum; et proinde Ordinarius conveniri possit, ad normam canonis 1557, § 2 et 1559, § 2, penes tribunal Sacrae Romanae Rotae.

R. Negative ad utrumque, et ad mentem. Mens est: exclusive competere Sacris Congregationibus cognitionem tum huiusmodi decretorum, actuum, dispositionum, tum damnorum, quae quis praetendat ex iis sibi illata esse ». C. I., 22 Maii 1923².

4. - Episcopus Seccoviensis (Seckau-Graz) a S. C. Concilii postulavit « ut Curia Archiepiscopalis Salisburgensis ad recursum diiudicandum delegatur (sic!) (in duobus causis de iure patronatus), quia secus documenta permulta in linguam latinam vertenda sunt ». Et S. Congregatio respondit, tribuens « facultatem iuxta preces tantum

nibus, V, ed. 2, pag. 249; *Il Diritto Ecclesiastico*, 45 (1934), 531; *Ius Pontificium*, 1934, 304. — 2) *A. A. S.*, XXXVII, 193-196.

Can. 1601. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XII, 152 sqs. — 2) *A. A. S.*, XV, 251; *Periodica*, XIII, 121; *Ius Pontificium*, 1924, 116.

pro duobus memoratis casibus, quin tamen praeccludatur aditus ad S. Sedem ». Datum Romae, die 4 Iunii 1937³.

5. - Cum Cardinalis Vindobonensis petiisset, nomine omnium Episcoporum Austriae, ut appellatio etiam in tertia instantia, ad difficultates vitandas, fieri posset intra fines Austriae, Pius XI, in audientia concessa Cardinali Praefecto Signaturae Apostolicae, 20 Decembris 1938, « petitam facultatem benigne concessit atque iudicium tertiae instantiae commisit Curiae Metropolitanae Bambergensi, ita quidem ut in singulis actis fiat peculiaris mentio apostolicae delegationis, secus acta ipsa irrita prorsus infectaque forent, utque, si cui placeat, impediri non possit quominus ad Sacram Rotam pro tertia instantia appellet; atque firmo iure recurrendi ad Signaturam Apostolicam post iudicium tertiae instantiae ad normam can. 1603 C. I. C., § 1, nn. 3 et 5. *Praesentibus valituris ad triennium* ». Signatura Ap., 20 Decembris 1938⁴.

1603 Signatura Apostolica, interposito ad ipsam recursu contra sententiam interlocutoriam negantem actrici supplementum inquisitionis, decisis in congressu concedendum esse supplementum petitum. Contra decisionem appellationem movit defensor vinculi in Rota; tunc in plenaria, 25 Novembris 1922, Signatura rescripsit decisionem Congressus confirmandam esse. Notatur in iure vi Chirographi Benedicti XV, 28 Iunii 1915, competentiam Signaturae Apostolicae circa nullitatem sententiarum Rotae non limitari canonibus 1892 et 1994, et recursum admitti etiam si lata sententia sit manifesto vel contra legem vel non satis perpensa sit factorum veritas¹.

1608 Tolerari nequit ut iudex ecclesiasticus ad iudicem laicum remittat partes quae ad tribunal ecclesiasticum recurrerint. S. C. Concilii, 11 Decembris 1920 (Vide can. 1553).

1610 Contra decretum iudicis se incompetentem declarantis datur vera appellatio ad superius tribunal. Si tribunal superius appellatam decisionem confirmaverit habetur res iudicata a qua appellari amplius nequit ad normam can. 1902, 1 et 1880, 4, 6. S. R. Rota, 27 Aprilis 1928¹.

1629 Exceptio rei iudicatae in foro laicali impedit quo minus iterum quaestio in foro ecclesiastico agitetur. S. R. Rota, 18 Martii 1922¹.

3) Responsum invenitur in *Theologische-praktische Quartalschrift*, 90 (1937), 693. — 4) Ex *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 64 (1939), 235, 236.
Can. 1603. — 1) *A. A. S.*, XV, 180; *Periodica*, XII, 57.
Can. 1610. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XX, 137 et sqs.
Can. 1629. — 1) *A. A. S.*, XIV, 652; *Periodica*, XI, 200.

1646 1. - A catholicus partes actoris in iudicio ecclesiastico agere nequit. S. C. S. Officii, 27 Ianuarii 1928 (Vide can. 1971) ¹.

2. - Partibus in iudicio agentibus non licet contra obiectivam veritatem facta artificiosa construere et afferre, nec item factis existentibus irrationalem interpretationem dare eaque confundere aut offuscare. Pius XII in *Allocutione* habita 2 Octobris 1944, ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales et ad ministros tribunalis S. R. Rotae ².

1649 Parochus ius seu personam habet standi in iudicio pro foundationibus factis in favorem parociae, qua earumdem foundationum administrator. Indiget tamen ad agendum licentia Ordinarii. S. R. Rota, 30 Iulii 1930 ¹.

1650 « D. - I. Utrum vi can. 1651 § 1 ad curatorem dandum iis, qui rationis usu destituti vel minus firmas mentis sunt, requiratur iudicium, an sufficiat decretum Ordinarii, praevia eiusdem prudenti inquisitione.

II. Utrum denuntiatio citationis et communicatio sententiae de quibus in can. 1712 et 1877, fieri debeant ipsi rationis usu destituto aut mente infirmo, an eorundem curatori legitime constituto.

R. - Ad I et II: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 25 Ianuarii 1943 ².

1653 Episcopus dioecesanus per se vel per alium stare potest in iudicio nomine confraternitatis, personae moralis intra suam dioecesim erectae, ad normam can. 1653, § 5, in casu negligentiae illius qui agere deberet. S. R. Rota, 5 Maii 1922 ¹.

1658 Signatura Apostolica, 15 Dec. 1923, ad dubium: « An advocati ecclesiastici et laici, approbati ad causas ecclesiasticas defendendas apud Curiam Romanam, non exclusis advocatis consistorialibus, indigeant approbatione Ordinarii loci ut suscipiant in Curia dioecesanis easdem causas ». Respondit: « Affirmative » ¹.

1665 1. - Advocatus, in causis praesertim matrimonialibus, debet utique sui clientis causam defendere, at id facere debet secundum veritatem obiectivam, ad veritatis enim defensionem tendere debet quilibet processus. Ideo in consiliis dandis, in probationibus

Can. 1646. — 1) *A. A. S.*, XX, 75. — 2) *A. A. S.*, XXXVI, 287-288.

Can. 1649. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 489 sqs., n. 15 sqs.

Can. 1650. — 1) *A. A. S.*, XXXV, 58; *II Monitore ecclesiastico*, 1943, 21-23; *Periodico*, XXXII, 294-296. — 2) *A. A. S.*, XXXV, 58.

Can. 1653. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIV, 133 sqs.

Can. 1658. — 1) *A. A. S.*, XVI, 105; *Periodica*, XIII, 96; *Ius Pontificium*, 1924, 9.

afferendis a fraudibus et dolis atque a falsis testibus inducendis atque ab omni arte inhonesta quae sit contra conscientiam et contra obiectivam veritatem abstinere debet. Pius XII in *Allocutione* 2 Octobris 1944 ¹.

2. - Emptio litis ex communi doctorum doctrina est nulla non solum vi legis canonicae vel civilis sed ex ipso iure naturali quia est aliquid intrinsece turpe. S. R. Rota, 16 Iulii 1920 ².

1683 S. R. Rota, in decisione 30 Ianuarii 1923, de can. 1683 sermonem instituens haec affirmat: a) Iudex inferior de quo in hoc canone est quilibet iudex Romano Pontifice inferior, scilicet ipsa Romana Rota et ipsae Sacrae Congregationes. — b) Canon iste ius vetus refert et ad iuris veteris sententiam interpretandus est. — c) Confirmatio de qua in canone est confirmatio in forma specifica et quidem a Romano Pontifice non ab aliquo Sanctae Sedis dicasterio data ¹.

1688 Restitutio in integrum ultra quadriennium a can. 1688 statutum non est admittenda. Signatura Apostolica, 15 Martii 1921 ¹.

1691 Contra promotorem iustitiae, unicum in causa actorem, reconventio non admittitur. S. R. Rota, 18 Ianuarii 1921 ¹.

1712 Si agatur de interdicto actore vel reo denuntiatio facienda est non ipsi sed eius curatori. C. I., 25 Ianuarii 1943 (Vide can. 1650).

1736 Cum instantia litis perimitur aut eidem renuntiatur, si actio non perit, pereunte instantia, potest iterum proponi apud eundem iudicem scilicet apud iudicem eiusdem instantiae. S. R. Rota, 16 Martii 1920 ¹.

1761 « D. - An secundum canonem 1761, § 1 servari possit praxis, vi cuius iudex cum altera parte communicare solet positiones seu articulos argumentorum, super quibus testes sunt examinandi, ut interrogatorium conficiat exhibeatque iudici.

R. - Affirmative, remoto tamen subornationis periculo ». C. I., 12 Martii 1929 ¹.

Can. 1665. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 235-287. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XII, 199, n. 5.

Can. 1683. — 1) *A. A. S.*, XV, 296.

Can. 1688. — 1) *A. A. S.*, XIII, 269.

Can. 1691. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIII, p. 29, n. 10.

Can. 1736. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XII, 63 sqs.

Can. 1761. — 1) *A. A. S.*, XXI, 170; *Apollinaris*, III, 50; *Periodica*, XVIII, 173.

1775 Testes, praesertim in causis matrimonialibus, debent abstinere a factis non existentibus affirmandis, ab iisdem existentibus male interpretandis, sed potius ad veritatem detegendam vera deponere et testari. Pius XII in *Allocutione* habita 2 Octobris 1944¹.

1816 Inscriptiones librorum paroecialium fidem faciunt solum de iis quae directe et principaliter in iisdem affirmantur. Ita agendo de libro matrimoniorum, is fidem facit super ipso actu matrimonii, sed non circa alia quae concernunt officium parochi vel dotem, vel pacta cum quibus matrimonium contractum sit. Quin immo nec circa ea quae ad ipsius matrimonii validitatem tendunt, aliunde iustificanda, puta super statu libero contrahentium aut super non existentia impedimenti, sive circa libertatem consensus aut super ea qualitate quae reddat contrahentes veros domiciliarios, ipsiusque parochi subditos, cum similibus; quoniam ista sunt extra officium parochi quod stricte versatur in adnotando actum matrimonii celebrati. Ita pariter in libro baptismatum, probatur quidem quod illa persona baptizata est et quinam fuerint patrini pro effectibus inde resultantibus ex iure, non autem probatur filiatio aut alia quae actui extranea sunt. S. R. Rota, 14 Martii 1927¹.

1829 S. C. de Sacramentis, 20 Maii 1920, respondit, can. 1829 et 1830, § 1 concedi iure communi facultatem deferendi iusiurandum suppletorium pro accertatione status liberi matrimonia contrahentium¹.

1850 Signatura Apostolica, 15 Martii 1921, recursum Promotoris iustitiae reiecit quia in casu non constabat agi de bono publico (Vide can. 1588).

1874 « D. - Utrum, ad normam canonis 1874, § 5 et canonis 1894, n. 3, nullitatis vitio laboret sententia lata a tribunali collegiali, et subscripta tantum a praeside tribunalis et notario.
R. - Affirmative ». C. I., 14 Iulii 1922¹.

1877 Si agatur de interdicto citatio vel denuntiatio sententiae facienda est non ipsi sed eius curatori. C. I., 25 Ianuarii 1943 (Vide can. 1650).

Can. 1775. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 287-288.

Can. 1816. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIX, 70 et sqs.

Can. 1829. — 1) *Sylloge*, n. 79, p. 138.

Can. 1874. — 1) *A. A. S.*, XIV, 529; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 126.

1880 1. - Sententia interlocutoria quae vim definitivae habet esset e. g. sententia quae ius agendi actori negaret. Ab ista potest appellari et, si iudex appellationis ius agnoscat actoris, eum ad iudicem qui sententiam interlocutoriam dedit remittit. S. R. Rota, 13 Iulii 1918¹.

2. - Regula can. 1880, n. 6 refert ipsam iuris Tridentini expressionem. Quapropter ea regula aestimari debet ex receptis apud probatos auctores interpretationibus (can. 6, n. 2). Nil inde mirum si anno 1922 Tribunal Signaturae Apostolicae admisit recursum partis petentis supplementum instructionis causae. S. R. Rota, 17 Februarii 1930².

3. - Vim definitivae habent sententiae interlocutoriae, eae imprimis quae imponunt finem litis, praeccludentes viam ad ulteriora prosequenda, ita ut sententia definitiva inutilis evadat; vel parantes in negotio principali praeiudicium, ita ut definitiva sit ferenda in praefinito sensu, e. gr. si iudex interloquendo pronuntiat aliquem non potuisse de iure appellare, aliquem non esse minorem qui ergo tacite excluditur a beneficio restitutionis in integrum petito in principali. Sed eae quoque sententiae interlocutoriae vim definitivae habere dicuntur, quae obsunt negotio principali, quia inferunt praeiudicium grave quod a definitiva non possit reparari, nisi magna cum difficultate, aut non ex toto, aut non sine praeiudicio partis. S. R. Rota, 17 Februarii 1930 et 30 Iulii 1934³.

1886 S. R. Rota, 18 Martii 1922, ad dubia: « I. An lapsis fatalibus appellatio facta sit in casu; — et quatenus negative: II. An res iudicata in foro saeculari impediatur quominus causa in merito agitur coram tribunali ecclesiastico primae instantiae... ». Respondit: « Ad I. Negative, seu appellationem non esse factam lapsis fatalibus; Ad II. Affirmative, seu rem iudicatam in foro saeculari impedire quominus causa in merito agitur coram tribunali ecclesiastico primae instantiae... »¹.

1890 « D. - An sub verbis *acta causae*, de quibus in can. 1890, veniant omnia acta iudicialia.
R. - Affirmative ». C. I., 31 Ianuarii 1942¹.

1892sqs. 1. - Signatura Apostolica, 10-21 Maii 1919, reiecit recursum in quo petebatur declaratio nullitatis vel restitutio in integrum contra sententiam aliquam rotalem. In causae autem

Can. 1880. — 1) *Decisiones seu sententiae*, X, p. 92 et sqs. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 83, n. 9. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 81, n. 7 et 497 sqs.

Can. 1886. — 1) *A. A. S.*, XIV, 652.

Can. 1890. — 1) *A. A. S.*, XXXIV, 50; *Periodica*, XXXI, 198.

disceptatione admittitur non omnes causas ob quas irritari potest sententia enumerari in can. 1892-1897¹.

2. - Nullitas sententiae ob illegitime denegatum ius defensionis, manifesto iuris naturalis est, atque, ut pluries vel post datum Codicem Rota sancivit, semper operatur, licet in trita triplici enumeratione iuris positivi can. 1892 non recenseatur, quia non indiget recenseri. Data autem sententiae nullitate, penitus exulat res iudicata, cum nullus locus nec terminus detur appellationis ab ea. S. R. Rota, 27 Februarii 1930².

3. - Inter omnes constat incapaces ad quemquam actum humanum ponendum ideoque etiam ad consentiendum esse *amentes* seu qui in omnibus rebus insaniunt. *Dementes* vero qui solum in una vel altera re insaniunt iure merito in re matrimoniali amentibus aequiparantur, si eorum insania in ipsum matrimonium fertur. Semiamentes qui non omni destituuntur usu rationis non sunt incapaces ad matrimonium contrahendum. Ex unanimi doctrina auctorum constat infirmos mente in lucidis intervallis actus humanos elicere posse et etiam matrimonium inire. Lucida tamen intervalla non praesumuntur in amente. Si tamen constat infirmum saepius habuisse lucida intervalla, invaliditas matrimonii probari nequit, nisi simul demonstretur celebrationem matrimonii nihilominus locum habuisse tempore plenae amentiae. S. R. Rota, 1 Martii 1930. Qua in causa agitur etiam de illo principio quod ad matrimonium contrahendum requiratur et sufficiat illa cognitio et discretio quae ad peccandum mortaliter sufficiens sit, dum alii e contra maiorem discretionem iudicii requirunt circa naturam et essentielles qualitates matrimonii³.

1894 1. - Citatio est de iure naturali quia spectat ad naturalem defensionem, quod ita intelligas quod de iure naturali est ut reus se defendere possit; unde sufficit si de facto coram iudice sistat iuris experiendi causa. S. R. Rota, 28 Ianuarii 1918¹.

2. - Sententia lata a tribunali collegiali, subscripta autem a solo praeside tribunalis et a notario, vitio nullitatis ad normam can. 1894, n. 3 laborat. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 1874).

1903 1. - S. R. Rota, decisione 20 Iunii 1922, in quaestione praedudiciali a promotore iustitiae proposita, an scilicet sententia primi gradus, qua nullitas matrimonii declarata fuit, vim rei iudicatae habeat quoad civiles effectus, in casu sententiavit: Affirmative. In hac autem sententia haec affirmantur: Regula generalis qua statuitur sententiam de vinculo matrimoniali numquam transire in rem

Can. 1892. — 1) *A. A. S.*, XI, 295. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 117-125. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 126 et sqs.

Can. 1894. — 1) *Decisiones seu sententiae*, X, 11 et sqs.

iudicatam, locum non habet ubi vinculum per mortem alterutrius coniugis certo dissolutum est. Sententia tunc solum in rem iudicatam transire nequit, ubi eius observantia in peccatum inducere posset quod consensu partium impediri nequeat. In casu autem pars actrix in prima instantia mortua est et defensor vinculi appellationem deseruit, ideoque ex can. 1902, n. 2 res iudicata habetur¹.

2. - Causa iudicata in tribunali nequit iterum iudicari ab alio tribunali eiusdem gradus, licet agatur de causa quae numquam transit in rem iudicatam. C. I., 16 Iulii 1931 (Vide can. 1989).

3. - « D. - An causae separationis coniugum recensendae sint inter causas numquam transeuntes in rem iudicatam, de quibus in can. 1903 et 1989.

R. - Affirmative ». C. I., 8 Aprilis 1941².

1904 « Statum obiectivum inter partes inductum per rem iudicatam in foro civili admittere debet iudex ecclesiasticus et vicissim... Unde unanimiter docent auctores exceptionem rei iudicatae ex sententia lata per iudicem saecularem opponi posse coram iudice ecclesiastico »; id tamen restringendum est ad casus in quibus animarum periculum aliud non suadeat. S. R. Rota, 22 Februarii 1922¹.

1905 1. - Signatura Apostolica, 27 Iunii 1918, reiecit recursum sacerdotis N. N. pro restitutione in integrum contra sententiam latam in plena Signatura 23 Martii 1912. Petitio nitebatur praetense errore facti, quem adfuisse non fuit probatum¹.

2. - Signatura Apostolica, 31 Maii 1919, sententiam rotalem de nullitate matrimonii latam 27 Iulii 1917 ad Rotam pro novo examine remisit, quia in ipsa sententia depositiones minoris aestimatae sunt quam meruissent et quia ab actrice nova argumenta proposita sunt pro nullitate².

3. - Signatura Apostolica, 6 Martii 1920, concessit partialem restitutionem in integrum contra rem iudicatam in Rota, ob evidenter neglectum legis praescriptum. Lex autem in casu erat peculiare statutum ultimae voluntatis testatricis. Vide etiam causam S. R. Rotae, 16 Augusti 1921³.

4. - Cum agitur de concedenda restitutione in integrum adversus rem iudicatam ob documenta postea detecta, requiritur ut haec peremptorie probent facta nova contrariam decisionem exigentia. S. R. Rota, 19 Maii 1921⁴.

Can. 1903. — 1) *A. A. S.*, XIV, 600; *Il Diritto Ecclesiastico*, 46 (1935), 342 et 47 (1936), 75. — 2) *A. A. S.*, XXXIII, 173; *Periodica*, XXX, 394.

Can. 1904. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIV, p. 45, 46 nn. 4, 5.

Can. 1905. — 1) *A. A. S.*, X, 391. — 2) *A. A. S.*, XI, 295. — 3) *Decisiones seu sententiae*, XIII, p. 236, n. 2; *Apollinaris*, I (1928), p. 455 et 476. — 4) *Decisiones seu sententiae*, XIII, 111 sqs.

5. - Gravis difficultas oritur circa intellectum verborum *neglectum praescripti legis* de quo in hoc canone 1905; an nempe unice respiciant ius, quod *constitutionis* audit, quodque causae meritum concernit, an leges quoque procedurales, in re gravi neglectas, quas passim legislator *praescripta* legum vel canonum appellat. Patribus visum est solido fundamento non niti animadversionem factam ad extraordinarium remedium restitutionis in integrum cohibendum ad unam violationem legum quas constitutionis appellant, procedurae legibus exclusis. Casum typicum exhibet can. 1861, § 2, iudicis nempe qui novas probationes, post conclusionem in causa, admittit, et, quin congruum tempus ad se defendendum alteri litiganti assignet, ad sententiam procedat. Nec aliter iudicandum est de iudice, qui lite non contestata rem sententia definit, vel ultra petita in libello pronuntiat, aut in causa se intromittit absque legitima appellatione et ita porro. S. R. Rota, 5 Iulii 1927⁵.

1938 Actio criminalis uni promotori iustitiae reservatur etiam in causis iniuriarum et diffamationis, in quibus tamen promotor iustitiae procedere nequit generatim sine praevia denuntiatione aut querela partis laesae. Reus autem iniuriarum et diffamationis satisfactionem praestare et damna reparare debet, et praeterea congruis poenis, ad normam can. 2355, et poenitentiis puniri potest. S. R. Rota, 2 Decembris 1922¹.

1960 Circa causas matrimoniales videndae sunt variae Instructiones Sanctae Sedis, nempe:

1. - Decretum S. C. de Sacramentis, 7 Maii 1923, de processibus in causis dispensationis super rato et non consummato, una cum Regulis servandis et formulariis¹.

2. - Normae a S. C. de Sacramentis 27 Martii 1929 datae, ad praevidendam in processibus super rato... dolosam personarum substitutionem².

3. - Instructio S. C. de Sacramentis, 1 Iulii 1932, de tractatione causarum matrimonialium³.

4. - Instructio S. C. pro Ecclesia Orientali, 10 Iulii 1935, de processibus super rato et non consummato⁴.

5. - Instructio S. C. de Sacramentis, 15 Augusti 1936, de normis servandis a tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum⁵.

5) *Decisiones seu sententiae*, XIX, 276-298.

Can. 1938. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIV, 328, et sqs.

Can. 1960. — 1) *A. A. S.*, XV, 389. Decretum et Regulas invenire poteris etiam in meis *Institutionibus*, III, Append. I. — 2) *A. A. S.*, XXI, 490. Has normas invenies etiam in meis *Institutionibus*, III, Append. II. — 3) *A. A. S.*, XXIV, 272. Instructio affertur quoque in meo *Compendio iuris can.*, II, Appendice II. — 4) *A. A. S.*, XXVII, 333. — 5) *A. A. S.*, XXVIII, 313. Haec instructio invenitur etiam in meo *Compendio iuris ca-*

1963 Conceditur quandoque ut facultas aperiendi processum *super rato non consummato* a Delegato Apostolico, non directe a S. Congregatione, petatur. S. C. de Propaganda Fide, 28 Martii 1935¹.

1964 1. - « D. - I. Utrum uxor, a viro malitiose deserta, eum in causa matrimoniali, ad normam canonis 1964, convenire possit coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii; an vero convenire debeat coram Ordinario domicilii vel quasi-domicilii viri.

II. Utrum actrix catholica, a viro non legitime separata, quae proprium ac distinctum quasi-domicilium habet, virum acatholicum in causa matrimoniali, ad normam canonis 1964, convenire possit tantum coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii; an vero etiam coram Ordinario domicilii viri.

R. - Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Cum uxor in casu habeat proprium ac distinctum quasi-domicilium, et sequatur domicilium viri, potest virum convenire coram alterutro Ordinario ». C. I., 14 Iulii 1922¹.

2. - Uxor a viro malitiose deserta nequit, ad normam can. 93, § 2, obtinere proprium et distinctum domicilium, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 93).

3. - S. C. de Sacramentis, 23 Decembris 1929, dedit Instructionem de competentia iudicis in causis matrimonialibus ratione quasi-domicilii. In hac Instructione agnoscitur etiam pro causis matrimonialibus titulus competentiae ex quasi-domicilio, at simul notatur hunc titulum facile aditum praebere posse fraudibus ad subornandos testes et ad sententiam pro nullitate obtinendam. Praecipitur proinde: 1° antequam admittatur causa ex titulo quasi-domicilii advenarum inquiratur, assistente vinculi defensore: — a) An revera titulus quasi-domicilii existat in casu. — b) Cur partes causam proponant coram Ordinario quasi-domicilii. — c) Quomam ex capite matrimonium nullum esse petatur. — d) Quanam probationes ibi a partibus facilius adduci possint. — e) Utrum libellus veritate nitatur. De hoc informationes exposcantur ab Ordinario loci domicilii. Si hic Ordinarius asserat causam proponi in loco quasi-domicilii ad insidias veritati strandas et petat ad se avocare causam, videndum erit utrum ei assentendum sit. — 2° In iudicio ferendo circa praeiudicalem quaestionem huiusmodi partes principales agat vinculi defensor. — 3° Discussionem tamen causae praeiudicialis moderatur Officialis. — 4° Auditus partibus et testibus, Officialis decernet ubi tractanda sit causa nullitatis.

nonici, II, pag. 555; *Il Diritto Ecclesiastico*, 47 (1936), 320; *Rassegna di morale e diritto*, III (1937), 42; *Nouvelle Revue Théologique*, 63 (1936), 1163; *The Ecclesiastical Review*, 98 (1938), 262; *Theologische-praktische Quartalschrift*, 90 (1937), 84; *Ib.*, 91 (1938), 330.

Can. 1963. — 1) *Sylloge*, n. 190, p. 477.

Can. 1964. — 1) *A. A. S.*, XIV, 529; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 127.

Contra decretum a vinculi defensore et a partibus possunt oppositiones fieri coram eodem Officiali. Si Officialis decretum, non obstantibus oppositionibus, confirmet, defensor vinculi deferat quaestionem ad S. C. de Sacramentis. — 5° Si causa agitata fuit de nullitate matrimonii in tribunali quasi-domicilii, sine rescripto S. Congregationis, defensor vinculi tribunalis appellationis etiam de causa incidentalii praeiudiciali videbit; idem facere poterit defensor in tertia instantia, si ad hanc causa pervenerit ².

4. - Signatura Apostolica, 7 Novembris 1932, contra fere communem Doctorum sententiam negavit, gravibus adductis rationibus, domicilium legale esse attendendum in causis matrimonialibus. Agebatur de convenienda uxore malitiose derelicta apud tribunal domicilii viri. Uxor autem longissime habitabat a loco domicilii viri ³.

5. - Pius XI, Motu proprio 8 Decembris 1938, quaedam decrevit de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis. — 1° Loco tribunalium dioecesanorum constituuntur tribunalia regionalia, nempe: *Mediolanense* pro omnibus causis regionis longobardicae; *Taurinense* pro regione pedemontana; *Genuense* pro Liguria; *Mutinense* pro Aemilia; *Venetiarum* pro regione Veneta; *Bononiense* pro regione Romandiola; *Florentinum* pro Etruria; *Perusinum* pro Umbria; *Firmanum* pro regione Picena; *Vicariatus Urbis* pro Latio; *Teatinum* pro regione Aprutina; *Beneventanum* pro regione Beneventana; *Salernitanum* pro regionibus Salernitana et Lucana; *Neapolitanum* pro Campania; *Barense* pro Apulia; *Rhegiense* pro Calabria; *Panormitanum* pro Sicilia; *Calaritanum* pro Sardinia. Determinantur deinde Tribunalia appellationis, nempe: *Taurinense* pro causis Genuensibus; *Mediolanense* pro Taurinensibus et Venetiis; *Genuense* pro Mediolanensibus; *Venetiarum* pro Bononiensibus; *Bononiense* pro Florentinis et Mutinensibus; *Florentinum* pro Perusinis et Firmanis; *Vicariatus Urbis* pro Neapolitanis et Calaritanis; *Neapolitanum* pro Panormitanis, Rhegiensibus, Salernitanis et Beneventanis; *Beneventanum* pro Barenensibus et Teatinis. Iudices et officiales horum tribunalium designare debent Ordinarii in coetibus regionalibus. Promittitur *Instructio* S. C. de Sacramentis ad haec ad praxim deducenda ⁴.

6. - C. L., 4 Iulii 1940, varias quaestiones resolvit circa competentiam S. Congregationis de Sacramentis in causis matrimonialibus coram tribunalibus ordinariis agitatis. Responsa autem promulgavit sub datatione 8 Iulii 1940 (Vide can. 249, 2).

7. - S. C. de Sacramentis, 10 Iulii 1940, promulgavit *Normas* pro

2) *A. A. S.*, XXII, 168. *Instructionem* invenire poteris etiam in meo *Compendio*, II, Appendice II, p. 597; *Periodica*, XIX, 251. — 3) Cfr. *Apollinaris*, VI, 102, ubi decisio integre refertur. — 4) *A. A. S.*, XXX, 410; *Il Monitore ecclesiastico*, L, 344; *Il Diritto Ecclesiastico*, 39 (1938), 499; *Nouvelle Revue Théologique*, 71 (1939); *Apollinaris*, XII, 19. Initio mensis Martii a. 1940 *Instructio* exsecutoria adhuc desideratur.

exsequendis Litteris Apostolicis *Qua cura*, 8 Decembris 1938 Motu Proprio datis. Huiusmodi normae quatuor constant capitibus, nempe I. De tribunalibus regionalibus moderatore, iudicibus et ministris (art. 1-9); II. De modo procedendi in tractatione causarum matrimonialium (art. 10-16); III. De honorariis iudicibus et tribunalium ministris assignandis (art. 17-19); IV. De taxis et expensis iudicialibus necnon de retributione procuratorum et advocatorum (art. 20-21). Adduntur in fine aliquae normae temporariae seu transitoriae ⁵.

8. - S. C. de Sacramentis, 20 Decembris 1940, Decretum edidit de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Insularum Philippinarum pro causis nullitatis matrimonii decidendis ⁶.

9. - S. C. de Sacramentis, 8 Aprilis 1941, edidit normas pro exsequendo decreto 20 Decembris 1940, de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis causarum matrimonialium Insularum Philippinarum. Normae constant quatuor capitibus et normis transitoriis, prout dictum est supra hoc can. n. 7 ⁷.

10. - Pius XII, Motu Proprio *Apostolico Hispaniarum Nuntio*, 7 Aprilis 1947, tribunal Rotae Hispanicae, anno 1932 suppressum, restituit (Vide can. 1594, n. 5).

11. - S. C. de Sacramentis, decreto 28 Ianuarii 1946, ordinavit tribunalia ecclesiastica pro causis matrimonialibus in regione Canadensi prout iam factum vidimus pro Italia et pro Insulis Philippinis ⁸.

1965 Iudex, in causis praesertim matrimonialibus, obligationem moralem iuridicam ex iure divino nascentem habet inquirendi et definiendi iuxta veritatem obiectivam utrum vinculum matrimoniale, externe apparens, revera existat, aut utrum existant conditiones necessariae ad dispensationem a vinculo obtinendam, atque, veritate comperta, iuxta eam sententiam ferendi. Pius XII in *Allocutione* 2 Octobris 1944 ¹.

1966 Ad causas matrimoniales tractandas in locis missionum, ubi defectus occurrere potest personarum ad tribunal constituendum necessarium, dantur speciales quaedam normae a S. C. de Propaganda Fide, 5 Maii 1933, in Litteris datis ad Delegatum Apostolicum pro Missionibus in Africa ¹.

1968 S. C. de Sacramentis, 5 Ianuarii 1937, Litteris ad Ordinarios locorum missis, admonet defensores vinculi de ipsorum obligatione in causis de rato et non consummato faciendi animadversiones non pro consummatione sed pro vinculi defensione. Ius faciendi votum

5) *A. A. S.*, XXXII, 304-308. — 6) *A. A. S.*, XXXIII, 363-364. — 7) *A. A. S.*, XXXIII, 364-368. — 8) *A. A. S.*, XXXVIII, 281.

Can. 1965. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 281.

Can. 1966. — 1) *Sylloge*, n. 178, p. 452.

19 — A. CORONATA *Interpretatio authentica.*

pro rei veritate, non ad defensorem vinculi sed ad Episcopum spectat¹.

1971 1. - S. C. S. Officii, 27 Ianuarii 1928, declaravit acatholicos quoslibet in causis matrimonialibus actoris partes agere non posse vi can. 87 (Vide can. 87)¹.

2. - Impedimenta natura sua publica dicuntur illa omnia quae non sunt constituta *principaliter* ad privatam utilitatem. Ad privatam autem utilitatem principaliter constituta sunt impedimenta conditionis servilis, vis et metus, impotentiae occultae. Reliqua omnia impedimenta sunt publica quia statuta ad bonum publicum. Ita S. R. Rota, 11 Augusti 1928².

3. - « D. - Utrum vox *impedimenti* canonis 1971, § 1, n. 1 intelligenda sit tantum de impedimentis proprie dictis (can. 1067-1080), an etiam de impedimentis improprie dictis matrimonium dirimentibus (can. 1081-1103).

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 12 Martii 1929³.

4. - Responsum Com. Interpretis 12 Martii 1929, quo declaratur vocem *impedimenti* in can. 1971, § 1, n. 1 comprehendere etiam impedimenta improprie dicta seu ex defectu consensus promanantia, est extensivum sin minus explicativum (can. 17, § 2), non autem mere declarativum; ideoque vim retroactivam non habet. S. R. Rota, 19 Decembris 1930⁴.

5. - « D. - An coniuges qui, iuxta canonem 1971, § 1, n. 1 et interpretationem diei 12 Martii 1929, habiles non sunt ad accusandum matrimonium, vi eiusdem canonis § 2 ius saltem habeant nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi.

R. - Affirmative ». C. I., 17 Februarii 1930⁵.

6. - « D. - I. An, ad normam canonis 1971, § 1, habilis sit ad accusandum matrimonium coniux, qui metum aut coactionem passus sit.

II. An, ad normam eiusdem canonis 1971, § 1, n. 1, habilis sit ad accusandum matrimonium etiam coniux, qui fuerit causa culpabilis sive impedimenti sive nullitatis matrimonii.

III. An causa impedimenti honesta et licita a coniuge apposta

Can. 1968. — 1) *Periodica*, XXVI, 343.

Can. 1971. — 1) Cfr. Park, in *The Ecclesiastical Review*, 1932, p. 68, ubi cl. A. censet hanc declarationem haud applicari posse can. 1990-92 contra assertum eiusdem ephemeridis a. 1931, p. 308. Cfr. infra hoc can. n. 9. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XX, 402 et²sq. Admittitur sententia Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, V, p. 169, nota 12; relecta doctrina De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 4, n. 465. — 3) *A. A. S.*, XXI, 171, *Nouvelle Revue Théologique*, 56 (1929), 685; *Periodica*, XVIII, 173. — 4) *Decisiones et sententiae*, XXII, 670, n. 2. — 5) *A. A. S.*, XXII, 196; *Apollinaris*, III, 248; *Rassegna di morale e Diritto*, I (1935), 237; *Periodica*, XIX, 269.

obstet quominus coniux ipse habilis sit ad accusandum matrimonium, ad normam canonis 1971, § 1, n. 1.

IV. An, vi canonis 1971, § 2, promotor iustitiae vi muneris sui agat in iudicio.

R. - Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative ». C. I., 17 Iulii 1933⁶.

7. - Quaerenti, die 18 Maii 1936, Ex.mo Archiepiscopo Salisburgensi, utrum etiam *apostatae*... recensendi sint, in ordine ad accusandum in causis matrimonialibus, inter *acatholicos*. S. C. S. Officii, die 27 Februarii 1937 (n. 294-1936) rescripsit: Affirmative, seu apostatas a fide, ad effectus declarationis S. Officii diei 18 Ianuarii 1928, recensendos esse inter acatholicos⁷.

8. - Litteris S. C. de Sacramentis, 18 Ianuarii 1938 ad Card. Archiepiscopum Mediolanensem datis, resoluta sunt varia dubia circa *Instructionem* eiusdem S. Congregationis diei 15 Augusti 1936. Huiusmodi dubia sunt sequentia:

« D. - I. Circa articulum 35 *Instructionis* 15 Augusti 1936: Utrum habilis ad accusandum matrimonium sit pars quae causa fuit nullitatis aut impedimenti, quando accusatio ex duplici capite fit, e. g. ex capite vis et metus, et ex capite conditionis appositae, et actor causa fuit impedimenti seu nullitatis solum ex altero capite; et utrum hoc in casu processus de utroque capite nullitatis agere debeat.

R. - Negative.

D. - II. Si negative ad primum: utrum sententia agnoscens nullitatem matrimonii ex eodem duplici capite valida sit, an retinenda sit nulla ad normam can. 1892, n. 2.

R. - Sententia est valida ex capite vis et metus, nulla ex altero capite.

D. - III. Utrum nulla sit an valida sententia admittens nullitatem matrimonii ob impedimentum cuius causa culpabilis non fuit actor, negans autem constare de nullitate ob impedimentum cuius actor causa culpabilis fuit, si in causa promotor iustitiae non intervenit.

R. - Ut supra.

D. - IV. Circa articulum 37, §§ 1-2, *Instruct.* citatae: Utrum appositio conditionis de se honestae et licitae in matrimonio, e. g. si es *virgo*, si arbitrarie, i. e., inconsulto Ordinario, facta sit, inhabilem reddat ad accusandum matrimonium partem quae illam conditionem appositum vel acceptavit, quippe quae causa culpabilis nullitatis fuit.

R. - Conditio virginitatis turpis fit, si pars se certiorare intendat

6) *A. A. S.*, XXV, 345; *Ius Pontificium*, 1933, 187; *Apollinaris*, 1933, 442. — 7) v. *Theologische-praktische Quartalschrift*, 90 (1937), 327.

de verificatione conditionis mediante copula; itemque turpis fit quae libet alia conditio de se licita (e. g. conditio de divitiis compartis, de eiusdem familia etc.), si pars matrimonio uti intendat, antequam se certioraverit de existentia conditionis appositae.

D. - V. Circa articulum 141, § 4: Utrum, postquam promotor iustitiae ab accusatione nullitatis, utpote quae facta fuit sine fundamento, recesserit, causa ipsa decidat, an partes, etsi utraque aliunde inhabilis est ad accusandum matrimonium, ius habeant accusationem a promotore derelictam usque ad definitivam sententiam prosequendi.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

D. - VI. Circa art. 46: Utrum, si causa prosequenda sit, advocato, qui ab officio cessavit ob recessionem promotoris iustitiae ab accusatione, alius advocatus ex officio substituendus sit.

R. - Provisum in praecedenti.

D. - VII. Circa art. 41, § 4: Utrum promotor iustitiae possit vel debeat, etiam in gradu appellationis, accusationem revocare, quando in tribunali primi gradus declarata fuit nullitas matrimonii, si in altera instantia causam fundamento destitui appareat.

R. - Affirmative, dummodo res in aperto sit. Casus verificari potest frequentius in quo promotor iustitiae actionem revocare debeat, quia, habitis informationibus ab Ordinario coniugum, eidem constat non existere seu deficere conditiones *notorietatis*, *scandali* aut *resipiscentiae* quae litis prosecutionem exigent ad bonum publicum (accusatio enim ex parte promotoris iustitiae ad bonum societatis christianae aut dignitatis Sacramenti, non vero ad bonum privatum partium, dirigitur).

D. - VIII. Circa art. 62: Utrum ad libellum accusationis matrimonii reiiciendum requiratur semper decretum tribunalis collegialis, an sufficiat decretum Officialis in casibus in quibus accusatio quolibet iuridico fundamento destituatur, et evidens sit inhabilitas actoris ad matrimonium accusandum, aut Tribunal incompetens sit.

R. - Haec S. Congregatio tenet, Officiale, decreto motivato, posse libellum reiicere, si *evidenter* constet, aut accusationem quolibet destitui fundamento iuridico, aut actorem ad matrimonium accusandum inhabilem esse, aut tribunal esse incompetens. A tali autem Officialis decreto recursus datur, at *exclusive* ad Collegium iudicum, quod ad iuris tramitem procedet. Officialis autem, quotiens ipse unus libellum suo decreto reiicit, expresse in eodem decreto mentionem facere debet de iure actoris recurrenti ad Collegium. Si Collegium recursum ad se interpositum reiecerit, seu decretum Officialis confirmaverit, ius actori datur recurrenti seu appellandi ad tribunal superius ad normam can. 1709, § 3. 30 Maii 1938, S. C. de Sacramentis ⁸.

⁸) Dubia relata legere italica lingua poteris in *Il Monitore ecclesiastico*, LXIII (1938), p. 216-217, vel in *Rivista diocesana milanese*, 1938, p. 396. Vide etiam can. 1092 et Responsum C. I. 24 Iulii 1939 hoc ipso can. 1971.

9. - S. C. S. Officii, 15 Martii 1939, propositis dubiis: « I. Utrum decisio Supremae S. C. S. Officii data die 18 Ianuarii 1928, ad I, quae nempe declaratum fuit acatholicos in causis matrimonialibus actoris partes agere non posse, spectet tantum Tribunal S. R. Rotae, an etiam Tribunalia dioecesana. — II. Utrum promotor iustitiae, vi can. 1971, nulla praehabita facultate a S. Officio, matrimonium accusare possit si nullitas matrimonii fuerit denunciata a coniuge acatholico. — Respondit: « Ad I. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad alteram, seu: spectare etiam ad tribunalia dioecesana. — Ad II. *Negative*, nisi publicum bonum, Ordinarii iudicio, id postulet ». Responsum approbavit Romanus Pontifex 18 Martii 1939 et promulgatum est 22 Martii 1939 ⁹.

10. - « D. - An S. C. de Sacramentis competat ius interveniendi in casu.

R. - *Negative* ». C. I., 24 Iulii 1939. Responsum approbavit Summus Pontifex 27 Iulii 1939.

Agebatur *in casu* de hoc: In dioecesi Versaliensi Promotor iustitiae accusaverat matrimonium aliquod. S. C. de Sacramentis intervenit in casu litteris ad Episcopum Versaliensem datis in quibus inter alia haec dicebat: « Videtur non bene perspicui in quo adsit bonum publicum, nempe scandali remotio, ob quam unice Promotor iustitiae tales causas ex officio movere potest... E contra non perspicitur quomodo vitari possit periculum scandali orituri si domina Caia tandem aliquando libertatem reacquirat, praecise quia matrimonium celebravit cum exclusione libertatis ». His litteris examinatis Officialis Versaliensis declaravit se obligari ad cessandum a continuatione processus iam instructi. Tunc Caia ad S. Romanam Rotam recurrit. Casus relatus est Romano Pontifici Pio XII, qui quaestionem remisit Commissioni Pontificiae ad canones Codicis iuris canonici interpretandos deputatae. Commissio responsum ut supra dedit ¹⁰.

11. - S. C. S. Officii, 10 Ianuarii 1940, proposito dubio: « An inter acatholicos, qui, iuxta decretum S. Officii diei 8 Ianuarii 1928, in causis matrimonialibus agere prohibentur, connumerandi sint etiam apostatae a fide »; respondit: « *Affirmative* » ¹¹.

12. - C. I., 8 Iulii 1940, quaedam resolvit dubia circa competentiam S. Congregationis de Sacramentis et circa ius eiusdem Congregationis interveniendi in causis matrimonialibus. (Cfr. dubia et responsa sub can. 249, 2).

13. - « D. - Utrum secundum can. 1971, § 1, n. 1, et responsum diei 17 Iulii 1933 ad II, inhabilis ad accusandum matrimonium habendus sit tantum coniux, qui sive impedimenti sive nullitatis matri-

⁹) *A. A. S.*, XXXI, 131. — ¹⁰) Vide quaestionem in *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 64 (1939), p. 310. — ¹¹) Cfr. *Osservatore Romano*, 1940, n. 31 (8 Februarii 1940); *A. A. S.*, XXXII, 52; cfr. can. 87.

monii causa fuit et directa et dolosa, an etiam coniux qui impedimenti vel nullitatis matrimonii causa exstitit vel indirecta vel doli expers.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 27 Iulii 1942 ¹².

14. - « D. - An coniuges inhabiles ad accusandum matrimonium qui, iuxta can. 1971, § 2 et interpretationem diei 17 Februarii 1930, ius exercere velint denuntiandi nullitatem matrimonii, teneantur adire Ordinarium vel promotorem iustitiae tribunalis competentis ad videndum de causa nullitatis sui matrimonii ad normam can. 1964, an possint etiam adire alium Ordinarium vel alium promotorem iustitiae.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 6 Decembris 1943 ¹³.

15. - Promotoris iustitiae in causis matrimonialibus est matrimonium accusare, si id bonum publicum requirat. At eius munus, sicut munus defensoris vinculi, ad hoc tendere debet, ut iudicium secundum obiectivam veritatem iudex proferre possit, bene pensatis cum iis quae a vinculi defensore tum iis quae a promotore iustitiae dicta sunt. Pius XII in *Allocutione* 2 Octobris 1944 ¹⁴.

16. - « D. - An coniugi, inhabili ad accusandum matrimonium ad normam can. 1971, § 1, n. 1, competat ius appellandi vel recurrendi adversus sententiam in favorem matrimonii latam.

R. - Negative, salvo extraiudicialibus recursibus ». C. I., 3 Maii 1945 ¹⁵.

17. - « D. - An inhabilitas coniugis ad accusandum matrimonium, a can. 1971, § 1, n. 1 statuta, secum ferat incapacitatem standi in iudicio, ita ut sententia vitio insanabilis nullitatis laboret iuxta can. 1892.

R. - Negative ». C. I., 4 Ianuarii 1946 ¹⁶.

1976 S. Congregatio S. Officii, 12 Iunii 1942, decretum edidit de quibusdam cautelis adhibendis in causis matrimonialibus impotentiae et inconsummationis. In ipso decernitur inspectionem corporalem coniugum, iuxta regulas editas a S. Congregatione de Sacramentis, 7 Maii 1923 (art. 86), omittendam esse, si consummatio matrimonii haberi non potuit quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt eam faciendi; si, attenta partium et testium morali excellentia, ac serio pensatis eorum animi dispositionibus necnon ceteris adminiculis aut argumentis, Ordinarii iudicio, plenissima iam habeatur probatio de impotentia aut inconsummatione; si certo constet de mulieris defloratione; itemque omittatur inspectio mulieris si certo constet de impotentia viri. Circa modum faciendi inspectionem mulieris commendatur observantia can. 1979, § 2 et 3. Si mulier in-

¹²⁾ *A. A. S.*, XXXIV, 241; *Periodica*, XXXII, 114-117. — ¹³⁾ *A. A. S.*, XXXVI, 91. — ¹⁴⁾ *A. A. S.*, XXXVI, 285. — ¹⁵⁾ *A. A. S.*, XXXVII, 149. — ¹⁶⁾ *A. A. S.*, XXXVIII, 162.

spectionem ipsam omnino recuset abstinendum ab ea urgenda erit. Excussio mulieris quae pars sit in causa fiat quidem coram tribunali sed a medico religione, moribus et aetate gravi ¹.

1977 Periti, in causis praesertim matrimonialibus ea scrutari debent quae ad obiectivam veritatem detegendam conferre possunt; debent proinde abstinere a factis non existentibus artificiose construendis, aut ab iisdem existentibus male interpretandis. Pius XII in *Allocutione* 2 Octobris 1944.

1985 D. - « Utrum praescriptum n. 98, § 1 et 2 Regularum servandarum, die 7 Maii 1923 editarum, ita intelligendum sit, ut Episcopo vel eius ac in re vices gerenti, liceat in confectione proprii voti cognitionem sumere, praeterquam omnium causae actorum, etiam animadversionum sacri vinculi defensoris; an potius idem Episcopus teneatur suum promovere votum, nulla praehabita cognitione circa memoratas animadversiones a vinculi defensore exaratas ». Ad quod dubium S. C. de Sacramentis, 31 Iulii 1941, respondit: ad primam partem affirmative; ad secundam partem negative ¹.

1986 Defensoris vinculi est vinculum defendere matrimoniale; at non modo absoluto, sed subordinate ad finem processus, qui est veritatem inquirere et definire. Quamvis igitur ipsius sit vinculum defendere, nequit tamen ab eo exigi ut vinculi ipsius defensionem artificiosam conficiat etiam in casu quo de nullitate clare constet; id enim sanae rationi repugnaret. Proinde ei omnino agnoscendum est, si casus ferat, ius declarandi se, praemissa diligenti accurata et conscientiosa investigatione actorum, non invenire ullam rationalem objectionem, contra actoris petitionem, et proinde matrimonium nullum esse. Pius XII in *Allocutione* 2 Octobris 1944 ¹.

1987 1. - In foro externo metus reverentialis non habetur gravis nisi fuerit qualificatus, seu nisi accesserint iurgia vel obiurgationes aut verbera et etiam minae, licet non graves, aut saltem preces importunae et repetitae, quae cum reverentia coniunctae superioribus debita revera et ipsae opprimunt et vexant. S. R. Rota, 14 Ianuarii 1930 ¹, 4 Aprilis 1930 ², 30 Aprilis 1930 ³.

2. - « D. - An, provocante Defensore vinculi, vi can. 1987, contra secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, ad tertiam instantiam, Defensor vinculi ulterioris istius instantiae, etsi

Can. 1976. — 1) *A. A. S.*, XXXIV, 200-202.

Can. 1977. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 287-288.

Can. 1985. — 1) Responsum non fuit promulgatum in *A. A. S.*, et datum est Archiepiscopo Tridentino. Cfr. *Il Monitore Ecclesiastico*, 1942, 5.

Can. 1986. — 1) *A. A. S.*, XXXVI, 283-285.

Can. 1987. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 45 sqs. — 2) *Decisiones seu sententiae*, XXII, 202 sqs. — 3) *Decisiones seu sent.*, XXII, 243 sqs.

agatur de tribunali apostolico, interpositam appellationem, pro sua conscientia, deserere possit, ita ut tribunal, in casu, nequeat Defensori vinculi appellationem deserenti eiusdem prosecutionem imponere. — R. Affirmative ». C. I., 29 Maii 1947 ⁴.

1989 1. - Causae matrimoniales numquam transeunt in rem iudicatam. Id non extenditur ad casus in quibus altera pars seu coniux mortuus est. S. R. Rota, 20 Iunii 1922 ¹.

2. - « D. - An vi canonis 1989 eadem causa matrimonialis, ab uno tribunali iudicata, ab alio tribunali eiusdem gradus iterum iudicari possit.

R. - Negative ». C. I., 16 Iunii 1931 ².

3. - Causae separationis coniugum non transeunt in rem iudicatam. C. I., 8 Aprilis 1941. Cfr. can. 1903, n. 3.

1990 1. - « D. - Utrum Ordinarius, praetermissis iuris sollemnitatibus in Constitutione apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium possit declarare nullum cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia, hiisce in casibus, nempe:

1° si duo catholici, in loco certe antehac obnoxio capiti *Tametsi* Concilii Tridentini, vel post decretum *Ne temere*, matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium, vel novum matrimonium, civiliter initum, in foro Ecclesiae convalidare;

2° aut catholica pars, quae cum acatholica, spretis Ecclesiae legibus, in templo sectae protestanticae (in loco certe antehac obnoxio capiti *Tametsi* Concilii Tridentini, et ubi Benedictina declaratio extensa non est, vel post decretum *Ne temere*) matrimonium contraxit, obtento civili divortio, in facie Ecclesiae novum matrimonium cum catholico consorte inire vult;

3° aut apostatae a fide catholica, qui in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, obtento civili divortio, poenitentes ad Ecclesiam redire et cum parte catholica alteras nuptias in Ecclesia celebrare desiderant.

R. - Casus supra memorati nullum iudicalem processum requirunt aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a parcho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in canone 1019 et seqq. ». C. I., 16 Octobris 1919 ¹.

2. - « Sequentes quaestiones Commissioni propositae sunt:

I. - 1) Quum can. 1990 Ordinario potestatem faciat declarandi

4) *A. A. S.*, XXXIX, 373.

Can. 1989. — 1) *A. A. S.*, XIV, 600. — 2) *A. A. S.*, XXIII, 353; *Ius Pontificium*, 1931, 254; *Periodica*, XXI, 38.

Can. 1990. — 1) *A. A. S.*, XI, 479; *Periodica*, X, 99; *Ius Pontificium*, 1923, 73.

de plano nullitatem in his casibus, an Officialis servet facultatem diiudicandi, servato iuris ordine, huiusmodi casus qui illi delati fuerint.

Et quatenus affirmative:

2) An, lata ab Officiali sententia nullitatis, teneatur Defensor vinculi ad interponendam appellationem ex officio, etsi pateat nullitatem matrimonii esse evidentem.

3) An saltem, introducta causa coram Tribunali, possit aut etiam debeat Officialis, statim ac adverterit nullitatem esse evidentem, acta causae, in quocumque statu inveniantur, tradere Ordinario qui evidentem nullitatem declaret absque solemnitatibus.

Et quatenus affirmative:

4) An Defensor vinculi, eo quod causa iudicialiter incepta fuerit, possit aut debeat huiusmodi traditioni se opponere, et deinde, lata ab Ordinario sententia, appellationem ex officio necessario interponere.

5) An verba quibus utitur can. 1990 — *ex certo et authentico documento* — intelligenda sint stricto sensu et excludant omnem testimoniam probacionem, ita ut semel auditis testibus sententia ab Ordinario ferri iam non possit.

II. - 1) Quum can. 1990 de clandestinitate taceat, et tamen afferantur adhuc nonnullae causae nullitatis ob defectum formae Tridentinae (quoad coniugia ante decretum *Ne temere*) an adhuc vigeat hac de re disciplina Codici anterior, iuxta Decretum S. O. 5 Iunii 1889, ita ut nullitatem evidentem ex capite clandestinitatis declarare possit Officialis, nec tamen Defensor vinculi appellare debeat ex officio.

2) An saltem, uti in praecedentibus quaestionibus, Officialis possit aut etiam debeat, quum nullitas matrimonii — ex certo documento — aut in huius defectu — ex certis argumentis — iuxta decreti verba evidens evadit, acta causae Ordinario tradere ad nullitatem declarandam, quin Defensor vinculi appellationem interponere teneatur ».

C. I., 13 Decembris 1923 ita respondit:

« Cum dubia circa causas matrimoniales quae proposuisti ad hanc Commissionem, quadam aequivocatione laborant, visum est ea posse reformari, prout sequitur:

1) Utrum in casibus de quibus in can. 1990, necesse sit ut loci Ordinarius per se evidentem matrimonii nullitatem declaret an id possit ipsemet Officialis.

2) Utrum in iisdem casibus Ordinarius possit procedere ad ordinarium tramitem iuris.

3) Cum can. 1990 de clandestinitate taceat et tamen afferantur adhuc nonnullae causae nullitatis ob defectum formae Tridentinae (quoad coniugia ante decretum *Ne temere*) utrum vigere pergat de hac re disciplina Codici anterior iuxta decretum S. Officii, 5 Iunii 1889, ita

ut nullitatem evidentem ex capite clandestinitatis declarare possit Officialis nec tamen Defensor vinculi appellare debeat ex officio.

4) An per iudicem secundae instantiae, de quo can. 1991, intelligi debeat Ordinarius dioeceseos ad appellationem designatae aut Officialis, aut Tribunal collegiale huius dioeceseos.

Porro hisce dubiis, infrascriptus E. mus Commissionis Praeses respondit:

Ad I. Negative ad partem primam; affirmative ad secundam, salvo praescripto can. 1573, § 2.

Ad 2. Negative et servantur can. 1990-1991.

Ad 3. Faveat orator significare utrum in Curia Parisien. pendeant causae nullitatis matrimonii ob defectum formae Tridentinae, quoad coniugia contracta ante decretum *Ne temere*, an dubium sit tantum doctrinale.

Ad 4. Est Metropolita vel loci Ordinarius ad appellationem designatus ad normam can. 1594, § 1 et 2, firma hoc quoque in casu responsione ad 1.

Responsio ad II quaestionem data est ab eodem Praeside (5 Maii 1924) his verbis: « Acceptis tuis informationibus die 29 elapsi Februarii, modo ad propositum a te dubium: — An vi can. 1990 Codicis iuris canonici possit Ordinarius declarare via administrativa et summaria evidentem ex capite clandestinitatis nullitatem matrimoniorum quae ante Decretum *Ne temere* celebrata fuerunt — respondere censeo: Negative, nisi agatur de illis matrimoniis clandestinis quibus etiam figura, ut aiunt, matrimonii deficiat et de quibus in responsis huius Pontificiae Commissionis sub die 16 Octobris 1919 n. 17, *Acta Apostolicae Sedis*, XI, 479. — Ceterum quemadmodum ex citatis tuis litteris deprehenditur, hoc genus causae matrimonialis in dies fiunt rariores »².

3. - « An responsio S. C. S. Officii, die 27 Ianuarii 1928 data prohibens ne acatholicus in causis matrimonialibus actoris partes agere possit, comprehendat causas quae secus secundum can. 1990 tractentur. A S. Officio responsum est die 14 Aprilis 1931. Litteris die 14 Februarii elapsi anni ad S. Off. datis, exponebat Excellentia Tua Rev. ma casus quosdam apud istam Rev. mam Curiam Episcopalem examinandos occurrere, in quibus, ad matrimonia mixta convalidanda, de valore matrimonii a parte acatholica prius initi iudicium ferri oportet.

Suprema haec S. Congregatio, re diligenter considerata, respondendum mandavit, praefatos casus ab ipso Rev. mo Ordinario ad normam can. 1990-1992 pertractari posse, dummodo horum Canonum praescripta integre et praecise in causis definiendis servantur, sive quoad certitudinem impedimenti et omissae dispensationis, sive quoad mo-

²) Cfr. apud Fumagalli Primum, *De Casibus exceptis in causis matrimonialibus*, 1941, Milano, p. 33-35.

dum procedendi. Si res dubia manserit, ad S. Officium erit deferenda »³.

4. - Episcopo Harrisburgensi interpellanti S. C. S. Officii, 20 Aprilis 1931, ita respondebat: « Litteris die 19 Septembris elapsi anni ad S. Officium datis, Excellentia Tua Reverendissima notum faciebat acatholicam N. declarationem petiisse invaliditatis matrimonii, quod ipsa contraxit cum N. anno 1917, cum asserto impedimento disparitatis cultus. Ratio huius licentiae petendae afferebatur mulieris desiderium novas nuptias cum viro catholico ineundi. Haec Suprema S. Congregatio, re diligenter considerata, respondendum mandavit praefatum casum ab ipso Ordinario pertractari posse ad normam can. 1990-1992. — Horum canonum praescripta integre et praecise in re definienda erunt servanda, sive quoad certitudinem impedimenti et omissae dispensationis, sive quoad modum procedendi. Si res dubia manserit, S. Officio deferenda. — Ubi de invaliditate matrimonii in casu ex processu certo constiterit, dispensationem ab impedimento disparitatis cultus poterit Excellentia Tua ab hac S. Congregatione implorare, expositis causis quae ipsam suadeant et praehabitis cautionibus exigi solitis ad normam can. 1061, ut novae nuptiae cum viro catholico contrahi possint »⁴.

5. - « D. - I. Utrum *par certitudo*, de qua in canone 1990, haberi possit tantum ex certo et authentico documento, an etiam ex alio legitimo modo.

II. Utrum *citatio partium*, de qua in canone 1990, facienda sit ante declarationem nullitatis matrimonii.

R. - Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative ». C. I., 16 Iunii 1935⁵.

6. - 1° « Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus ab habente a Sancta Sede potestatem, ab una tantum parte ac ea quidem catholica, non requisitis vel denegatis cautionibus impertita, valida sit.

2° Quatenus negative, utrum matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse Ordinarius, ad normam can. 1990 iuris canonici, declarare valeat ». — Sacra Congregatio Sancti Officii, examinatis dubiis, 8 Iunii 1932 respondit: « Ad primum: *Negative*. — Ad secundum: *Affirmative*, dummodo ad mentem canonis 1990, ex certo et authentico documento quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, omnino constet de non requisitis aut de denegatis praescriptis cautionibus. Et ad mentem. Mens autem haec est, quod attinet ad praeteritum, ut prudenti arbitrio Ordinariorum remittatur aut sanatio

³) Cfr. Primum Fumagalli, *De Casibus exceptis...*, p. 39 in nota. — ⁴) Cfr. Primum Fumagalli, *De Casibus exceptis in causis matrimonialibus*, p. 38-39 in nota. — ⁵) *A. A. S.*, XXIII, 353; *Ius Pontificium*, 1931, 255; *Periodica*, XXI, 38; *The Ecclesiastical Review*, 98 (1938), 262.

matrimoniorum iam celebratorum, ne coniuges gratia sacramenti priventur, aut relinquuntur coniuges in bona fide, aut talia matrimonia nulla declarentur ». S. C. de Propaganda Fide, 2 Augusti 1932⁶.

7. - Causae matrimoniales de nullitate ob non appositae cautiones in matrimoniis mixtis tractandae sunt ad ordinarium tramitem iuris. S. C. S. Officii, 7 Maii 1941 (10 Maii 1941). Cfr. can. 1061, 7.

8. - « D. - I. Utrum *casus excepti* can. 1990, sint taxative, an demonstrative enunciati.

II. Utrum processus, de quo in can. 1990, sit ordinis iudicialis, an administrativi.

III. An nomine *Ordinarii*, de quo in can. 1990, veniat Vicarius generalis, saltem de speciali mandato Episcopi.

IV. Utrum sub verbis: *iudex secundae instantiae*, de quibus in can. 1991 et 1992, veniat tantum Episcopus, an etiam Officialis.

R. - Ad I et II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». C. I., 6 Decembris 1943⁷.

1993 1. - S. R. Rota, decisione 9 Augusti 1922, agitatibus dubiis ex capite vis et metus an constet de nullitate ordinationis aut onerum ordinationi adnexorum respondit: Negative ad utrumque¹.

2. - S. C. de Sacramentis competens est ad videndas causas respicientes obligationes ordinibus maioribus adnexas vel validitatem sacrae ordinationis etiam pro religiosis. *Coetus peculiaris Cardin.* 13 et 27 Novembris 1922 (Vide can. 259).

3. - S. R. Rota, 13 Ianuarii 1928, concordatis dubiis: I. An constet de nullitate sacrae ordinationis in casu — et quatenus negative: II. An actor contraxerit onera status sacerdotalis, sin minus: III. An actor, gravi metu coactus, sacros ordines receperit, eosque numquam ratos habuerit, ita ut redigendum sit ad laicalem statum sine coelibatus et horarum canonicarum obligationibus, ad normam canonis 214. Resolvit: Ad I. Negative. Ad II. Affirmative. Ad III. Affirmative ad primam partem, seu non constare de gravi metu in casu; quoad secundam et tertiam partem, provisum in prima parte².

4. - S. R. Rota, 1 Augusti 1928, in appellatione eandem sententiam de qua supra, nempe diei 13 Ianuarii 1928, confirmavit et executivam reddidit³.

5. - S. C. de Sacramentis, 9 Iunii 1931, edidit Decretum quo promulgantur Regulae servandae in processibus super nullitate sa-

6) *Sylloge*, n. 172, p. 442. — 7) *A. A. S.*, XXXVI, 94.

Can. 1993. — 1) *A. A. S.*, XV, 87; *Apollinaris*, IX, 522. — 2) *A. A. S.*, XXI, 78. — 3) *A. A. S.*, XXI, 86.

erae ordinationis vel onerum sacris ordinibus adnexorum una cum formulis adhibendis⁴.

2004 « D. - Utrum, vi can. 2004, § 3, in Urbe fixam habere sedem teneatur dumtaxat postulator in processibus apostolicis, an etiam postulator in processibus informativis seu ordinariis.

R. - Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ». C. I., 16 Ianuarii 1936¹.

2039 « D. - An canon 2039, § 1 sit ita intelligendus ut competens sit ad processum informativum in causis Servorum Dei instruendum etiam Ordinarius loci, in quo testes utiliter examinandi sunt.

R. - Standum praescripto eiusdem canonis 2039, § 1, seu negative ». C. I., 25 Iulii 1931¹.

2077 S. R. Congregatio, 15 Ianuarii 1935, *Instructionem* edidit de postulatoriis litteris conficiendis. Tribus paragraphis determinatur. — a) quibus dandae litterae postulatoriae pro introducenda causa Servi Dei et qua ratione dandae. — b) a quibus et quomodo dandae litterae postulatoriae pro obtinendo Officio et Missa alicuius Sancti aut Beati. — c) a quibus et quomodo dandae litterae ad obtinendam alicuius festi ad universalem Ecclesiam extensionem¹.

2082 S. R. Congregatio, 25 Novembris 1931, decretum dedit, de modo servando in examinandis processibus informativis pro signanda Commissione super introductione causarum Servorum Dei et pro causis confirmationis cultus. Decreto ad iudicium ferendum circa valorem processus informativi etc. vocantur illi consultores qui Officiales Praelati inscribuntur. Reditur proinde in certa mensura ad difficiliorem antiquam praxim et modum procedendi¹.

2101 « D. - An praescriptum canonis 2101 extendatur etiam ad disceptationem martyrii Servorum Dei.

R. - Negative ». C. I., 28 Iulii 1932¹.

2125 S. R. Congregatio, 4 Ianuarii 1939, edidit *Normas servandas* in construendis processibus ordinariis super causis historicis. En textus Normarum: « De causis Beatificationis et Canonizationis

4) *A. A. S.*, XXIII, 457. Decretum et Regulas invenies etiam in meis *Institutionibus*, III, Appendic. III.

Can. 2004. — 1) *A. A. S.*, XXVIII, 178; *Apollinaris*, IX, 193; *Revue des Communautés Religieuses*, XII (1936), 120; *Ius Pontificium*, XVI (1936), 106; *Nouvelle Revue Théologique*, vol. 63 (1936), 752.

Can. 2039. — 1) *A. A. S.*, XXIII, 338; *Periodica*, XXI, 42.

Can. 2077. — 1) *A. A. S.*, XXVII, 58.

Can. 2082. — 1) *A. A. S.*, XXVII, 310; ex quo patet decretum quidem datum fuisse a. 1931, promulgatum autem in *A. A. S.* solummodo fuisse anno 1935.

Can. 2101. — 1) *A. A. S.*, XXIV, 314; *Periodica*, XXI, 289.

Servorum Dei admodum sollicitus, SS. mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XI, iudicialis formae veterem morem ac ordinem, in Causis historicis seu antiquis, renovandos censuit, praesertim circa ea quae ad probationes referuntur; quod opportune sancitum fuit per *Motu Proprio* diei 6 Februarii 1930. Ad praescripta idcirco Summi Pontificis rite exsequenda, ipsa rerum natura suadente atque experientia duce, opus visum est necessarium congruas statuere normas fideliter servandas ad Processus Ordinarios in Causis historicis instituendos. Huius rei causa, Sacra haec Rituum Congregatio, prae oculis habens quae ad rem in Codice Iuris Canonici statuuntur, peculiare quae sequuntur addit normas:

1° Antequam Processus instituat, Ordinarius, audito Fidei Promotore seu Fiscali, Commissionem instituat trium membrorum, quorum peritia circa historicas methodos et circa archivales investigationes omnino sit probata. His competit « in solidum » officium colligendi omnes fontes scriptos circa vitam, virtutes vel martyrium, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum Servi Dei.

2° Si Servus Dei ad aliquam religiosam Familiam pertinuerit, duo Commissionis membra eidem religiosae Familiae extranei esse debent.

3° Qui sunt membra Commissionis induci debent uti « testes ex officio », tum in Processum super perquisitione scriptorum, in quo scripta Servi Dei, quae suis investigationibus ipsi invenerint, deponent, tum in Processum super fama sanctitatis, virtutum vel martyrii et miraculorum. In hoc altero Processu iisdem erit enumerare ac describere singillatim quas ipsi peregerint investigationes. Praeterea sub sanctitate iuramenti declarare debent: 1) omnes investigationes peregerint ac omnia collegisse quae ad Servum Dei quomodocumque referri possint; 2) nullum documentum aut textum adulterasse vel mutilasse. Idem vero testes interrogandi quoque sunt circa authenticitatem et valorem singulorum documentorum vel textuum allatorum.

4° Documenta et testimonia scripta, in praedicta investigatione collecta, inseri debent in Processum, aut in originali, aut in originalis copia photographice expressa, aut in exemplo authentice recognito.

5° Testes omnes, in responsionibus ad interrogatoria et ad articulos circa vitam, virtutes, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum, omnes illas notitias omittant, quae ipsis ex lectione tantum testimoniorum scriptorum innotuerunt »¹.

2143 « D. - An sufficiat ad effectum amotionis invitatio publica ad renuntiationem per edictum vel ephemeridem facta ad instar citationis, de qua in canone 1720, quando parochus non com-

Can. 2125. — 1) *A. A. S.*, XXXI, 174 sqs.

paret, et plane ignotum manet ubi degit, eo ipso quod parochus invitationem praedictam effugere intendit.

R. - Provisum in canone 2143, § 3 ». C. I., 24 Novembris 1920¹.

2146 S. C. Concilii, 12 Ianuarii 1924, ad dubium: « Quale temporis spatium concedatur ad recursum interponendum a definitivo decreto remotionis, ad effectum canonis 2146, § 3 C. I. C. in casu ». Respondit: « Tempus utile ad recursum interponendum a definitivo decreto remotionis, ad effectum § 3 canonis 2146 Codicis, esse decendum ab intimatione eiusdem decreti, supputandum ad normam canonis 34, § 3, n. 3 et canonis 35, certiore facto Ordinario loci ab ipso recurrente de legitime interposito recurso ad Apostolicam Sedem »¹.

2150 1. - Ordinarius ad normam cau. 189, § 2 potest valide acceptare renuntiationem, elapso iam mense ab ipsa renuntiatione facta, nisi resignatarius ante acceptationem renuntiationis, renuntiationem ipsam Ordinario exhibitam revocaverit et revocationem Ordinario significaverit. C. I., 14 Iulii 1922 (Vide can. 189).

2. - S. C. Concilii, 11 Novembris 1922, declaravit dari posse clerico renuntianti pensio super beneficio renuntiato (Vide can. 1429)¹.

3. - Ordinarius potest admittere renuntiationem parociae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio parociali in favorem renuntiantis, firmo praescripto can. 1429, § 2. C. I., 20 Maii 1923 (Vide can. 1429)².

2154 C. I., 24 Novembris 1920, declaravit examini de quo in can. 459, § 3, n. 3, non esse subiiciendum parochum a parocia remotum et ad aliam translatum ad normam can. 2154 (Vide canonem 459).

2162 1. - S. C. Concilii, 21 Iulii 1919, declaravit nec concursum nec examen requiri in translatione parochorum de qua in can. 2162 et sequentibus¹.

2. - C. I., 24 Novembris 1920, declaravit examini de quo in can. 459, § 3, n. 3, non subiici parochum ad aliam parociam translatum vi can. 2162-2167 (Vide can. 459).

2218 S. R. Rota, 7 Iulii 1924, declaravit non sustineri excommunicationem latae sententiae inflictam a Vicario Generali in officialem Status civilis qui assistentiam praestiterat matrimonio civili duorum catholicorum qui a fide defecerant et solo matrimonio civili iungi volebant. Sententia primae instantiae cassata est quia iudices de

Can. 2143. — 1) *A. A. S.*, XII, 577; *Periodica*, X, 256; *Ius Pontificium*, 1923, 125.

Can. 2146. — 1) *A. A. S.*, XVI, 162; *Periodica*, XIII, 130.

Can. 2150. — 1) *A. A. S.*, XV, 451. — 2) *The Australasian Catholic Record*, 1931, p. 61.

Can. 2162. — 1) *A. A. S.*, XI, 318.

solo facto assistentiae praestitae iudicarunt, et iudicium ad ipsos spectabat etiam de valore decreti, quod non sustinebatur quatenus in publicum officium latum fuerat. Publicus enim officialis, in casu, cooperatur tantum materialiter actioni illicitae sponsorum; et materialis cooperatio intrinsece mala non est et causae ad ipsam ponendam iustae esse queunt, quae cooperantem ipsum excusare possunt ¹.

2229 « D. - An metus gravis a poenis latae sententiae eximat si delictum, quamvis intrinsece malum et graviter culpabile, non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum ad normam canonis 2229, § 3, n. 3.

R. - Affirmative ». C. I., 30 Decembris 1937 ¹.

2233 « D. - Utrum, ad normam canonis 2233, § 2, ob violationem praecepti peculiaris, quod communitum erat censura ferendae sententiae, statim post delictum comprobatum censura infligi possit; an vero praemittenda sit nova monitio.

R. - Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». C. I., 14 Iulii 1922 ¹.

2235 Recurrens ad laicalem potestatem causa impediendi exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, si recursus inefficax remaneat, puniri potest vi can. 2235, ut reus delicti frustrati aut conatus delicti. C. I., 25 Iulii 1926 (Vide can. 2334) ¹.

2243 S. R. Rota, 18 Augusti 1921, in appellatione ad ipsam interposita in causa excommunicationis, quae in prima instantia incurta dicebatur ob usurpationem bonorum ecclesiasticorum, proposito dubio: « An constet actorem in excommunicationem incidisse in casu ». Sententiavit: « Negative, seu non constare actorem in excommunicationem incidisse in casu ». Inter motiva sententiae haec duo ut decisiva afferuntur: quod extrema delicti in actore non inveniuntur, cum ipse factum excommunicatione punitum non commiserit; quod, etsi admittitur factum ab actore commissum extrema delicti continere, admittendum tamen est ipsum actorem non *praesumpsisse* agere contra legem poenalem quae *praesumptionem* requirebat. Quae causa resoluta est iure ante Codicem vigente, quia facta ad illud tempus referbantur et illa lex reo, qui in casu de facto est actor, erat favorabilior ad normam can. 2226, § 2 ¹.

2247 Peregrinus ligatur reservationibus poenarum quae vigent in loco in quo est. C. I., 24 Novembris 1920 (Vide can. 14).

Can. 2218. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XVI, 284, sqs.

Can. 2229. — 1) *A. A. S.*, XXX, 73; *Periodica*, XXVII, 162; *Apollinaris*, XI, 180; *Ius Pontificium*, XVIII (1938), 139; *Theologische-praktische Quartalschrift*, 91 (1938), 539.

Can. 2233. — 1) *A. A. S.*, XIV, 350; *Periodica*, XI, 166; *Ius Pontificium*, 1922, 127.

Can. 2235. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 394.

Can. 2243. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIII, 256 et sqs.

2252 « D. - Utrum in canone 2252, quo statuitur *obligatio recurrendi ad S. Poenitentiarium vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum*, etc., verba illa *facultate praeditum* restringenda sint ad vocabulum *aliumve*; an etiam pertinere dicenda sint ad aliud vocabulum *Episcopum*, ita ut Episcopus, qui non sit facultate praeditus, mandata dare nequeat.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, seu Episcopum mandata dare non posse, nisi facultatem habeat a iure vel ex Sedis Apostolicae concessione ». C. I., 12 Novembris 1922 ¹.

2254 1. - S. Poenitentiarium, 21 Aprilis 1921, ad dubium: « Vi Bullae Cruciatuae, die 31 Decembris 1914 nationi Lusitanae concessae, indulgetur: *ut omnes absolvi in foro conscientiae possint a quovis confessario a peccatis et censuris quibuscumque et quocumque modo etiam speciali reservatis a iure vel ab homine, ita ut sic absoluti non teneantur deinde recurrere ad alium quemcumque superiorem*. Quaeritur: Utrum tale indultum, post promulgationem C. I. C., facultatem faciat absolventi etiam a censuris *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatis ». Respondit: « Ad dubium, prout proponitur, negative; posse tamen etiam in hisce casibus absolutionem, ceteris paribus, peti atque impertiri vi et ad praescriptum canonis 2254 » ¹.

2. - Vi Declarationis S. Poenitentiarium, 4 Maii 1937, sacerdos qui vi can. 2388 excommunicationem incurrit ob attentatum matrimonium nequit absolvi ne vi quidem can. 2254, § 1, nisi a S. Poenitentiarium, excepto solo casu periculi mortis (Vide can. 2388) ².

2314 1. - S. C. S. Officii, 14 Ianuarii 1920, declaravit aliquos e clero bohemo sacerdotes excommunicationem de qua in canone 2314 incurrisse ¹.

2. - Commissio Pontificia pro Russia, 12 Ianuarii 1929, monuit Ordinarios ut sibi submitterent casus conversionum schismaticorum russorum clericorum ².

3. - Commissio Pontificia pro Russia, 26 Augusti 1929, dedit *Instructionem* ad Ordinarios locorum de Russis ad catholicam Ecclesiam redeuntibus. In ipsa dantur normae servandae in recipiendis cum laicis tum clericis seu diaconis et sacerdotibus ³.

2315 Cum ex praescripto can. 1240, § 1, n. 5 sepultura ecclesiastica priventur, qui mandaverint suum corpus cremationi tradi, saepius contingit, ut eorum catholici parentes aut propinqui

Can. 2252. — 1) *A. A. S.*, XIV, 665; *Periodica*, XI, 184; *Ius Pontificium*, 1922, 132.

Can. 2254. — 1) *A. A. S.*, XIII, 239; *Periodica*, X, 321. — 2) *Periodica*, XXVI, 501 et sqs.

Can. 2314. — 1) *A. A. S.*, XII, 37. — 2) *A. A. S.*, XXI, 94; *Periodica*, XVIII, 123. — 3) *A. A. S.*, XXI, 608.

20 — A. CORONATA, *Interpretatio authentica*.

superstites advocent ministrum acatholicum, ut ritum funeris haeretici eorum corporibus ante cremationem adhibeat.

Qui modus agendi non solum communicationem activam in divinis cum haereticis pariter illicitam continere, sed etiam can. 2316 plecti videtur, cum praesertim in regionibus catholicis haeresis propagationem aliquo modo iuvare dicendus sit.

Quaeritur igitur:

1° An tales catholici dicendi sint suspecti de haeresi ex canone 2315.

2° An ex can. 2315 actibus legitimis prohibeantur aut etiam habendi sint tanquam haeretici, haeticorum poenis obnoxii.

3° An aliam poenam ecclesiasticam incurrant aut poenam excommunicationis ex can. 2314 ipsis comminari aut infligere consultum sit ».

S. C. S. Officii, 23 Februarii 1926 (n. 1004/25) ita respondit:

« Sacra Congregatio, dum te enixe hortatur ut vigili cura adlaborare ne cesses nedum contra vetitam cremationis praxim, sed etiam contra praedictum haeticarum exequiarum abusum; tibi insimul mandat ut fideles accurate edocendo satagas, eos qui funera haeticorum pro suis petant, tanquam de haeresi suspectos haberi, et consequenter obnoxios esse poenis ferendae sententiae per can. 2315, in terminis ab eodem praestitutis, comminatis; et si moniti non resipuerint, posse excommunicationis censura mulctari; nec ad Sacramenta esse admittendos, nisi antea, quo meliori modo iudicio Amplitudinis Tuae fieri potuerit, scandalum reparaverint »¹.

2320 S. C. S. Officii, 21 Iulii 1934, ad dubium: « An sanctiones contentae in canonibus 2320, 2343, § 1, 2367, 2369 C. I. C., quibus quaedam delicta excommunicatione latae sententiae specialissimo modo Sanctae Sedi reservata plectuntur, extendantur ad universam Ecclesiam », de expresso mandato Pii Pp. XI decrevit: « Huiusmodi sanctiones, attenta omnino extraordinaria ipsorum delictorum gravitate, extendi ad universam Ecclesiam latinam et orientalem cuiuscumque ritus, atque eorundem delictorum cognitionem quoad forum internum Sacrae Poenitentiariae, quoad forum externum Sancto Officio reservari »¹.

2334 1. - « D. - Utrum ad incurrendam excommunicationem, de qua in canone 2334, n. 2, sufficiat recursus ad laicalem potestatem causa impediendi exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, an requiratur praeterea ut recursus suum sortiatur effectum.

Can. 2315. — 1) *Archiv für katholische Kirchenrecht*, 106 (1926), p. 191.

Can. 2320. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 550; *Ius Pontificium*, 1934, 295; *Nouvelle Revue Théologique*, 62 (1925), 76.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, firmo tamen praescripto canonis 2335 ». C. I., 25 Iulii 1926¹.

2. - Sacra Congregatio Concilii, 14 Octobris 1946, declaravit incurrere excommunicationem eos qui exercitium iurisdictionis impederunt Archiepiscopo Stepinae (Vide can. 2343).

2341 1. - Sacerdos qui suum Ordinarium ad Tribunal laicale traxerat excommunicationem speciali modo reservatam Sanctae Sedi incurrere declaratur. S. C. Concilii¹.

2. - Sacra Congregatio Concilii, 14 Octobris 1946, declaravit incurrere poenas hoc canone statutas illos qui ad laicum tribunal Archiepiscopum Stepinae traxerunt (Vide can. 2343).

2343 1. - Sanctiones huius can. 2343, valent etiam pro Ecclesia Orientali. S. C. S. Officii, 21 Iulii 1934 (Vide can. 2320).

2. - « Iudicialis actio, qua Exc. mus Aloysius Stepinae, Archiepiscopus Zagabriensis, per civilem Iugoslaviae magistratum fuit arbitrio coniectus in carcerem atque iniuria damnatus, universum catholicum orbem atque civilem ipsam societatem vehementer commovit.

Ecclesia tribus praesertim Codicis Iuris Canonici praescriptis sacros Pastores eorumque dignitatem ac libertatem tuetur, comminans excommunicationem ipso facto incurrendam ab eis

1. qui ad iudicem laicum traxerint Episcopum, praesertim proprium (can. 2341),

2. qui violentas manus iniecerint in personam Archiepiscopi seu Episcopi (can. 2343, § 3),

3. qui directe vel indirecte impederint exercitium iurisdictionis seu potestatis ecclesiasticae, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (can. 2334, n. 2).

Omnes eiusmodi excommunicationes sunt, pro casuum varietate, simplici vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae.

S. Congregatio Concilii igitur, cleri populique christiani disciplinae praeposita, quum praefata crimina nullam habere causam graviter minuentem imputabilitatem dignoscantur (can. 2205, § 3, 2229, § 3, n. 3), augentes vero habeant, praesertim ob singularem Exc. mi Viri offensi dignitatem (can. 2207, n. 1), praesentibus declarat eos omnes, qui ad memorata delicta patranda physice vel moraliter concurrerint, aut eorundem necessarii participes exstiterint (can. 2209, § 1-3), excommunicationes supra relatas incurrere, eisque subiectos permansuros, donec a Sede Apostolica absolutionem impetraverint ». Declaratio S. Congregationis Concilii 14 Octobris 1946¹.

Can. 2334. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 394; *Periodica*, XV, 172.

Can. 2341. — 1) *Notificatio* ista refertur in *A. A. S.*, XX, 146, diei 6 Maii 1928; *Periodica*, XVII, 138.

Can. 2343. — 1) *A. A. S.*, XXVIII, 401.

superstites advocent ministrum acatholicum, ut ritum funeris haeretici eorum corporibus ante cremationem adhibeat.

Qui modus agendi non solum communicationem activam in divinis cum haereticis pariter illicitam continere, sed etiam can. 2316 plecti videtur, cum praesertim in regionibus catholicis haeresis propagationem aliquo modo iuvare dicendus sit.

Quaeritur igitur:

1° An tales catholici dicendi sint suspecti de haeresi ex canone 2315.

2° An ex can. 2315 actibus legitimis prohibeantur aut etiam habendi sint tanquam haeretici, haeticorum poenis obnoxii.

3° An aliam poenam ecclesiasticam incurrant aut poenam excommunicationis ex can. 2314 ipsis comminari aut infligere consultum sit ».

S. C. S. Officii, 23 Februarii 1926 (n. 1004/25) ita respondit:

« Sacra Congregatio, dum te enixe hortatur ut vigili cura adlaborare ne cesses nedum contra vetitam cremationis praxim, sed etiam contra praedictum haeticarum exequiarum abusum; tibi insimul mandat ut fideles accurate edocendo satagas, eos qui funera haeticorum pro suis petant, tanquam de haeresi suspectos haberi, et consequenter obnoxios esse poenis ferendae sententiae per can. 2315, in terminis ab eodem praestitutis, comminatis; et si moniti non respuerint, posse excommunicationis censura mulctari; nec ad Sacramenta esse admittendos, nisi antea, quo meliori modo iudicio Amplitudinis Tuae fieri poterit, scandalum reparaverint »¹.

2320 S. C. S. Officii, 21 Iulii 1934, ad dubium: « An sanctiones contentae in canonibus 2320, 2343, § 1, 2367, 2369 C. I. C., quibus quaedam delicta excommunicatione latae sententiae specialissimo modo Sanctae Sedi reservata plectuntur, extendantur ad universam Ecclesiam », de expresso mandato Pii Pp. XI decrevit: « Huiusmodi sanctiones, attenta omnino extraordinaria ipsorum delictorum gravitate, extendi ad universam Ecclesiam latinam et orientalem cuiuscumque ritus, atque eorundem delictorum cognitionem quoad forum internum Sacrae Poenitentiariae, quoad forum externum Sancto Officio reservari »¹.

2334 1. - « D. - Utrum ad incurrendam excommunicationem, de qua in canone 2334, n. 2, sufficiat recursus ad laicalem potestatem causa impediendi exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, an requiratur praeterea ut recursus suum sortiatur effectum.

Can. 2315. — 1) *Archiv für katholische Kirchenrecht*, 106 (1926), p. 191.

Can. 2320. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 550; *Ius Pontificium*, 1931, 295; *Nouvelle Revue Théologique*, 62 (1925), 76.

R. - Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, firmo tamen praescripto canonis 2335 ». C. I., 25 Iulii 1926¹.

2. - Sacra Congregatio Concilii, 14 Octobris 1946, declaravit incurrere excommunicationem eos qui exercitium iurisdictionis impederunt Archiepiscopo Stepinae (Vide can. 2343).

2341 1. - Sacerdos qui suum Ordinarium ad Tribunal laicale traxerat excommunicationem speciali modo reservatam Sanctae Sedi incurrere declaratur. S. C. Concilii¹.

2. - Sacra Congregatio Concilii, 14 Octobris 1946, declaravit incurrere poenas hoc canone statutas illos qui ad laicum tribunal Archiepiscopi Stepinae traxerunt (Vide can. 2343).

2343 1. - Sanctiones huius can. 2343, valent etiam pro Ecclesia Orientali. S. C. S. Officii, 21 Iulii 1934 (Vide can. 2320).

2. - « Iudicialis actio, qua Exc. mus Aloysius Stepinae, Archiepiscopus Zagabriensis, per civilem Iugoslaviae magistratum fuit arbitrio coniectus in carcerem atque iniuria damnatus, universum catholicum orbem atque civilem ipsam societatem vehementer commovit.

Ecclesia tribus praesertim Codicis Iuris Canonici praescriptis sacros Pastores eorumque dignitatem ac libertatem tuetur, comminans excommunicationem ipso facto incurrendam ab eis

1. qui ad iudicem laicum traxerint Episcopum, praesertim proprium (can. 2341),

2. qui violentas manus iniecerint in personam Archiepiscopi seu Episcopi (can. 2343, § 3),

3. qui directe vel indirecte impederint exercitium iurisdictionis seu potestatis ecclesiasticae, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (can. 2334, n. 2).

Omnes eiusmodi excommunicationes sunt, pro casuum varietate, simplici vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae.

S. Congregatio Concilii igitur, cleri populiue christiani disciplinae praeposita, quum praefata crimina nullam habere causam graviter minuentem imputabilitatem dignoscantur (can. 2205, § 3, 2229, § 3, n. 3), augentes vero habeant, praesertim ob singularem Exc. mi Viri offensi dignitatem (can. 2207, n. 1), praesentibus declarat eos omnes, qui ad memorata delicta patranda physice vel moraliter concurrerint, aut eorundem necessarii participes exstiterint (can. 2209, § 1-3), excommunicationes supra relatas incurrere, eisque subiectos permansuros, donec a Sede Apostolica absolutionem impetraverint ». Declaratio S. Congregationis Concilii 14 Octobris 1946¹.

Can. 2334. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 394; *Periodica*, XV, 172.

Can. 2341. — 1) *Notificatio* ista refertur in *A. A. S.*, XX, 146, diei 6 Maii 1928; *Periodica*, XVII, 138.

Can. 2343. — 1) *A. A. S.*, XXXVIII, 401.

2351 1. - S. C. Concilii, 13 Iunii 1925, ad dubium: « An declarationes S. C. Concilii anni 1890 et 1923, quibus mensurae in Universitatibus Germaniae usitatae, quae speciali nomine *Bestimmungsmensuren* vocantur, poenis ecclesiasticis subiiciuntur, illas tantum mensuras respiciant, iuxta nonnullorum recentiorum sententiam, quae cum periculo gravis vulneris committuntur, vel etiam completantur eas, quae sine periculo gravis vulneris fiunt in casu ». Respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad alteram »¹.

2. - « D. - An, in iis locis in quibus sententia de duello habendo reservatur tribunali quod dicitur « honoris », provocantes et acceptantes incurrant in poenas de quibus in can. 2351 ipsa provocatione vel acceptatione.

R. Affirmative, nisi certo constiterit provocantes et acceptantes non habuisse intentionem duellandi ». C. I., 26 Iunii 1947².

2357 S. C. S. Officii, 2 Augusti 1929, ad dubium: « Utrum licita sit masturbatio directe procurata ut obtineatur sperma, quo contagiosus morbus *blenorragia* scientificè detegatur et, quantum fieri potest, curetur ». Respondit: « Negative »¹.

2367 1. - Huius can. 2367 sanctiones valent et pro Orientalibus. S. C. Sancti Officii, 21 Iulii 1934 (Vide can. 2320).

2. - S. C. S. Officii, 16 Novembris 1934, ad dubium: « An inter indirecte inducentes, de quibus in canone 2367, § 2 Codicis I. C., adnumerandus etiam sit confessarius qui, sive intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus inter se patrandis aut nullum aut certe non grave inesse peccatum, eumque consequenter, de aliis tantum sibi postea confitentem, sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere ». Respondit: « Affirmative, facto verbo cum Ss.mo »¹.

2369 Sanctiones huius can. 2369 valent etiam pro Orientalibus. S. C. S. Officii 21 Iulii 1934 (Vide can. 2320).

2379 S. C. Concilii, 28 Iulii 1931, excitat vigilantiam Episcoporum super clericos ut habitum ecclesiasticum deferant. In negligentes animadvertere possunt Ordinarii ad normam can. 136, § 3; 188, n. 7 et 2379 (Vide can. 136).

2381 1. - S. C. Concilii, 10 Iulii 1920, ad dubia: « I. Utrum sustineri vel tolerari possit centenaria et immemorabilis hispa-

Can. 2351. — 1) *A. A. S.*, XVIII, 132. Cfr. *Il Monitore ecclesiastico*, XXXVIII, 267 et sqs. ubi de argumentis a Vermeersch, *Periodica*, XIV, 172 allatis ad mitiorem induendam in hac re disciplinam. Quae tamen argumenta a S. Sede admissa non sunt. Cfr. etiam *Periodica*, XV, 51. — 2) *A. A. S.*, XXXIX, 374.

Can. 2357. — 1) *A. A. S.*, XXI, 490.

Can. 2367. — 1) *A. A. S.*, XXVI, 634; *Sal Terrae*, 1935, 161 et 252; *Apollinaris*, 1935, 72.

nica consuetudo lucrandi fructus praebendae quotidianos, etiamsi una tantum vel duabus horis canonicis praebendatus choro assistat in die naturali vel liturgico; II. Utrum Codicis canon 2381 urgeat etiam in casu non residentiae, non graviter culpabilis, vel materialiter tantum, non formaliter culpabilis ac notoriae; III. Utrum post vigentem canonem 2381 beneficiarius vel canonicus illegitime absens retinere possit fructus respondentis privatae recitationi officii divini; IV. Utrum ex fructibus praebendae adhuc possessae salvanda sit, et a possessore (licet illegitime absente) retinenda portio quaedam ab Ordinario designanda et ad ipsius praebendati sustentationem sufficiens; V. Utrum, attentis fabricarum indigentis, possint statuta capitularia cum Ordinarii approbatione statuere fructus amissos esse fabricae ecclesiae tradendos in toto vel in parte; VI. Utrum absentiae tempus sit per dies an per horas canonicas supputandum, et quot dies illegitimae absentiae requirantur ut quis irresidens censeatur, ac contra eum procedi possit ad normam canonum 2168-2175; VII. Utrum illegitime absens teneatur fructus restituere ante sententiam declaratoriam ». Respondit: « Ad I. Negative; ad II. Affirmative, dummodo ne concurrant causae excusantes, iuxta canones 420 et 421, vel pontificium indultum; Ad III. Negative; ad IV. Negative; ad V. Standum dispositioni canonum 1475, § 2 et 2381; ad VI. Esse supputandum per dies integras, et tempus illegitimae absentiae computari statim a tempore transacto trium mensium, seu alio legitimae vacationis; ad VII. Affirmative » (Vide can. 418)¹.

2. - S. C. Concilii, 15 Ianuarii 1921, declaravit absentes a choro vi indulti cum clausula: *amissis inter praesentes tantum* ius habere ad fallentias, dummodo ne agatur de fallentiis ex distributionibus inter praesentes tantum provenientibus (Vide can. 395).

3. - S. C. Concilii, 15 Martii 1924, ad dubia: « ... II. Quum in *Toletana et aliarum*, die 10 Iulii anni 1920, resolutum sit tempus absentiae esse supputandum per dies integras, an dies qua canonicus illegitime absit aliquibus tantum horis, sed non omnibus, debeat haberi ut dies residentiae vel ut dies absentiae; III. An illa die, qua canonicus illegitime absit aliquibus, non omnibus horis, privetur tantum distributionibus horarum quibus illegitime abfuit, vel tum fructibus tum distributionibus pro rata illarum horarum illegitimae absentiae, vel tandem tum fructibus totius diei tum distributionibus horarum quibus illegitime abfuit ». Respondit: « ... Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; Ad III. Negative ad primam et secundam partem, affirmative ad tertiam »².

4. - S. C. Concilii, 13 Iunii 1925, declaravit sanctionem: *secus*

Can. 2381. — 1) *A. A. S.*, XII, 357. Cfr. Luigi Cozza in *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 46, p. 229 sqs.; itemque M. a Coronata, in *Perfice munus*, VIII (1933), p. 509-604 et IX (1934), p. 504-512. — 2) *A. A. S.*, XVII, 192.

censeantur absentes, ad utrumque, quod in can. 409, § 1, adducitur, praescripti membrum referri (Vide can. 409).

5. - S. C. Concilii, 23 Aprilis 1927, ad dubium: « Cum in *Abulen.* diei 15 Martii 1934 resolutum fuerit, diem integre computandum esse in casu illegitimae absentiae a choro etiam per aliquot horas, quaeritur: An eadem computatio facienda sit in casu illegitimae absentiae ab aliqua hora ex parte illius qui obtinuit indultum: *pro diebus et horis* ». Respondit: « Affirmative »³.

2388 1. - S. Poenitentiaria, 18 Aprilis 1936, decretum edidit quo absolutio sacerdotum ab excommunicatione, ob attentatum etiam civile tantum matrimonium, et actu cum muliere caste conviventium eorumque admissio ad participationem Sacramentorum more laicorum Sacrae Poenitentiariae Apostolicae exclusive reservatur. In ipso autem decreto haec praeter alia leguntur: « Sanctitas sua... suprema auctoritate decernere ac statuere dignata est, ut firma excommunicatione, de qua in can. 2288, § 1, absolutio ab ea in casu supra exposito et consequens supplicantis admissio ad Sacramenta more laicorum suscipienda, ab ipsa tantum Sacra Poenitentiaria Apostolica, servata speciali procedendi forma et sub peculiaribus quibusdam cautelis et conditionibus ab eadem Sanctitate sua patefactis ac praescriptis, concedi possint; et si forte concedantur ab aliquo sacerdote in periculo mortis, maneat obligatio ad ipsam Sacram Poenitentiarium recurrenti, ut praescribitur canone 2252 pro censuris a iure Sanctae Sedi specialissimo modo reservatis »¹.

2. - S. Poenitentiaria, 4 Maii 1937, emisit declarationem super decreto 18 Aprilis 1936. Vi huius declarationis constat Romanum Pontificem mandasse publici iuris fieri quae sequantur, nempe « hanc esse mentem legislatoris, scilicet: Absolutionem a censuram, de qua supra, ita esse Sacrae Poenitentiariae reservatam ut nemo unquam, excepto casu periculis mortis, ab ea absolvere possit, non obstante qualibet facultate, sive per can. 2254, § 1, sive per privilegium, sive denique per aliud quodcumque ius ceteroquin concessa »².

2386-87-89 Isti tres canones applicantur etiam societatibus clericalibus sine votis, quatenus sodales vitam communem degunt. C. I., 2-3 Iunii 1918 (Vide can. 673).

2408 Parochus N. damnatus a tribunali dioecesano ad mulctam pecuniariam et ad restitutionem pecuniae perceptae iniuste ultra fines in taxa dioecesana admissos appellavit ad S. R. Rotam, quae

3) *A. A. S.*, XIX, 45.

Can. 2388. — 1) *A. A. S.*, XXVIII, 242; *Periodica*, XXV, 199 et XXVI, 501 et sqs.; *Apollinaris*, IX, 587 et X, 176; *Nouvelle Revue Théologique*, 63 (1936), 914; *Theologische-praktische Quartalschrift*, 89 (1936), 821 et 90 (1937), 518. — 2) *A. A. S.*, XXIX, 283; *Periodica*, XXVI, 486 et 501 et sqs.

propositis dubiis: « I. An sustineatur poena inflicta in casu. — II. An R. D. Marcus teneatur obligatione restituendi familiae B. P. francos 417 in casu ». Sententiavit: « Ad I. Affirmative, demptis tamen exercitiis spiritualibus. — Ad II. Affirmative ». S. R. Rota, 2 Decembris 1922¹.

2410 Iste canon applicatur etiam societatibus clericalibus sine votis, si societates privilegio gaudeant dimissorias concedendi ad ordines suis subditis. C. I., 2-3 Iunii 1918 (Vide can. 673).

Can. 2408. — 1) *Decisiones seu sententiae*, XIV, 328 et sqs.

INDEX CHRONOLOGICUS

documentorum de quibus saltem mentio fit.

1915	<i>canones</i>	<i>canones</i>
15 Nov. : S. Cong. Concilii . . .	106	15 Sept. : Benedictus XV . . . 17, 242
15 Nov. : S. Cong. Concilii . . .	408	15 Sept. : Benedictus XV . . . 246
		15 Oct. : Benedictus XV . . . 1
		19 Oct. : Benedictus XV . . . 925
		22 Oct. : Benedictus XV . . . 934
		10 Nov. : S. C. Concilii . . . 324
		19 Nov. : S. C. Consistorialis . 451
		9 Dec. : Commissio Interpres . 17
		9 Dec. : Commissio Interpres . 1099
